
VICTORIA UNIVERSITY
3 1761 06310652 0


ABEUNT
STUDIA IN
MORES

ENNIANAE POESIS RELIQUIAE

ITERATIS CURIS

RECENSUIT

IOHANNES VAHLEN



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMIII



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

PRAEFATIO

Q. Ennii poetae versibus superstitibus collectis et quantum fieri potuit emendatis et explicatis restat ut nonnulla pertractentur, de quibus in singulorum versuum adnotatione agi apte non poterat. Quare reliquiis suo apparatu adornatis duas praemittere disputationes constitui, quarum altera HISTORIAM ENNII ab ipsius initiis usque ad hunc librum editum persequi conabor eo potissimum consilio ut ne quid testimoniorum quod exstat de Ennio desideretur, altera autem DE LIBRIS ENNIANIS disseram, ita ut eorum materiam et compositionem iis fere numeris et rationibus quibus olim explanare studeam.

I. HISTORIA ENNII

De Q. Ennii rebus disputaturus initium scribendi facio ab iis quae versus servati de eo vel testimonia quibus ii accepti feruntur memoriae produnt. Itaque plenum nomen eius ἀκροστιχίς habebat quae erat in nonnullis libris *Quintus Ennius fecit* (inc. LIII), et hoc duplex nomen eius multi poetae et scriptores et grammatici vulgarunt, multi *Ennium* nominitarunt: quo nomine poeta ipse se appellat aut ab aliis appellari iubet (vid. infr.), Ἔννιον Suidas (Scip. I) et Strabo (v. infr.); *Quintum* Persius dixit sed ut *Ennius* nomen in vicinia esset (ann. I fr. XII) *cor iubet hoc Enni postquam destertuit esse Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo.* Quem *Quintum nostrum* vocat Caesar in epistola ad Frontonem (scen. inc. III), haud improbabiliter docti homines Q. Ennium esse voluerunt, et Ennius cum alibi in epistolis Frontonianis tum in eadem epistola *Sota Ennianus* (p. 217) memoratur.

In saturis poetam nonnumquam de se suisque rebus verba fecisse unum certe quod exstat exemplum fidem facit, cum in satura (lib. III fr. I) a nescio quo se his verbis salutari finxit *Enni poeta salve qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus,* atque ubi de se dixit, ut mea est opinio item in saturis (64), *numquam poetor nisi si podager,* probabile est eum plura de vita sua ac moribus perstrinxisse. Neque est quod non ipse credatur suam imaginis formam epigrammate (I) laudasse quod Ennianum esse Cicero testatur *aspicite o cives senis Enni imaginis formam: Hic*

vestrum panxit maxima facta patrum, quae a poeta sene scripta sunt, cum iam carminum gloria vigeret quae in laudem Romanorum fecerat.

Graviora de Ennio ex ipsius libris excerpsit M. Varro, qui quos libros de poetis scripsit eorum in primo de Ennii vita egit; et ut ille posterioris aetatis scriptoribus locupletissimus auctor erat de Ennio, ita ipsum putaveris non adiisse nisi limpidissimos fontes h. e. attendisse si quae Ennius ipse de se in carminibus suis memorasset, qui quidem etiam de Naevio perhibuit quae ille in carmine testatus erat (vid. Gell.). Itaque de Ennio Varronem haec scribere testis Gellius est (ann. XII fr. V) *Claudium et Tuditanum consules* (quibus ante dixit Gellius Livium Andronicum primam fabulam docuisse) *sequuntur Q. Valerius et C. Mamilius quibus natum esse Q. Ennium poetam M. Varro in primo de poetis libro scripsit eumque cum septimum et sexagesimum annum haberet duodecimum annalem scripsisse idque ipsum Ennium in eodem libro dicere.* Alibi exposui, quam condicionem fuisse huius duodecimi annalium libri existimem, ut ea commoda esset occasio, qua talia de se Ennius exprometeret. De cuius libri rationibus si recte iudicavi, credibile fit non merum aetatis annum ibi definivisse Ennium verum alia plura de genere et patria et rebus gestis exposuisse, ut hoc nomine huius libri exitus accessisse videatur ad similitudinem quandam versuum quibus Horatius extremam libri primi epistolam finivit: qui ita dicit (nam non inutile est ad hanc rem quam ago horum versuum memorem fuisse)

Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre et in tenui re
Maiores pennas nido extendisse loqueris,
Ut quantum generi demas virtutibus addas:
Me primis urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui praecanum solibus aptum
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse decembres
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Itaque ut huius libri finem, quoad eius licebat, pluribus illustrarem, in eodem libro posui nullo teste non solum venustam comparationem qua fortis equi senectutem cum sua composuit (VI), verum etiam illa quibus se Messapiae originis esse et Rudiis oriundum et ex Rudino homine civem Romanum exstitisse (VII. VIII) non sine gloria fassus est: quibus fortasse vel illa accedebant quae Gellius (ad XII fr. VII) narrat Ennium dixisse sese *tria corda* habere *quod loqui Graece et Osce et Latine sciret,* si quidem haec non tam de sermone vulgari quam de scripto libro accipienda sunt. Verum tamen si cui parum probabile videatur, praeter ea quae Varronis

fide constant illa quoque quae supra collegi in illius libri exitu locum habuisse, nihilo minus haec et illa totidem sunt Ennii de se testimonia. Quae curiosius expendenda sunt. Ac primum quidem quod Varro non solum scribit Ennium cum duodecimum annalem exararet ipso teste septimum et sexagesimum annum habuisse, sed consules quoque memorat quibus consulibus natus sit Ennius, colligere licet Varronem hoc non sine illo effecisse, verum ex consulibus, si forte nominati erant Horatii exemplo, quibus sexagesimum septimum annum agebat Ennius, computando eruisse quo consulari anno idem natus fuerit. Raro enim exemplo in hoc uno ex vetustissimis Romanorum poetis annus natalis antiquitus constabat, cum plerique quando diem obiissent ex 'annalium monumentis' peti posset, de natalibus nihil compertum esset. Et Varronem videmus etiam alia in Ennii annalibus quae ad computationem annorum pertinerent sectatum esse et indagasse, qui quae Ennius dixit (ann. 501 sq.) *septingenti sunt paulo plus aut minus anni Augusto augurio postquam inclita condita Roma est,* non tam in eam aetatem qua haec Ennius scripserit quam in sua ipsius tempora cadere affirmat.

In Ennii autem anno natali cum Varrone conspirat Cicero, qui cum ita scribit in Bruto 18,72 *hic Livius primam fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit, anno ipso ante quam natus est Ennius, post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur,* se Attici annalem sequi fatetur, cuius libri singularem diligentiam cum alibi velut in oratore (34, 120) tum supra in Bruto (3, 14; 4, 15) magnis et meritis laudibus praedicavit. Sed qui attenderit apud Gellium l. c. hoc idem de Andronici prima fabula cum Varronis de Ennio memoria coniungi, dabit fortasse posse fieri ut Atticus in ea re a Varronis auctoritate profectus sit. Minus accuratum est sed in summa rei non discedit testimonium Ciceronis quod in primo disputationum Tusculanarum (1, 3) posuit: ut sero a Romanis poeticam acceptam doceret *annis fere* inquit *DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio Caeci filio M. Tuditano consulibus anno ante natum Ennium, qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius.**) Annum eundem et eosdem consules designat, sed is

---

*) Pravo iudicio pergunt interpretes Tulliani enuntiatum relativum delere: quod ad Livium nimirum pertinens aptum erat ac paene necessarium propterea quia intererat verum initium poesis Romanae indicari, et quia fuit qui Livium iuniorem Plauto et Naevio haberet (Brut. 18, 73). Quod vero ambiguitatem pronominis offendunt, quae nulla est, si quis recte sensum scriptoris accepit, multa sunt quae probant eam ambiguitatem scriptores non refugisse, velut de prov. cons. 6, 14 *itaque ille alter aut ipse est homo doctus . . . aut amicos habet prudentiores quam Gabinius, cuius nullae litterae proferuntur.* Quid si *cuius* ad *Gabinium* referri velis? aut pro Mur. 3, 7

annus utrum quingentesimus decimus an decimus quartus fuerit, in incerto relinquit, neque hoc ibi ad rem pertinebat.*)

Horum testium fide cum Ennii annus natalis satis certo constitutus sit, restat ut Hieronymi indicium perpendamus qui in Eusebii canonibus chronicis ab ipso conversis et suppletis ad a. Abrahae 1777 (h. e. u. c. 514) scribit *Quintus Ennius poeta Tarenti nascitur, qui a Catone quaestore Romam translatus habitavit in monte Aventino parco admodum sumptu contentus et unius ancillae ministerio.* In quibus quae praeterea habentur deinceps suis locis disceptabuntur. In anni autem definitione ut ab illis testibus anno discedit, ita sibi ut solet constitit, cum a. Abrahae 1849 (h. e. a. u. c. 586) scribit: *Ennius poeta septuagenario maior articulari morbo perit sepultusque in Scipionis monumento via Appia intra primum ab urbe miliarium; quidam ossa eius Rudiam ex Ianiculo translata adfirmant.* Qui enim a. u. c. 514 natus a. 586 mortuus est non potest non septuagenario maior diem obiisse. Sed in utroque numero putamus erratum esse, incertum quo principio. Suetonius enim, quem sequi solet Hieronymus, quos numeros in vita Ennii posuerit nescitur, qui in libello de gramm. 2 p. 100 R. cum Cratetem Mallotem inter secundum (a. u. c. 553) et tertium bellum Punicum (a. u. c. 605) *sub ipsam Ennii mortem* Romam venisse scribit, annum mortis non falso sed obiter significavit. Hieronymum autem, cuius haec sunt de Caecilio ad a. Abr. 1838 (h. e. a. u. 575) *Statius Caecilius comoediarum scriptor clarus habetur natione Insuber Gallus et Ennii primum contubernalis; quidam Mediolanensem ferunt; mortuus est anno post mortem Ennii et iuxta Ianiculum sepultus,* non alium nunc quam illo loco annum mortis Ennianae probabile est sumpsisse.

Sed de morte Ennii suppetunt non minus certa testimonia quam de anno natali et ea quidem quibus etiam ille confirmatur. Cicero enim in Bruto (20, 78) de C. Sulpicio Gallo agens scribit *hoc praetore ludos Apollini faciente cum Thyestem fabulam docuisset Q. Marcio Cn. Servilio consulibus mortem obiit Ennius* (h. e. a. u. 585). Quorum fides non est quod labefactetur cum Reifferscheidio. Nihil enim erat quod a Cicerone aut Attico (ne de Varrone dicam) illo tempore certius aut facilius cognosci posset, quam aut quo anno Thyestes fabula data esset aut quibus consulibus Ennius poeta

---

sed me non minus . . Ser. Sulpicii conquestio quam Catonis accusatio commovebat, qui gravissime se ferre dixit eqs. Ad utrum *qui* pertinere dicimus, Catonemne an Sulpicium?

*) Ne quid praetermittatur, in adnotatione addam quod Cicero in Bruto 18, 73, cum Accii de Livii aetate errorem refutat, C. Cornelio Q. Minucio consulibus (h. e. a. 557), quibus Accius Livii fabulam datam esse voluit, Ennium XL annos natum fuisse scribit, si non falso, certe non satis accurate dici.

clarissimus mortem obiisset. Cui memoriae accedit altera eiusdem Ciceronis qui Catonem in dialogo de senectute (5, 14) ita de Ennio versibus eius de senectute (ann. XII fr. VI) memoratis loquentem induxit *equi fortis et victoris senectuti comparat suam: quem quidem probe meminisse potestis, anno enim undevicesimo post eius mortem hi consules T. Flamininus et M' Acilius* (h. e. a. u. 604) *facti sunt, ille autem Caepione et Philippo iterum consulibus* (h. e. a. u. 585) *mortuus est, cum ego quinque et sexaginta annos natus* (h. e. item a u. 585, quia natus erat a. 520) *legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasi. sed annos septuaginta natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo quae maxima putantur onera paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur.**) Perspicuum est compluribus indiciis inter se consentientibus eundem a Catone annum dici qui est apud Ciceronem in Bruto, et his quidem testimoniis cum annum mortis tum per septuaginta annorum aetatem etiam annum natalem certissime constitui. Nihil quo utare ex Gellii tabulis chronologicis percipitur quas XVII 21, 49 exponit, qui a legatione philosophorum ab Atheniensibus Romam missa (quam notum est in a. u. 599 cadere) ita pergit *neque magno intervallo postea Q. Ennius et iuxta Caecilius et Terentius et subinde et Pacuvius et Pacuvio iam sene Accius clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit,* in quibus quantum peccatum sit non est quod curiosius explicetur.

Rudinum**) quod Cicero Ennium et Cicerone teste Ennius semet ipse dixit (ann. XII fr. IV et VIII), Rudiis natum intelligunt, id quod cum alibi tradatur, velut a Silio Italico eo loco quem infra indicavi, tum a Strabone, qui lib. VI inde a 3, 5 p. 281 C τὴν τῶν Ἰαπύγων χώραν describens, cum de traiectu ageret qui Tarentum inter et Brundisium esset, ita scribit ἐντεῦθεν δὲ τηρήσαντες φορὸν πνεῦμα προσέχουσι τοῖς μὲν Βρεντεσίνων λιμέσιν, ἐκβάντες δὲ πεζεύουσι συντομώτερον ἐπὶ Ῥοδιῶν πόλεως Ἑλληνίδος, ἐξ ἧς ἦν ὁ ποιητὴς Ἔννιος, situmque urbis paulo post (3, 6 p. 282) accuratius hoc modo definit τὰ μὲν ἐν τῷ παράπλῳ πολίχνια εἴρηται, ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Ῥοδίαι τέ εἰσι καὶ Λουπίαι καὶ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης Ἀλητία.***) Qui quas potissimas esse eius regionis urbes dicit, Tarentum et Brundusium, earum virtutes inter

---

*) Dubites num haec ad orationem Ennii redeant in qua is extrema vita de paupertate sua et senectute dixerit. Certe haec diversa sunt ab illis de equi senectute quae dixit Cato.

**) *Rudinum* appellavit Ennium Ausonius quoque (ann. 575) et ex Cicerone scholiastae eius.

***) Pomponius Mela cum scribit II 4, p. 48, 12 Parth. *post Barium et Gnatia et Ennio cive nobiles Rudiae, et iam in Calabria Brundisium, Valetium, Lupiae* eqs alium locum vel eius oppidi alium situm designare mihi non videtur. Ceterum cf. Plin. nat. hist. III 99—102.

se collatas aestimat et inprimis Brundusinos portus Tarentinis superiores praedicat (l. c. *καὶ εὐλίμενον δὲ μᾶλλον τὸ Βρεντέσιον· ἑνὶ γὰρ στόματι πολλοὶ κλείονται λιμένες ἄκλυστοι κτλ*). Quare Ennius si de patria sua verba fecit, versus qui habet laudem Brundusini portus (ann. 488) *Brundisium pulcro praecinctum praepete portu* et hic fortasse locum (sed ubi non?) nancisci potuit. Suetonius autem si forte in ea parte Virorum Illustrium, qua Ennium tractabat, cum Rudias diceret Tarenti viciniam memoraverat, esset unde Hieronymi error oreretur, qui Ennium *Tarenti* natum scripsit, quamquam idem paene inscius et ipse *Rudias* (sive *Rudiam*) Ennii patriam subindicat cum dicit *quidam ossa eius Rudiam ex Ianiculo translata adfirmant.* Cur enim Rudias, si non erat natale solum? De terra ipsa in qua media sitae sunt Rudiae Strabo (282) *τῆς εἰρημένης* inquit *χερρονήσου, ἣν Μεσσαπίαν τε καὶ Ἰαπυγίαν καὶ Καλαβρίαν καὶ Σαλεντίνην κοινῶς οἱ πολλοὶ προσαγορεύουσιν*: unde utrumque intelligitur et quid *Calabria* ad Ennium et quid *Messapia,* quem Ovidius (art. am. III 409) *Calabris in montibus ortum* dixit (similiter Silius loco infra citato), et cuius poesim Horatius c. IV 8 *Calabras Pierides* appellavit, ad quae in Acronis scholiis adnotatur *significat Ennium qui facta Africani descripsit oriundum de Raudino oppido Calabriae, ideo Calabrae Musae.* Messapium autem Ennium teste Aeliano Suidas dixit (cf. ann. XII fr. VII) et Messapiam originem suam Ennium ipsum memorasse Servius testis est (ibid.) eamque pluribus verbis Silius Italicus (XII 393) ornavit, qui poetam Ennium centurionem in bello Hannibalico in Sardinia fortiter pugnantem in honorem poetae poetica quadam libertate finxit; qui cum canit

Ennius, antiqua Messapi ab origine regis,
Miscebat primas acies, Latiaeque superbum
Vitis adornabat dextram decus; hispida tellus
Miserunt Calabri; *Rudiae genuere vetustae,*
Nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno,

possit exemplo esse eius modi quo forte Ennius patriam suam et originem verbis extulerat.*) Nam Ennium originem Messapiam prodidisse dubitari non debuit, ac poetae licuit, ut se Messapium affirmaret, dicere se a rege Messapo originem ducere, qui terrae nomen dedit, ut Strabo tradit (IX 2, 13 p. 405 C) *ἐν δὲ τῇ Ἀνθηδονίᾳ Μεσσάπιον ὄρος* (Pausan. IX 22, 5) *ἐστὶν ἀπὸ Μεσσάπου, ὃς εἰς τὴν Ἰαπυγίαν ἐλθὼν Μεσσαπίαν τὴν χώραν ἐκάλεσεν*; idem Stephanus Byz. p. 447 M. *Μεσσάπιον ὄρος Εὐβοίας ... ἀπὸ Μεσσάπου τοῦ μετοικήσαντος εἰς Ἰταλίαν*, qui paulo ante

*) De lingua Messapia et inscriptionibus circa Rudias inventis olim Mommsenus egit in dial. Italiae inferioris p. 59 sqq. Cf. Deeckium mus. Rhen. XXXVI 577.

Μεσσαπία inquit *χώρα Ἰαπυγίας προσεχὴς Τάραντι. τὸ ἐθνικὸν Μεσσάπιος. Παυσανίας δεκάτῳ* (10, 6); Paulus quoque epitomator Festi p. 90, 13 Th. *Messapia Apulia a Messapo rege appellata*, quod fieri potest ut ad Ennium redeat; qui quod *Messapiam Apuliam* dicit, similiter Servius Dan., qui in Aen. III 531 *sane Calabria* ait *ante Messapia vocata est*, VIII 710 *Iapygia* dicit *Apulia dicta est* (cf. georg. III 475); quod Servius scribit XI 247 *Iapygia pars est Apuliae in qua est mons Garganus qui per Calabriam usque in Adriaticum tenditur pelagus* (cf. XI 269. 271), patefieri videtur non esse eam differentiam rei, sed appellationis.

Calabriam autem totam, non solum Rudias urbem quam Strabo *Ἑλληνίδα πόλιν* dicit, Graeca cultura non leviter imbutam fuisse, multis rebus probatur. Quare non recte fortasse sed non temere nonnulli Ennium *Graecum* vel *Semigraecum* appellitaverunt, utpote quem dubium non esset Graeci sermonis ab initio peritum fuisse: itaque Suetonius (de gramm. 1 p. 100 R.) scribit *antiquissimi doctorum, qui idem et poetae et Semigraeci erant, Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est,* et Festus (p. 412, 33 Th.) ubi memoravit usum duplicandi in scribendo litteras olim nullum fuisse, ita pergit *quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur utpote Graecus Graeco more usus, quod illi aeque scribentes ac legentes duplicabant mutas.*

Credibile est Ennium etiam alia de se in carminibus tetigisse, quae nobis nisi alienis testibus comperta non sunt. Quod genus Cornelius Nepos in vita Catonis (1, 4) haec de Catone refert: *aedilis plebi factus est cum C. Helvio. praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poetam deduxerat; quod non minoris existimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.* Quae breviter Hieronymus reddit his verbis iam supra allatis: *a Catone quaestore Romam translatus:* nimis enim inepte scribit Nipperdeius et qui Nipperdeii Nepotem instauravit, illa quae sunt apud Nepotem ab Hieronymo confirmari; sed Hieronymus sua scilicet a Suetonio accepit, Suetonius autem, quem Nepote auctore etiam in vita Terentiana (p. 31 R.) uti videmus, dubitari non potest quin fide Nepotis haec de Ennio in vita eius perhibuerit quam in Viris Illustribus posuit. Vestigium tenue eius narratiunculae ad Aurelium Victorem de viris illustribus pervenit, qui quae scribit (c. 47) de Catone *in praetura Sardiniam suscepit, ubi ab Ennio Graecis litteris institutus,* particulam veri ineptiis et ficticiis immixtam exhibent. Sed haec quo fonte hausta Nepotem dicimus memoriae tradidisse? Poterant profecto a Catone memorari (nam quid non in tanta amplitudine litterarum omnis generis?), praesertim si tantam vim ei rei tribuit quantam Nepos, qui quidem poetae fama movebatur, quae

illo tempore nulla dum erat*): poterant ab Ennio ipso narrari, in annalibus temporum et rerum gestarum ordine invitante, quemadmodum Naevium in carmine belli Punici prodidisse ipsum se in eo bello stipendia fecisse Varrone teste scribit Gellius l. s. s., ut Varronis beneficio etiam illa de Ennio si dis placet ad Nepotem manaverint, aut in Catonis laudibus quae multae erant in annalibus (xii fr. iv), denique vel in extremo duodecimo: qui minus enim Ennium haec quoque de se ibi memoraverit, cum Horatium videamus in illa epistola stipendia a se facta non praetermittere. Sed nihil certi, ac nobis standum est mera fide Nepotis. Res autem ipsa quam tradit non uno nomine obscura est: nec enim quae causa Rudinum hominem durante etiam tum bello in Sardiniam adduxerit, nec quo consilio aut qua occasione Cato eum de insula deduxerit, satis fit perspicuum, quamquam nec hoc improbabile esse aio quod statuunt, eum stipendia fecisse in legione Romana, centurionem si libet ut Silius finxit, nec quibus rationibus hoc fieri potuisse in eo qui civis non erat probare studuerunt. Unum certum est et hoc longe gravissimum, quod a Catone quaestore Ennius Romam translatus dicitur. Catonem enim quaestorem fuisse consulibus M. Cethego P. Tuditano, quorum illum Ennius insigni laude impertivit in annalium ix, h. e. anno u. c. 550 Cicero bis expressis verbis tradidit, in Bruto (15, 60) et in Catone m. (4, 10). Quem quaestorem Livius (xxix 25, 10) narrat eo anno cum Scipione traiecisse in Africam; unde decedens Sardiniam petiit, et inde comitante Ennio Romam. Cuius annus adventus in principiis poesis Romanae non minus momentum facit quam annus primae datae fabulae ab Livio Andronico (514).

Romae Ennium in monte Aventino habitasse non compertum est nisi Hieronymi verbis quae supra (p. vi) scripta sunt: in qua re reminiscendum est rerum tradendarum in hoc genere iter quod supra descripsi semper exstare, etiamsi nobis non semper liceat singulis rebus excussis monstrare: quare hoc obtinemus Hieronymum fere non tradere nisi quae apud Suetonium legerit, Suetonius autem fieri non potest quin cum aliis testibus vetustioribus, Nepote, Cicerone, aliis, inprimis Varronis de poetis usurpaverit, quem vidimus non neglexisse si quae apud ipsum poetam de eo offenderet. De Aventino memorabilia sunt quae Festus tradidit (p. 492, 22 Th.) *cum Livius Andronicus bello Punico secundo scripsisset carmen quod a virginibus est cantatum, quia prosperius res p. populi Romani geri coepta est publice adtributa est ei in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis histrionibusque consistere ac dona ponere, in honorem Livii quia is et scribebat fabulas et*

---

*) De Catone possit fortasse propior occasio inveniri; vide quae infra de Fulvio Nobiliore exposita sunt.

agebat. Ex ea enim memoria, quam O. Iahnius (relat. Lips. a. 1856 p. 294sqq.) egregie enarravit, facile intelligitur quid fuerit quod Ennium post Livii tempora in Aventino monte h. e. circa eam aedem quae in illius honorem poetis histrionibusque concessa erat, habitasse dicant in eodemque cum Ennio contubernio Caecilium poetam commoratum esse (Hieronym. p. 26 Reiff.). Ad locum habitationis haud scio an referenda sint quae Varro de lingua Latina (v 163) scripserat: nam nunc post magnum interstitium haec tantum leguntur — — *ligionem Porcius designat cum de Ennio scribens dicit eum coluisse Tutilinae loca. sequitur porta Naevia* eqs. Porcium quem dicit Porcium Licinum intelligimus, eundem qui de Terentio scripsit, de quo versus nonnullos quos fecerat liberius ut poeta nec ad exactam rerum fidem Suetonius in vita Terentiana servavit. Is igitur, ut ait Varro, de Ennio scripsit; cuius scriptum cum ille cognitum haberet tum nosse potuit Suetonius. Hodie cum nihil nisi una sententia supersit, aegre ferendum est quod ne ea quidem integra frui licet, saltem ut de sensu constaret: putaverim autem *religionem* scriptum fuisse et Porcium cum Ennium dicat *Tutilinae loca coluisse* non proprie sed figurate locutum esse. Si recte statuitur, quod ex ordine locorum qui est apud Varronem colligi posse existimarunt, *Tutilinae loca* ad Aventinum montem pertinuisse aut in vicinia quidem Aventini fuisse, ad Hieronymi fidem aliquid ex Porcii indicio accesserit.*) Ecquid effici possit de Ennii habitatione ex iis quae Cicero scribit (Lucull. 16, 51) *num censes Ennium cum in hortis cum Servio Galba vicino suo ambulavisset dixisse 'visus sum mihi cum Galba ambulare'*, cum Galbam in cuius hortis ambularet Ennii vicinum dicit, mihi obscurum est.

Vita quam Romae degit Ennius principio quidem qualis fuerit, documento sunt quae Suetonius in libello de grammaticis tradidit, cum de initiis grammaticae Romanae ita dicat (1 p. 100R.) *initium grammaticae mediocre exstitit, si quidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetae et semigraeci erant, Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est, nihil amplius quam Graecos interpretabantur aut si quid ipsi Latine composuissent praelegebant.* Quos Graeca Latinaque lingua domi forisque docuisse a quo quibusve *adnotatum* fuerit si quaeritur, rursus relabimur ad Varronem, quo nemo melius de principiis grammaticae iudicare potuit. De Livio solo hoc idem vel simile Hieronymus ex Suetonio, sed ex alio quo loco opinamur, ad a. Abrah. 1830 (a. u. c. 567) adnotavit: *ob ingenii meritum a Livio Salinatore cuius liberos erudiebat libertate donatus est;* de Ennio

*) De Tutilina et Tutilinae locis vide nunc G. Wissowa *Religion und Cultus der Römer* (München 1902) p. 195.

nihil tale aliunde compertum est: sed Suetonio fidem habentes animo nobis informamus Ennium qui Livio fortasse iam mortuo Romam venit idem officium mercedis causa primo post adventum tempore aliquamdiu sustinuisse eaque necessitate quemadmodum Livius Odysseam ipsum alia composuisse quibus in docendis pueris uteretur.

Ad haec potissimum tempora credas pertinere quod ab Hieronymo dicitur *parco admodum sumptu contentus et unius ancillae ministerio,* quamquam Cicero Catonem de sene Ennio ita loquentem facit (Caton. m. 5, 14) *ferebat duo quae maxima putantur onera, paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur* (cf. supra p. VII): quae quam certa sint et unde ducta, aegre definias. Sed illa Hieronymi, ut recte iudicentur, licet fortasse ex quo fonte petita sint non sine probabilitate demonstrare. In Ciceronis enim secundo de oratore, ubi de ridiculorum et facetiarum generibus agitur, a c. 68, 275 Iulius Caesar haec disputat: *Ex quo genere est etiam non videri intelligere quod intelligas*, *ut . . . illud Nasicae: qui cum ad poetam Ennium venisset eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse et illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius et eum a ianua quaereret*, *exclamat Nasica domi non esse. Tum Ennius 'quid ego non cognosco' inquit 'vocem tuam?' Hic Nasica 'homo es impudens. ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?'* Quae lepida sunt, poterantque ab Ennio ipso in satura aut nescio quo carmine narrata esse. Ea autem a Cicerone repetita verisimile est non sprevisse Suetonium, qui et quantopere hoc genus fabellarum adamaverit et quam curiosus fuerit Ciceronis si quae ad eum modum haberet, vita Terentiana locuples testis est. Hinc igitur natum est, nisi me fallit opinio, *unius ancillae ministerium,* quo Hieronymus dicebat Ennium contentum fuisse. Nam licet hoc vulgare sit indicium paupertatis, ut Seneca ad Helviam scribit 12, 4 *unum fuisse Homero servum, tres Platoni, nullum Zenoni satis constat* (cf. Ter. hautont. 293), a Tulliana fabella aberat omnis parci sumptus vel paupertatis significatio, quae uni deberi Hieronymo videtur. Nasica, quem Cicero dicit, est ut videtur P. Cornelius Scipio Nasica consul anni u. c. 563: cum hoc igitur nobili viro videmus quam familiariter vixerit Ennius, sed is nobilium multorum familiaritate usus esse creditur, inprimis Scipionis Africani, quem Ennius quidem multis laudibus sustulit, epigrammate altero (nam prius sepulcrale est) et carmine singulari post Hannibalem devictum reditumque victoris, ut videtur, condito, cuius Horatius memor est cum scribit illa (c. IV 8)

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis

Post mortem ducibus, non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
Non incendia Carthaginis impiae,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes quam Calabrae Pierides.

Nam annalium nullam partem Scipionem vidisse mihi persuadetur. Sed ex altera parte de amicitia quae inter eos fuerit nihil traditum est, nisi quod Cicero scribit pro Archia (9, 22) *carus fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore:* quae scholiasta Bobiensis (p. 358 Or.) in eandem sententiam latius explanavit: *natione Rudinus fuit Q. Ennius quem superior Africanus dilectum familiarissime etiam communicato sepulchri honore dicitur in maiorum suorum numerum redegisse.* Sed apparet colligi istam quam praedicant familiaritatem Scipionis cum Ennio ex credita statua Ennii quae fuerit in Scipionis sepulcro constituta. De qua re quid probabile sit suo loco exponam. Sed facile credimus etiam sine teste Scipioni Africano carum fuisse eum poetam qui tam praeclarus praeco esset rerum ab eo gestarum. Nam mero lusui poetico debentur ea quae Claudianus de consulatu Stilichonis (lib. III praef.) de Ennio paene perpetuo Scipionis in pugnis ac proeliis comite cecinit: ex quibus satis sit attulisse (11) *Haerebat doctus lateri castrisque solebat Omnibus in medias Ennius ire tubas.*

M. Catonis quoque magna laus fuit in annalibus, id quod Cicero affirmat ibi ubi similiter de Africano loquitur (ann. XII fr. IV). Qui quod Ennium *familiarem nostrum* dicit (de sen. 4, 10), cavendum est ne huic Catoni Tulliano nimium tribuamus qui magis ad Ciceronis mentem quam ad rerum veritatem loqui videtur. Nam naturam duorum propius inspicienti multo plura apparebunt quae, licet Cato Ennium Romam deduxerit, familiari eorum commercio adversarentur quam quae ei favere possent. Cuius rei, ut mittamus acerrimas inimicitias quibus Cato Scipionem Africanum persecutus est, statim unum necesse est indicium afferamus.

Nam vera haud dubie amicitia fuit Ennio cum Fulviis, patre et filio, quorum ille, M. Fulvius Nobilior, consul anni u. c. 565, cum Aetoliam provinciam sortitus esset (cf. Livius XXXVII 50, 8), Ennium poetam secum in provinciam deduxit. Quod Cicero in oratione pro Archia poeta, cum poesis dignitatem poetarumque laudem efferret (11, 27), in hunc modum expressit: *iam vero ille qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare.* Ac ne huic uni sententiae subtili contrariorum ratione politae fides habeatur, in promptu est alterum Ciceronis testimonium, quo auctor gravissimus rei narratae cognoscitur: in Tusculanarum enim disputationum primo (2, 3),

ut sero poesim a Romanis acceptam nec poetas satis honoratos fuisse doceret, *honorem* inquit *huic generi non fuisse declarat oratio Catonis in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset: duxerat autem consul ille in Aetoliam ut scimus Ennium.* Quae oratio habita non ante annum u. c. 567, quo anno Fulvius triumphum egit ex Aetolis, etsi Ennii nomen ut videtur non tenuit, tamen et rei veritatem probat et Catonis iniquitatem in Ennium liquido demonstrat: ut quem olim ex Sardinia Romam deduxerat, eum vix videatur familiaritate sua dignatus esse.*)

Ennius autem Fulvium non militandi causa comitatus est in Aetoliam, quod Catoni certe minus offensioni futurum erat, et Cicero parum accurate scribit in Bruto (20, 79) ubi de Fulvii filio loquens de Ennio dicit *qui cum patre eius in Aetolia militaverat***); quamquam memoria militantis in Aetolia Ennii ad Symmachum permansit, qui in epist. (I 20, 2) cum haec scribit *sed cui eveniet aut tam felix discipulus aut tam memor debitor? an ignoramus magnum illum, cui supra votum fortuna fluxit, Stagiritae suo nihilum commodasse, nisi quia Ennio ex Aetolicis manubiis captiva tantum chlamys muneri data Fulvium decolorat,* quid sentiat apertum est, sed difficile dictu quo rivulo haec ad hunc scriptorem permanaverint. Sed Ennius cum consule profectus est in provinciam, ut simul esset cum homine erudito et in litteris versato, et, si forte, ut poeta ducis laudes carmine illustraret. Clarissima res erat eius expeditionis expugnatio Ambraciae Aetolorum urbis, quam Livius enarrat (XXXVIII 4—9), nec vana est opinio Ribbeckii *Ambraciam* Ennii aliquotiens citatam a Nonio praetextam fuisse his rebus gestis dicatam, licet paucula quae restant fragmenta nihil habeant quod cum hac re sit coniunctum. Quae in annalium lib. XV de iisdem rebus exposita erant multo posterioris temporis fuerunt, ut quae ad eum librum adscripta sunt Aurelii Victoris verba (de vir. illustr. c. 52) *M. Fulvius Nobilior consul Aetolos... proeliis frequentibus victos et in Ambraciam oppidum coactos in deditionem accepit ... de quibus triumphavit. quam victoriam per se magnificam Q. Ennius amicus eius insigni laude celebravit* fortasse rectius ad *Ambraciam* afferenda essent, nisi quod ibi nullum

*) Haec oratio in Fulvium est qua supra p. X n. significabam posse fieri ut Cato Ennii a se de provincia deducti mentionem fecerit. Sed apparet quam incerta res sit. Catonem autem adeo ex Ennio sumpsisse quibus orationi suae colorem poeticum impertiret, quod E. Nordenum (*Kunstprosa* p. 168) statuere video, mihi non persuadetur nec hoc exemplis quibus utitur probari posse concedo.

**) Quod Archiam poetam Cicero scribit in ea oratione (5, 11) *proximis censoribus cum clarissimo imperatore, L. Lucullo, apud exercitum fuisse,* nihil dicit nisi ab urbe afuisse.

est earum rerum indicium, in annalium libro sunt quae eo referre liceat.

Biennio post a. u. c. 567 verisimile est Ennium cum Fulvio ad triumphum properante Romam revertisse; et quam benevolentiam patris expertus erat, eam non denegavit filius. De quo Cicero scribit in Bruto (20, 79) *Q. Nobiliorem M. f. iam patrio instituto deditum studio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit, cum triumvir coloniam deduxisset, et T. Annium Luscum, huius Q. Fulvii collegam, non indisertum dicunt fuisse.* Coloniam quam Cicero dicit Livius tradit a. u. 570 deductam esse, qui xxxix 44, 10 haec memorat: *eodem anno coloniae duae, Potentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum, deductae sunt: sena iugera in singulos data: diviserunt agrum coloniasque deduxerunt iidem tresviri, Q. Fabius Labeo et M. et Q. Fulvii, Flaccus et Nobilior.* Ergo hac coloniae deducendae occasione usus est Q. Fulvius, ut suo iure Ennium poetam inter colonos deducendos reciperet*), eique hac via eam qua carebat adhuc civitatem Romanam adquireret. Hoc igitur est quod Cicero dicit pro Archia (10, 22) cum probato Ennio, quod laudibus clarorum virorum patriae laudem auxerit hoc addit *ergo illum qui haec fecerat Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt,* et hoc illud est quod Ennius ipse iam quinquagesimum quintum annum agens gloriabundus pronuntiavit *nos sumus Romani qui fuimus ante Rudini* (ann. xii fr. viii).

In extremam aetatem Ennii videntur cecidisse quae Cicero memorat in Lucullo (16, 51) *num censes Ennium cum in hortis cum Servio Galba vicino suo ambulavisset dixisse 'visus sum mihi cum Galba ambulare'? at cum somniavit, ita narravit 'visus Homerus adesse poeta.'* Quae sic dici videntur, ut necesse sit tum constitisse Ennium Servii (Sulpicii) Galbae vicinum fuisse et cum eo in hortis ambulare solitum esse. Qui Galba si est is, de quo Cicero multa in Bruto (23. 24), quem constat a. u. c. 603 praetorem fuisse, potuit fieri ut adolescenti cum sene Ennio usus et consuetudo esset. De vicinia eorum supra dixi. Sed si haec vera sunt, unde ea sumpsisse Ciceronem credimus nisi forte ab ipso Ennio alicubi commemorata erant?

Cum Servio Galba temporis ratio suadet ut coniungantur ea quae de A. Postumio Albino tradita sunt: de quo charta saec. vi magnis litteris scripta a Iacobo Cortesio inventa et edita a. 1884 (*Rivista d. filol.* xii p. 396), iterum eodem anno a Fr. Buechelero

---

*) Haec est eadem deductio quam Hieronymus dicit cum in memoria Accii poetae ad a. Abr. 1878 a. u. c. 615 scribit: *a quo et fundus Accianus iuxta Pisaurum dicitur quia illuc inter colonos fuerat ex urbe deductus,* nisi quod haec non poetam sed poetae patrem attingunt.

(mus. Rhen. xxxix p. 623) publicata et commentata cum alia tum haec nobis antea incomperta refert: *Graece autem ut scimus historiam ille confecerat Q. Ennio poetae inscriptam.* Atqui quoniam Albinum a. u. 599 praetorem fuisse (Cic. Lucull. 45, 137), a. 603 consulem (Cic. Brut. 21, 81. Liv. epit. 48. Polyb. xxxv 3, 7) constat, consequens est ut quam historiam Graece scriptam Ennio poetae inscripsisse traditur, non potuerit nisi adolescens scripsisse, Ennio autem perseni obtulisse.

Ennium qui se dixit *numquam poetari nisi podagrum* (sat. 64) quemque Horatius, quod ab illa re fortasse non erat seiunctum, *numquam nisi potum* dicit *ad arma prosiluisse dicenda* (ep. i 19, 7), totam vitam quam Romae degit h. e. ab anno 550 usque ad exitum in poetandum h. e. in carmina multa et varia condenda insumpsisse multa sunt quae patefaciant. Qui quidem quibus temporibus quae carmina ediderit exceptis perpaucis dici non potest. *Scipionem* poema epicum (nam epicum esse, quod numquam dubitari debuit, et res clamat et a Suida relata sententia Ennii (i), qua qui Scipionis laudes caneret nisi Homerum dignum esse neminem fassus est) vidimus victoriam Zamae reportatam (a. 552) parvo intervallo secutum. *Ambraciam* non posse longius a triumpho Fulvii a. 567 abesse res ipsa poscit. Tragoediam *Thyestem* certo auctore constat extremo Ennii anno actam esse. *Achilles Aristarchi* quando edita esset sciremus si prologum in Plauti Poenulum, qui ab ea tragoedia exorditur, notum esset cui anno tribui oporteret, quem esse annum 565 dubitabilis opinatio est, nec plus affirmare licet quam ante a. 570 qui Plauti fuit extremus hanc fabulam editam esse. Unum est testimonium longe certissimum quod Varroni et Gellio acceptum fertur, quo Ennium probatur duodecimum annalem aetatis anno sexagesimo septimo h. e. a. u. c. 582 scripsisse. Unde exorsus in actis academ. a. 1886 demonstrare conatus sum, *annales* a sene Ennio scriptos h. e. non ante annum 570 coeptos et in posteriore vitae parte usque ad finem eius continuatos esse, plane ut Naevium Cicero testatur *bellum Poenicum primum* senem h. e. minimum sexagenarium composuisse. Ennius autem cum consulem anni 550 Cethegum in nono annali (fr. iv) hunc in modum celebret

Additur orator Cornelius suaviloquenti
Ore Cethegus Marcus Tuditano collega
Marci filius
is dictust ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant
Flos delibatus populi

ipse sibi testis est, se non exiguo temporis spatio (ex mea computatione praeter propter viginti quinque annorum) ab illo consulatu semotum haec cecinisse. Nec solum in duodecimo annali

se senem esse testatur Ennius sed ita se appellat in epigrammate I cum ita dicit

Aspicite o cives senis Enni imaginis formam:
Hic vestrum panxit maxima facta patrum,

quorum haec postrema cum non possint nisi ad annales referri, a se sene esse maxima facta patrum composita indicat.

Priorem autem vitae partem inde ab anno 550, quo Romam venit, scenae potissimum operam dedisse iam ob eam causam probabile est, quia hac via licebat parare quae ad victum cultumque maxime necessaria essent. Ac licet numquam destiterit tragoedias scribere, quod Thyestes arguit supremo anno vitae edita, tamen consentaneum est Ennium a fabulis scribendis et docendis initium fecisse et bonam partem tragoediarum ante coeptos annales vulgatam fuisse. Numerantur hodie quoque tragoediae viginti quattuor, tres comoediae, praetextae duae, saturarum libri quattuor vel sex, multa alia varia et partim grandia. Quae qui reputabit intelliget haec satis fuisse ad explendam vitam etiam longissimam, ac licet Ennius grandaevus non fuerit, tamen ne brevitatem quidem vitae incusare poterat.

De morte quae aut Cicero tradit aut Hieronymus iam supra p. VI cum ageretur de anno natali disceptata sunt. Quorum ille cum scribit (in Bruto 20, 70) *C. Sulpicio Gallo praetore ludos Apollini faciente cum Thyestem fabulam docuisset Q. Marcio Cn. Servilio consulibus mortem obiit Ennius,* videtur indicare velle poetae obitum praeter exspectationem accidisse, h. e. ludis Apollinaribus, quos Sinnius Capito apud Festum (p. 482, 17 Th.) scribit *Claudio et Fulvio consulibus ex libris Sibyllinis institutos* (idem Livius XXV 12, 10 sqq. ad a. 542), cum a praetore Sulpicio Gallo consulibus Q. Marcio Cn. Servilio h. e. a. 585 fierent, Ennium Thyestem docuisse eodemque die mortem obiisse. Hieronymus addit *articulari morbo,* idque quodammodo confirmatur versu Ennii quo se podagra laborare conqueritur, Q. Serenus Sammonicus autem in libro medicinali cap. XXXVI cui inscripsit *ischiae et articulari morbo* (v. 706) dicit *Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua, Hoc vitio tales fertur meruisse dolores,* quae ille ex Horatii versu supra allato et ex Suetonio unde sua hausit Hieronymus in unum colligavit. Quae Hieronymus porro adiecit sepulturam attinent: *sepultusque in Scipionis monumento via Appia intra primum ab urbe miliarium: quidam ossa eius Rudiam ex Ianiculo translata affirmant.* Quae duplex est memoria; et hanc alteram ita intelligendam censeo, ut corpus poetae mortui in Ianiculo sepultum h. e. combustum, ossa autem eius Rudias in patriam translata esse dicantur. Quibus mos consuetus multisque exemplis confirmatus describitur. Velut Cornelius Nepos in vita Eumenis extrema scribit *Antigonus Eumenem mortuum propinquis eius sepeliendum tradidit:*

*hi militari honestoque funere . . humaverunt**) *ossaque eius in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque eius deportanda curaverunt:* a quibus vix discedunt quae Plutarchus de eadem re in vita Eumenis (c. 19) tradidit. Valerius Maximus (v 1 ext. 6) *Hannibal Ti. Gracchum Lucanorum circumventum insidiis cum summo honore sepulturae mandavit et ossa eius in patriam portanda militibus nostris tradidit;* cf. ibid. 4 Livius VIII 24, 16 Gellius XV 20, 10. His Hieronymi verbis, quamquam Ennium Tarenti natum esse dixit, Rudiam (immo *Rudias*)**) eius patriam agnosci, iam supra memoravi: in Ianiculo autem Ennium sepultum h. e. crematum esse eo probabilius est quia idem Hieronymus de Caecilio poeta refert *mortuus est anno****) *post mortem Ennii et iuxta Ianiculum sepultus:* quibus hoc indicatur Caecilium quem primo *contubernalem*†) Ennii fuisse dixit Hieronymus, ut in vita ita in morte et sepultura ab Ennio non seiunctum fuisse. Quare hoc de Ennio qui affirmarunt, recte videntur affirmasse. Sed ne alteram quidem memoriam quae est de Scipionis sepulcro Suetonius et qui eius vestigia legit Hieronymus praeterire potuit: adeo haec narratio vulgata erat iam a Ciceronis aetate. De qua re quod Hieronymus, qui situm monumentorum Scipionum recte indicavit, ita locutus est est *sepultusque in Scipionis monumento,* prave locutus est suo vitio, non Suetonii ut videtur, quod idem est in schol. Bobiens. ad Ciceronis pro Archia supra p. XIII relato. De statua enim Ennii agitur in

---

*) *humaverunt* h. e. combusserunt, cremarunt, ut sententia docet, neque hoc mirum in ista consuetudine qua vocabula sepulturae multis modis inter se miscentur. Unde intelligitur, quod Horatius in Vita (p. 48) dicitur *humatus et conditus esse extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum,* recte dici et prave *humatus* a Reifferscheidio secludi: hoc enim dicitur: combustus est et in suo sepulcro conditus; nam nunc non erat quod ossa alio mitterentur. Ossa autem sepulti h. e. combusti alio deportari quantopere moris fuerit vel illa declarant quae de Themistoclis obitu Thucydides I 138, 6 et ex Thucydide Nepos in vita Themistoclis 2, 5 perhibuerunt. Cf. Servius in Aen. I 619 p. 181, 25 Thil. et II 116 p. 238, 4.

**) De forma nominis cf. Mommsenus CIL IX p. 6.

***) Qui *anno post mortem Ennii III* vel *IV* reposuerunt rationibus parum firmis quas nunc non excutio, orationi videntur nocuisse: nam ut Cicero dicit Tusc. disp. I 1, 3 *anno ante natum Ennium,* Cat. mai. 4, 10 *anno enim post consul primum fuerat quam . . .,* Brut. 18, 72 *anno ipso ante quam natus est Ennius,* Livius VII 3, 8 *anno post reges exactos,* sic memoratu dignum erat *anno post mortem Ennii mortuum esse,* alterum illud non item.

†) Quod *primo contubernalem Ennii* fuisse scribit, intelligitur id quod Suetonius de gramm. c. 7 Gniphonem dicit *in contubernio Dionysii Scytobrachionis* fuisse. Nec fere planius aperiri videtur quid sit id quod *contubernalis* dicatur quam iis quae Cicero scribit ad Att. II 14, 2 *C. Arrius proximus est vicinus, immo ille quidem iam contubernalis, qui etiam se idcirco Romam ire negat ut hic mecum totos dies philosophetur.* Ut idem sit quod de Diodoto scribit in Bruto 90, 309 *qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset.*

sepulcro Scipionis imposita: sic Cicero dicit pro Archia (9, 22) *carus fuit Africano superiori noster Ennius: itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore;* sic Livius (XXXVIII 56, 4), ut mittamus alia ibi exposita quae liquido ostendunt, quam multa de Scipione mortuo in diversas partes traherentur, *Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Q. Ennii.* Et hi quidem duo ipsis verbis patefaciunt se referre id quod fando audierint. Fidentius loquitur Ovidius ut poeta et honoris causa memorans (art. am. III 409) *Ennius emeruit Calabris in montibus ortus Contiguus poni Scipio magne tibi;* item Valerius Maximus (VIII 14, 1) *superior Africanus Ennii poetae effigiem in monumentis Corneliae gentis conlocari voluit quod ingenio eius opera sua inlustrata iudicaret . . si litterarum quoque illis lumen accessisset magni aestimans, vir Homerico quam rudi atque inpolito praeconio dignior.* Inprimis Plinius (nat. hist. VII 114) ut ingenia summis honoribus affecta esse exemplis doceat magnifice ut solet haec de eadem re affert *prior Africanus Q. Ennii statuam sepulcro suo imponi iussit* (quae Solinus I 122 ad verbum recepit) *clarumque illud nomen, immo vero spolium ex tertia orbis parte raptum*), in cinere supremo cum poetae titulo legi.* Apparet non tenuiter crevisse fiduciam rei narratae. Sed qui Ennii statuam Scipionis iussu in sepulcro suo impositam volunt, non videntur reputasse Scipionem duodeviginti annis ante Ennium decessisse. Quod vero Plinius, si hanc artificiose quaesitam orationem recte intelligo, titulum in statua Ennii legi indicat, Ciceronis et Livii verba persuadent hoc credi non posse. Itaque abiicienda est haec fabella, quae quo tempore nata est et vulgata memoria Ennii nondum periit, qui et aequalis Africani et rerum gestarum eius magnus laudator fuit.**)

Aequalium poetarum Ennius vetustissimos, Livium Andronicum et Cn. Naevium, fortasse ne novit quidem, quorum ille incertum est quousque vitam ultra a. 547 extenderit; qui annus ultimus est quo Livii mentio fit: conditum enim ab eo carmen a choro virginum publicae salutis causa cantatum esse Livius ad eum annum (XXVII 37, 7) tradit, cuius carminis causa probabile est Livio Andronico eum honorem impertitum esse quem supra p. X Festo teste memoravi (cf. Dielsii fol. Sibyll. p. 90). Nam quae Cato

---

*) *Spolium ex tertia orbis parte raptum* video Detlefsenum in indice velle Ennium dici, sed dicitur Africanus, cuius nomen est quasi spolium raptum ex tertia parte orbis quae est Africa, ut Servius scribit in Aen. I 385 p. 130, 4 Thil. *in Africa positus quae orbis pars tertia est,* quamquam idem III 1 p. 333, 1 *Asiae quasi tertiae orbis partis.*

**) De Scipionum elogiis quae vocantur nihil dico nisi mihi parum probabile visum esse quod Ed. Woelfflinus probare studuit ab Ennio composita esse.

apud Ciceronem in dialogo de senectute (c. 14, 50) quo 'nihil esse otiosa senectute iucundius' doceat *quam* inquit *gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo. vidi etiam senem Livium: qui cum sex annis ante quam ego natus sum* (h. e. 520 a. u.) *fabulam docuisset Centone Tuditanoque consulibus* (a. 514) *usque ad adolescentiam meam processit aetate,* ea, si modo fidem habeas iis quae tali modo tradantur, et illa quidem nihil vitiosi habent, ne requirunt quidem ulteriorem vitae Livianae annum. Naevium autem Cicero scribit in Bruto (15, 60) anno 550 mortuum esse: *his consulibus* inquit (Cethegum et Tuditanum dicit quibus consulibus et Cato quaestor fuit et Ennius Romam venit, h. e. a. 550), *ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus, quamquam Varro noster diligentissimus investigator antiquitatis putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius.* Et revera Hieronymus ad a. Abrah. 1816 h. e. a. u. 553 adnotat *Naevius comicus Uticae moritur pulsus Roma factione nobilium ac praecipue Metelli*, ut Suetonius Varronis sententiam adoptasse videatur, is autem Naevii vitam ad ipsum annum 553 produxisse. Sed sive a. 550 mortuus est sive paucis annis post, quoniam non Romae decessit sed pulsus patria in terra peregrina, tamen dubium admodum est, videritne Ennius Naevium necne. Sed longe post Naevii obitum Ennius ubi in annalibus ad bellum Punicum primum narrandum accessit, acrius de Naevii bello Punico, fortasse ne nominato quidem auctore, iudicavit iramque Ciceronis, qui magnus Naeviani carminis admirator erat, excitavit: *Naevi* inquit in Bruto (19, 75 sq.), *quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat: sit Ennius sane ut est certe perfectior, qui si illum ut simulat contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset: sed ipse dicit cur id faciat: 'scripsere' inquit 'alii rem Versibus'* (scil. *quos olim Fauni vatesque canebant,* Brut. 18, 71), *et luculente quidem scripserunt etiamsi minus quam tu polite, nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa si fateris, vel si negas surripuisti.* Versibus qui in principio septimi annalium positi sunt ea ratione dispertiti qua ex Ciceronis indiciis dispertiendi erant ut sententia patefieret, hoc maxime agebat Ennius ut immensum progressum quem poesis Romana a Saturnii ruditate, qua cum Livio Naevius usus erat, ad politiorem hexametrorum formam a se primo temptatam fecisset, graviter nec sine sui praedicatione exponeret. Sed Ennium a Naevio sive sumpsisse multa sive surripuisse quam recte Cicero dicat, difficile hodie dignoscitur; et in bello quidem Punico primo vix esse opinor quod eum ab illo mutuatum esse fidentius affirmes, sed quoniam Naevium notum est in suo carmine ab Aenea et initiis rerum Romanarum exorsum esse, in hac parte, quam Ennius non parce tractavit, vestigia quaedam quae hodie exstant (vide ad ann. I fr. XXVIII et quae in altera parte

huius praefationis ad I fr. XVI. XVII adnotavi) fidem faciunt olim plura fuisse quae posterior poeta cum priore communia habuerit.

Cum Plauto multos annos Ennius una vixit Romae. Cicero enim (in Bruto 15, 60) cum *Plautum* scribit *P. Claudio L. Porcio viginti annis post illos quos ante dixi consulibus mortuum esse Catone censore,* quo nullum esse certius testimonium potest sive ex veteribus commentariis quos ibi dicit sive a Varrone vel Attico sumptum est, indicat viginti annis post consules quos supra dixit Cethegum et Tuditanum, quibus consulibus Ennium Romam deductum scimus h. e. a. 550, Plautum e vita excessisse. Sed de commercio quod fuerit inter eos nihil compertum est, nisi quod prologus Poenuli ab his versibus exorsus

Achillem Aristarchi mihi commentari lubet:
Inde mihi principium capiam ex ea tragoedia.
'Sileteque et tacete atque animum advortite.
Audire iubet vos imperator' histricus

et qui insequitur undecimo

Exsurge, praeco, fac populo audientiam,

tragoediae verbis maluit quam suis ad silentium et audientiam spectatores vocare: quam tragoediam Ennianam esse uno Festi testimonio ad fr. x adscripto constat. Probabile est Plautum (Plautinum enim hunc prologum esse non est quod dubitetur) cum tragoediam ex qua versus petiit nomine vocaret exspectasse spectatores clarissimi poetae fabulam cognitam habere etiam non nominato poeta, et fortasse ipsius scenae, quae versibus citatis indicetur, memores esse: quem quidem notum est etiam alibi ex tragoedia Romana quosdam rivulos in suam comoediam duxisse. Quod vero F. Schoellius (in mus. Rhen. XLIV 1889 p. 160) coniecit ex verbis Pyrrhi de captivis reddendis (ann. VI fr. XII)

Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis,
Non cauponantes bellum sed belligerantes
Ferro non auro vitam cernamus utrique

haec postrema Plautum inversa ad iocum meretricium transtulisse in Truculento 925 sqq.

STR. *Meosne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?*
Mortuum hercle me hodie satiust: apstine hoc, mulier, manum,
Nisi si te mea machaera vis et hunc una mori.
PHR. *Nil alapari satiust, miles, si te amari postulas.*
Auro, hau ferro deterrere potes, hunc ne amem, Stratophanes

id mihi non probatur, cum ex re ipsa meretrici haec nascatur sententia, quam alienam esse nemo suspicari possit: accedit quod vix concedendum est haec Plautum in Ennii annalibus legere potuisse.

Sunt quaedam in oratione Enniana, quae cum Plauti versibus conferri possint, quorum nonnulla ad versus ipsos adnotavi (ann. 125 scen. 295. 349), nec dubito quin aliorum diligentia plura

inventura sit, sed ne ea quidem est quod alterum sumpsisse ab altero quam utrumque ex communi sermonis usu prompsisse malimus.

Restant poetarum aequalium duo quos cum Ennio vixisse certum est, Caecilius et Pacuvius, in comoedia alter, alter in tragoedia princeps. Caecilium Statium cum Ennio ut in vita iunctum sic ne in morte quidem ab eo separatum voluisse veteres, supra p. XVIII ex Hieronymi memoria collegimus. Qui quod ad a. Abr. 1838 i. e. a. u. 575 suum illud consuetum *comoediarum scriptorem clarum haberi* adscripsit, in ea re non est quod peccatum esse statuatur, modo ne hoc initium esse claritudinis sumas. Ambivius enim Turpio, qui se tam Caecilianarum fabularum actorem quam Terentianarum fuisse prodit in hecyrae prologo, id quoque professus est Caecilio initio non contigisse 'populo ut placerent quas fecisset fabulas.' Quid ergo probabilius quam eundem paucis annis post Plauti obitum favorem popularem nactum esse quem adhuc desiderabat. Difficilius iudicatur quo tempore Caecilius, qui natione Insuber Gallus erat et Mediolani natus, Romam venerit, quod ante adventum Ennii accidisse vix arbitrere, sed licet de re incerta ita fere nisi fallor statuere, in bellis quae Romani post finitum bellum Punicum secundum cum Insubribus Gallis varie et compluribus annis gesserunt, velut a. 555 de quo Livius XXXII 7 aut a. 560 (Livio teste XXXIV 46), Statium servum utpote bello captum ad dominum Romanum, nescio quem Caecilium, pervenisse ibique libertate donatum et patroni nomine auctum primum in contubernio Ennii vixisse. Sed in poesis genere neutri cum altero certare licuit, si quidem Caecilius praestabat in ea quam unice colebat comoedia, Ennius in tragoedia excelluit, in comoedia valde claudicabat.

Alter est M. Pacuvius, item Calaber ut Ennius, sed non Rudinus, verum Brundusinus; qui duplex ratio est qua cum Ennio iungatur quia et cognatus fuit et eius discipulus vocatur. Plinius (nat. hist. XXXV 19) de pictura agens scribit *celebrata est in foro boario aede Herculis Pacui poetae pictura. Enni sorore genitus hic fuit clarioremque artem eam Romae fecit gloria scenae;* idemque de cognatione Suetonii beneficio Hieronymus refert ad a. Abr. 1863 i. e. 600 a. u. *Ennii poetae ex filia nepos,* sed cum discrimine, quod difficile dirimitur, propterea quod neuter peccavit in oratione sed uterque posuit quod scriptum oportuit.*) Quod Hieronymus porro dicit *vixitque Romae quoad picturam exercuit ac fabulas venditavit,* eadem via ad ultimum auctorem redeunt Plinium,

---

*) Sic Cicero scribit Brut. 76, 263 *Pompeii ex filia nepos;* idem de re p. II 18, 33 *Numae nepos ex filia;* cf. ibid. 10, 20; Servius in Aen. I 273 p. 102, 22 *Aeneae ex filia nepotem Romulum.* Ex altera autem parte de or. III 18, 67 *Speusippus Platonis sororis filius;* Brut. 83, 286 *qui fuit Demostheni sororis filius,* cf. de or. II 23, 95. Servius in georg. I 143 *Perdix sororis Daedali filius,* in Aen. VI 14 p. 7, 21.

qui mihi hoc voluisse videtur (sunt qui aliter interpretati sint), Pacuvium quia et poeta et pictor fuit, hanc artem Romae clariorem reddidisse fama quam fabulis in scena actis consecutus est. Ut mittamus picturam, tragoedias quo tempore docuerit Cicero indicat cum scribit in Bruto (64, 229) *omnibus usu venire necesse fuit quibus paulo longior vita contigit, ut et cum multo maioribus natu quam essent ipsi et cum aliquanto minoribus compararentur, ut Accius isdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset.* Quae Accium putant in didascalicis posuisse. Quod si est, nec probabile est Accium, ut alibi, ita de se errasse, nullo negotio conficitur duos poetas iisdem ludis tragoediam docuisse a. 614 u. c.: eo enim anno Accius, quem certissimo testimonio constat Mancino et Serrano consulibus (i. e. a. u. c. 584) natum esse, triginta annos habuit, et Pacuvius si eodem anno octoginta habebat, consequitur a. 534 natum esse. Quae si suo more Suetonius Cicerone auctore in vitam Pacuvii receperat, quid miri quod Hieronymus a. u. 600 (h. enim erat a. Abr. 1863) Pacuvium *tragoediarum scriptorem clarum habitum esse* testatus est. Accedit alterum. Gellius (n. A. XIII 2, 1) scribit Pacuvium grandi aetate Roma Tarentum concessisse et Accium multo iuniorem proficiscentem in Asiam Tarenti apud Pacuvium divertisse eique tragoediam Atreum recitasse et quae de ea fabula inter se disputassent. Apparet hunc congressum duorum poetarum Tarentinum posteriorem esse anno 614 quo Romae ambo tragoediam docuerunt, sed non multo posteriorem, quoniam Pacuvius iam tum octogesimum annum agebat et Tarenti prope nonagenarius teste Hieronymo obiit. Quae unde duxerit Gellius incompertum: loquitur ita *quibus otium et studium fuit vitas atque aetates doctorum hominum quaerere ac memoriae tradere, de M. Pacuvio et L. Accio historiam scripserunt huiusmodi.* Sed haec aliunde petita Suetonius Viris Illustribus adhibuit in vita Pacuvii vel Accii vel in ambabus. Quare Hieronymus in Accii memoria haec affert *seni iam Pacuvio Tarenti scripta sua recitavit,* de Pacuvio haec saltem *tandem Tarentum transgressus prope nonagenarius diem obiit.* Haec qui consideraverit, et ob eam causam exponenda duxi, intelliget parum credibile esse, Pacuvium, cuius ingenium minime ferax erat tragoediarum, vivo Ennio initium tragoediarum docendarum fecisse; qui mihi videtur multos annos picturam exercuisse et persenex se ad tragoedias componendas dedisse.

Discipulum autem Ennii, ut iam ad alteram partem veniam, dicit Pacuvium epigramma a Nonio Marcello p. 88, 4 ex Varronis satura *Ὄνος λύρας* traditum (356 B.)

Pacvi discipulus dicor, porro is fuit Enni,
Ennius Musarum, Pompilius clueor.

Hic Pompilius idemne fuerit cum eo qui a Varrone (de l. L. VII 93) dicitur *Apud Pompilium: heu qua me causa, fortuna, infeste*

premis, incertum est: nam quae apud Priscianum leguntur (III p. 90, 2 H.) iam constat ad Pompilium falso relata esse. Sed is qui se Pacuvii *(Pacvi)* discipulum dicit, si Pacuvium Ennii discipulum voluit ea mente qua Ennium Musarum, non est profecto quod Pacuvium vivo Ennio et eo docente tragicam artem didicisse statuamus. Aemulus haud dubie Pacuvius fuit Ennii et posteriore quidem tempore adeo superasse Ennium putabatur. Nec solum in tragoedia. Cum enim Diomedes (III p. 485, 32 K.) scribat *olim carmen quod ex variis poematibus constabat satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius,* similiter Porphyrio ad Horatii verba (sat. I 10, 46) *hoc erat experto* eqs: *quoniam alii alia carminum genera consummate scriberent . . . sermonum autem frustra temptasset Terentius Varro Narbonensis . . . item Ennius qui quattuor libros saturarum reliquit et Pacuvius huic generi versificationis non suffecissent, se id scribere ait*, utroque auctore constat Ennium Pacuviumque idem genus saturarum coluisse.

Tantum de aequalibus poetis: sed post mortem Ennii qui primus eius mentionem fecit et carminibus eius usus videtur est P. Terentius (a. 588—595), qui cum ius contaminandi fabulas contra criminationes Luscii Lanuini defenderet, cum aliorum tum Ennii auctoritatem appellavit in prologo Andriae: *qui cum hunc accusant Naevium Plautum Ennium Accusant, quos hic noster auctores habet.* Tres qui erant celeberrimos poetas nominat, quos credibile est in condendis fabulis illam rationem quam dicit Terentius secutos esse; sed de Ennio in iis quae hodie exstant nihil eius generis monstrari poterit, et quae de Iphigenia eius nonnulli commenti sunt irrita esse (in prooem. 1888/89 p. 9 sqq.) probare studui. Versus Ennianos Aelius Donatus Terentii interpres nonnullos explicandi causa ad versus Terentii adscripsit, de quibus suo loco dicendum est: sed in quibus Terentius ipse videatur Ennii memor esse perpauca sunt; nam ad adelph. (I 2, 31) *pro Iuppiter (tu homo adigis me ad insaniam)* quod Donatus adnotat *tragica exclamatio,* poterat hic quidem de Ennio cogitasse, et in promptu erat versus ex Hectoris lytris (XVIII) a Varrone citatus *tueor te senex, pro Iuppiter,* sed Terentio ipsi haec vix tragica exclamatio visa est, qua et ipse alibi utitur (adelph. III 3, 12) et Plautus (Menaechm. v 5, 54). Sed versus Iphigeniae (scen. 244) *quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas* videri possit Terentio in mente fuisse cum haec scriberet in adelphis (III 3, 32) *istuc est sapere, non quod ante pedes modost videre sed etiam illa quae futura sunt prospicere,* ubi Donatus sententiae vulgaris verbis paene Ennianis sed Ennio non appellato mentionem facit. Porro versum scenicum (380) *qui templa caeli summo sonitu concutit,* in quo Donatus *parodiam de Ennio* et *sententiam tragicam* agnoscit, Terentius, qui solus habet, ita affert (eun. III 5, 42) ut se uti alieno versu indi-

care videatur. Denique in saturarum lib. VI quos perscripsi versus (14—19) dubitari non potest quin Terentius imitatus sit in Phorm. II 2, 25, sed eos utrum de Ennio an alio poeta translatos dixerit Donatus incertum est ob incertam codicum scripturam.

Septimo autem ab urbe c. saeculo, cum studia grammatica a tenuibus initiis paulatim crescerent, mirum non est quod cum alia aliorum poetarum carmina tum Ennii inprimis annales a doctis hominibus tractari coepti sunt. De qua re luculentum est testimonium Suetonii de gramm. (c. 2 p. 100 sq. R.), qui exemplum a Cratete Mallota datum, quem sub ipsam Ennii mortem (a. 585) Romam venisse ibique diutius commoratum dicit, Romanos *hactenus imitatos* esse scribit *ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent; ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros; ut postea Q. Vargunteius annales Enni, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat.* Ergo duo opera legendo et ediscendo, non spectando destinata, quae tum sola exstabant, Romanorum ingenio maxime accommodata, homines docti et scribendo et legendo vulgare et quam plurimis nota facere instituerunt: et annales Ennii praecipue, quos Vargunteius certis diebus pronuntiasse h. e. recitasse dicitur, apparet quanto studio excepti sint. Eundem Vargunteium etiam criticam operam Ennii libris adhibuisse coniecerunt, sed ea quam probabilis sit coniectura dubium est. Anecdotum enim Parisinum quod Reifferscheidius in reliquiis Suetonianis (p. 137 sqq.) edidit, post enumeratas *notas quae versibus apponi consuerunt,* de earum usu haec subiicit *his solis in adnotationibus Ennii Lucilii* (*Lucii* cod.) *et historicorum usi sunt uarr$\overset{u}{o}$s hennius haelius aequae et postremo Probus qui illas in Virgilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Homero Aristarchus.* Quae multis partibus parum emendate scripta sunt, et ut *Lucilii* probe restitutum est, ita in *uarr$\overset{u}{o}$s hennius* delitescere nomen *uargunteius* speciosa opinatione statuerunt Bergkio principe: sed opinor haec duo nomina sunt, *varros hennius,* e quibus quid suscitandum sit nescio, sed hoc se ordine excepisse videntur *usi sunt uarros, hennius**), *Aelius aeque et postremo Probus.* Sed hoc utut est (nihil enim definire audeo), etiamsi criticam Vargunteius Ennio nondum adhibuerit, illud certum est, eum primis fere annis saeculi ab urbe condita septimi (tantum enim Suetonii narratione effici videtur) recitando Ennii annales vulgatiores reddidisse. Quem vero Suetonius Naevii bellum Punicum retractasse et in septem libros divisisse scribit, Octavium Lam-

---

*) Quae formae corruptae nihil videntur continere nisi vulgaria grammaticorum nomina *Varro, Ennius.*

padionem, simul Ennii annalibus curam impendisse, Suetonius quidem non dicit, sed ex aliis aliorum testimoniis satis probabiliter concludi videtur: nam si Gellius (XVIII 5, 11) narrat vel Antonium Iulianum narrantem facit, se ut certo diiudicaretur in annalium VII fr. XIII *ecusne an eques scriptum Ennius reliquisset, librum summae atque reverendae vetustatis quem fere constabat Lampadionis manu emendatum studio pretioque multo conduxisse,* etsi is liber quem Iulianus emit Lampadionis manu scriptus non erat, tamen necesse erat pro certo haberi Ennii annales a Lampadione emendatos esse et vel illo tempore ab eo scripta exemplaria vulgari. Et hoc confirmatur iis quae Fronto scribit ad M. Caesarem (p. 20, 4 Nab.) gloriatus orationem quandam suam Caesaris manu descriptam exstare: *contigisse quid tale M. Porcio aut Quinto Ennio, C. Graccho aut Titio poetae? quid Scipioni aut Numidico, quid M. Tullio tale usu venit, quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt a Lampadione aut Staberio aut... aut Aelio . . . aut Attico aut Nepote. Mea oratio extabit M. Caesaris manu scripta.* Nam licet in extrema parte sententia lacera sit et obscura, id non potest dubitari, quin Lampadionis nomen ad unum Q. Ennium pertineat et a Lampadione scripti annales Ennii praecipuum eius generis exemplum fuerint.

Temporum ratione hos quos dixi grammaticos rerum scriptor excipiat L. Coelius Antipater (c. a. 631), non quod Ennianas reliquias tradiderit, sed quia de eo exstat Frontonis iudicium perdignum quod memoretur et aestimetur. Fronto igitur ad M. Caesarem IV 3 p. 62 Nab. scribit *Quamobrem rari admodum veterum scriptorum in eum laborem studiumque et periculum verba industriosius quaerendi sese commisere. Oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius: poetarum maxime Plautus, multo maximeque Ennius eumque studiose aemulatus L. Coelius, nec non Naevius, Lucretius, Accius etiam, Caecilius, Laberius quoque.* Unde primum hoc intelligimus L. Coelium, qui septem libros de bello Punico secundo scripsit, Ennii annales in ea maxime parte non indignos habuisse quos studiosius lectitaret, et quoniam a Cicerone (de legib. I 2, 6 et de orat. II 13, 54) dicitur multum curae et operae in ornandam et poliendam orationem impendisse, in ea re ad Ennii exemplum se composuisse. Sed Frontonis sententiae cavendum est ne plus tribuatur quam par est: qui enim tenorem epistolae persecutus fuerit, perspiciet agi de facultate quaerendi vel eligendi verba ita ut proprietas sermonis retineatur: in qua re quantus fuerit Lucretius ipsi iudicare possumus. Hoc igitur est, in quo Coelius Ennium aemulatus dicitur, hoc est eandem quam ille diligentiam adhibuisse*): ea enim vis est

*) Si forte Coelius, quod nescitur, eorum fuerit quibus Ennius

aemuli quam Servius dicit in Aen. v 187 *aemula pristis: eiusdem rei studiosa, ut 'illo aemulo atque imitatore studiorum meorum' Cicero in Caesarianis* (pro Marc. 1, 2). Unde intelligitur quam probabiliter statuerint ii qui quia Livius Coelium inter auctores belli Hannibalici quos adhibuerit aliquotiens memoravit, si quae apud Livium colore quodam poetico distincta videantur, ea ad hunc aemulum Ennii referenda et hoc medio Ennianas reliquias ex Livio augendas esse sibi persuaserunt. Sed de ea re tum disserendum est cum de Livio agetur.

Cum Coelio par est coniungi L. Aelium Stilonem, cui ille historiam suam vel partem eius inscripsit: qui ut grammaticus et prisci sermonis Latini interpres haud dubie in Ennii carminibus curam collocavit, sed quod exstet, ut mittam quae supra p. xxv de notis criticis memorata sunt, nihil est nisi iudicium illud memorabile quod fecit de annalium versibus 234—251, quos ille teste Gellio credebatur affirmasse Ennium de se ipso scripsisse suique ingenii picturam esse voluisse.

Item aetatis Gracchanae qui Ennii mentionem fecerit C. Lucilius poeta (a. 620—651) memorandus est, qui primum poesis et poema quid interesset ut doceret haec exposuit a Nonio (p. 428, 9) excerpta (298—307 Lachm.)

Non haec quid valeant quidve hoc intersiet illud
Cognoscis? primum hoc quod dicimus esse poema,
Pars est parva poema, poema epigrammation vel
Distichum, epistula item quaevis non magna poema est.
Illa poesis opus totum, tota Ilias una est,
Una θέσις sunt annales Enni atque ἔπος unum,
Et maius multo est quam quod dixi ante poema.
Quapropter dico, nemo qui culpat Homerum
Perpetuo culpat neque quod dixi ante poesin:
Versum unum culpat, verbum enthymema locumve.

His quae dicendi morem Lucilianum egregie repraesentant et patefaciunt in eo quid Horatius fastidierit, quod praeter Homeri Iliadem annales Ennii afferuntur qui vim poesis expleant, non erat tum aliud magnum epos Latinum quod cum Homero componi posset, sed hoc quod erat non indignum habebatur quod Iliadi conferretur: et sic iudicavit postea M. Varro, cuius consimilem sententiam eodem loco Nonius perhibuit. Sed apparet haec quae dicit Lucilius

---

placebat quod ut ait Cicero (in or. 11, 36) *non discedit a communi more verborum,* esset quod ab Ennio disceret aemulus eius. In reliquiis Coelianis quod cum Ennio in verbis conferatur non invenio nisi quod *topper* (47 Pet.) eandem in significationem posuit quam Ennius (scen. 428); et quod Charisius affert ex Coelii historiarum primo (12 Pet.) *Sempronius Lilybaeo celocem in Africam misit* possit si cui libet conferre cum Ennii ann. 478 *labitur uncta carina per aequora cana celocis.*

eo consilio dici, ut ne quis prave interpretetur, si quae quis in poetis vituperet. Quod cum Homeri exemplo aperiat, potuit et voluit haud dubie idem de Ennio accipi. Cuius noluit poesim culpare, cum tamen versus quosdam carperet. Hoc enim Horatius dixit, qui se defendebat quod sibi sumpsisset nonnulla in Lucilio reprehendere (sat. I 10, 52 sqq.)

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero,
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci,
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore reprensis.

Ad quae haec est Porphyrionis adnotatio: *tragici Acci nihil mutat Lucilius? et hoc interrogativa figura cum ironia quadam pronuntiandum, quia ex contrario intelligendum est — — facit autem haec Lucilius cum alias tum vel maxime in tertio libro: meminit VIIII et X.* v. 54 *non ridet versus Enni gravitate minores: eadem qua supra figura et hoc dicitur. sensus autem est: non ergo etiam Enni versus ridet qui minores sunt quam quam dignitatem eius possit (quam quae dignitas ē eius par sit),* et quae sequuntur ad v. 55 ad unum Ennium relata non recte. Qui quae de libris Lucilianis dicit, quamquam ad unum Accium applicata, non minus videntur de Ennio valere, sed de *tertio libro* quod afferatur non reperio; quae sequuntur si sic recte interpretamur *meminit nono et decimo,* in promptu est v. 500 L. *Latere pendens saxa spargens tabo sanie et sanguine atro,* quem Nonius ex Lucilii lib. XVIIII affert, Cicero autem testatur Ennii versum esse ex Thyeste (scen. 363). Risit praeterea Lucilius versum Ennii de Scipione (VIII) *Sparsis hastis longis campus splendet et horret.* Servius enim cum scribit in Aen. XI 601 *horret ager: terribilis est: est autem versus Ennianus vituperatus a Lucilio dicente per irrisionem debuisse eum dicere 'horret et alget': unde Horatius de Lucilio: 'non ridet versus Enni gravitate minores',* non potest dubitari quin illum versum dicat, in quo non *splendet et horret* sed *horret et alget* dicendum fuisse Lucilius cum risu monuerat, sed in quo libro hoc, nescitur.

A medio fere saeculo ab urbe septimo videntur fuisse et Porcius Licinus, quem de Ennio scripsisse, ut ait Varro, supra p. XI vidimus, et Volcacius Sedigitus, quem Gellius (XV 24) refert *in libro quem scripsit de poetis* eos qui comoedias fecerunt ex sua dignitate ordinasse; qui hanc seriem decem poetarum a se constitutam claudit versu *Decimum addo causa antiquitatis Ennium;* nec miramur Ennium, cuius adhuc plerumque *annales* praedicabantur, in comoedia multo inferiorem fuisse.

His addantur cum M. Antonius Gnipho, de quo Suetonius c. 7 de grammaticis agit, sed nihil affert quod ad Ennium pertineat; quem commentatum esse annales Ennii Buechelerus collegit ex testimonio schol. Bernens. quod ad ann. X fr. IV adscripsi; ita enim rebar *Acan-*

thus nomen in annalibus locum habuisse idque eo modo esse interpretandum quem Buechelerus monstravit. Eundem Macrobius testatur disputasse quid esset *festra,* quo verbo etiam Ennius usus sit (inc. XXIX). Tum aequalis eius M. Pompilius Andronicus, de quo Suetonius de gramm. c. 8 haec memoriae prodidit: *cum se in urbe non solum Antonio Gniphoni sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transiit ibique in otio vixit et multa composuit, verum adeo inops atque egens, ut coactus sit praecipuum illud opusculum suum annalium Enni elenchorum sedecim milibus nummum cuidam vendere, quos libros Orbilius suppressos redemisse se dicit vulgandosque curasse nomine auctoris.* Hoc opusculum quod magni pretii fuisse nec exigui ambitus videtur, quam rationem quodve argumentum habuisse dicam incertus sum. *Opusculum* ad mentem auctoris ob caritatem vocatur, neque erat quod scriptura addubitaretur; inscripsit autem *annalium Enni elenchorum* eo sensu, nisi fallor, quo in nonnullis codicibus naturalis historiae Plinii, quos Silligius recenset p. 17, primo libro inscriptum est *historiarum mundi elenchorum* (vel *elenchos*) *librorum omnium XXXVII liber unus qui primus.* Ut Pompilius duodeviginti librorum annalium totidem numero periochas cuiuscumque eae modi erant confecisse videatur. Sed quidquid de titulo statuitur, tantum apertum est, doctum hominem eo tempore huic celeberrimo Ennii operi assiduam navasse operam.

Haec sparsa sunt ac tenuia testimonia de Ennio, quae tamen negligi par non fuit. Qui proximus est Lucretius (a. 699. 700) praeclarum Ennianae poesis praeconium fecit in primo de natura rerum cum ita dicit

Ignoratur enim quae sit natura animai,
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
Et simul intereat nobiscum morte dirempta,
An tenebras Orci visat vastasque lacunas,
An pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quae clara clueret;
Etsi praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus edens,
Quo neque permanent animae neque corpora nostra,
Sed quaedam simulacra modis pallentia miris;
Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem lacrimas effundere salsas
Coepisse et rerum naturam expandere dictis.

Sunt versus egregii quibus poeta digrediendi causam quaesivit ut Ennii laudes insereret. Redeunt autem ad exordium annalium ibique narratum somnium ac retinent haud exigua orationis Ennianae vestigia. De qua re nuper egi in relat. acad. a. 1896 p. 717sqq. (*'Über*

Ennius und Lucretius') et selecta quaedam exempla imitationis Ennianae apud Lucretium monstravi (vid. ann. 323 et 606): nam multa sunt quibus sermo Lucretianus colores duxisse ab Ennii eloquio videatur; cuius generis nonnulla in adnotatione memoravi: cf. ann. 149. 312. 353, alia.

Caesaris nomine memorandum est quod inter eius libros servatum exstat bellum Hispaniense, cuius auctor bis verbis aut versibus Ennianis usus est, ann. 572 *hic ut ait Ennius pes pede premitur, armis teruntur arma,* quae ne voluit quidem, opinor, aut non potuit suis numeris afferre, et ann. 587 *hic tum, ut ait Ennius, nostri cessere parumper;* et his duabus reliquiis nemo praeter hunc testis exstitit, nec tamen credibile est istum scriptorem haec ipsum ex Ennii voluminibus expiscatum esse, sed utrumque (*parumper cessere* etiam Livius scripsit) ita comparatum est suapte sententia ut facile una cum auctore hominum mentibus haereret. His duobus exemplis tertium addidit Ed. Woelfflinus (arch. lexicogr. VIII p. 597), qui haec verba (5, 6) *hic alternis non solum morti mortem exaggerabant sed tumulos tumulis exaequabant* sic fere in versus Enniani formam redigi posse censuit *Exaequant tumulis tumulos ac mortibus mortes Accumulant,* in *alternis (alterius)* delitescere *ut ait Ennius* suspicatus. Sed licet plausores opinioni audaculae non defuerint, mihi, ut verum fatear, vir doctus nimis incerta uti coniectura videtur, qua valde vereor ne sententia depravetur, in qua ipsum illud *alternis* suam vim habuit (confer si tanti est Silii XII 386). Illud idem recte observavit (arch. XII p. 162), hunc scriptorem *bene magnus, bene multum,* similia frequentare, sed hoc ex Ennio repetere, quia Porphyrio dixit (ann. 32) eum *frequenter bene pro valde* ponere, dubito, quoniam is usus vel Horatio placuit, ut hoc in communi sermone tritum fuisse credibile sit.

Cornelii Nepotis hoc loco mentio fit, quod Ennium a Catone Romam traductum memoravit, iis quidem verbis, quibus patefecit, quanti tum Ennius Romae habitus fuerit. Vide supra p. IX.

Accedimus ad eos qui ab iisdem fere temporibus plurimum ad conservandos vetustissimi poetae versus contulerunt, M. Varronem et M. Ciceronem. Quorum ille, ut hinc initium capiam, in eundem cum Lucilio sensum Iliadem Homeri et Ennii annales composuit, cum ita scripsit in Parmen. XIV (Menipp. 398 Buech.) *poema est lexis enrythmos, id est verba plura modice in quandam coniecta formam, itaque etiam distichon epigrammation vocant poema. poesis est perpetuum argumentum e rhythmis ut Ilias Homeri et annales Enni. poetice est ars earum rerum.* Varro, qui etiam principio rerum rusticarum Homerum et Ennium copulat (ann. 1), illa scripsit non immemor ut videtur verborum Lucilii, nisi quod illa intelligi potuit in quem usum scripta essent, apud Varronem hoc non apparet. Sed ut haec verba in satura posita sunt, ita credibile est Menippeas

non raro aut citasse Ennium aut eius orationem imitando reddidisse; cuius generis exempla quaedam Nonius servavit, qui multos Ennii versus ipsius nomine, nonnullos cum Menippeas excerperet sub Varronis titulo in compendiosam doctrinam rettulit. Qualia sunt: gerontodidascalo IX *non vides apud Ennium esse scriptum 'ter sub armis malim vitam cernere quam semel modo parere'* ex Medea v. Bimarco XV *cum Quintipor Clodius tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius,* cf. inc. XLIV. Quibus addam Pompilii epigrammation, de quo supra p. XXIII dixi, quod Varro in saturam Ὄνος λύρας (IX) recepit, non cognoscitur quo consilio, *Pacvi discipulus dicor, porro is fuit Enni, Ennius Musarum, Pompilius clueor.* Non nominato Ennio sexagessi II *adest fax involuta incendio,* sumpta ex Alexandro VIII v. 63. Testamento III *e mea philophthonia natis quos Menippea haeresis nutricata est tutores do 'qui rem Romanam Latiumque augescere vultis'* ex ann. 466. Endymion. III *dum sermone cenulam variamus, interea 'tonuit bene tempestate serena'* ex ann. 527. Περὶ ἐξαγωγῆς I *quemnam te esse dicam fera qui manu corporis fervidos fontium aperis lacus sanguinis* coll. Thyest. VII. Prometh. VI *humanae quandam gentem stirpis concoquit, frigus calore atque humore aritudinem miscet* coll. Epicharm. II. Sunt etiam alia Enniana a Varrone praeter Menippeas usurpata, velut quem Nonius ex antiquitatum libris attulit versum (ann. 617) *qua murum fieri voluit, urgemur in unum,* si modo is iure Ennianis adscriptus est, et quae idem Nonius *ex Varrone* affert *quem simulac Romam venisse mihi attigit aures nuntius, extemplo meos in curriculum contuli propere pedes,* quae satis prope videntur ad similitudinem eorum accedere quae ex Ciceronis imitatione petita ad Iphigeniam (VIII) relata sunt. Sed singula quaeque de Ennio quae a posterioribus testibus ex Varronis scriptis afferuntur, hoc loco colligere nolui, quamquam his quoque adhibitis eo magis patefieri potest quanta pars reliquiarum Ennianarum ad unius Varronis memoriam redeat. Sed de saturis, licet earum quoque notitiam non habeamus ex ipsis, alia res est. In quibus quod Varro tam multum et varium usum carminum Ennianorum fecit, quoniam eas a multis legi, doctis et intelligentibus, voluit, argumenti satis est ista aetate Ennii memoriam non obsolevisse, sed versus celeberrimi poetae multis notos fuisse vel non nominato auctore.

Uberior fons versuum Ennianorum sunt libri *de lingua Latina* circa a. u. 710 editi et ad Ciceronem missi. Nam rerum rusticarum libri illis posteriores perpauca habent, illud quod supra (p. XXX) memoravi de Homero et Ennio, versus duos de vetustate urbis Romae ex annalibus petitos (501 sq.), duo praeterea testimonia, alterum (I 4, 1) quo agriculturae principia eadem esse scribit quae Ennius mundi, *aquam terram animam et solem,* quae non poterant nisi ad Epicharmum (III) referri, et alterum perquam

memorabile (I 48, 2) de *gluma* voce paucis nota, utpote apud Ennium solum lecta in Euhemeri libris versis (XIII), quibus addas si libet quae III 17, 10 scribit *ille inde endo suam domum, nos nostram,* quibus Enniana *endo suam do* (ann. 576) iocando videtur imitari.

Libri autem de lingua Latina sex, qui hodie supersunt de multo pluribus, multos multorum poetarum, Naevii Plauti Pacuvii Accii Lucilii aliorum versus, in quibus etiam Ennii multos, perscripserunt, sed non pari modulo in omnibus libris, quorum qui tres postremi sunt, utpote in doctrina grammatica occupati, perpaucis exceptis nihil poetarum exhibent, primi tres a quinto ad septimum, quia magis usum sermonis persequuntur, omnes quidem non parce, sed duobus primis multo etiam uberius septimus, qui propriam poetarum in significandis locis ac temporibus consuetudinem pertractat, cum ceteris poetis tum Ennii carminibus usi sunt. Sed in ea ubertate Varronis qui est citandi modus nobis utentibus hic illic quasdam difficultates creat. Varro enim non ut alii grammatici aut 'qui glossas scripserunt', qui quorum poetarum versus excerpserunt putida quadam diligentia, nobis quidem pergrata, perscribunt, in libris numerisque librorum citandis moratur, sed ut homo doctus qui doctis hominibus scribit ex immensa copia eruditionis semper affluentis petit quibus suas sententias illustret et confirmet. Quod genus maxime conspicuum fit cum generatim laudat hoc modo VI 11 *hinc poetae 'aeterna templa caeli'* VI 67 *hinc etiam poetae 'murmurantia litora'* VI 71 *in comoediis vides dici* VI 76 *scenici plerique dicunt* VI 72 *is qui dicit in tragoedia* et similia plura. Quae quidem consuetudo id quoque patefacit, qui factum sit ut Varro versum qui erat *Quos ubi rex epulo spexit d. c. c.* hunc in modum citaret *Quos epulo postquam spexit* (ann. 421), aut (VII 84) apud Terentium quem versum libri exhibebant *Obsonat, potat, olet ungenta: de meo* (adelph. I 2, 37), cum de *scortando* ageret, sic afferret *Scortatur, potat, o. u.,* hunc nimirum miscens cum eo qui in eadem scena paulum ante (22) legebatur *Scortari neque potare.* Sed ut ad Ennium veniamus, quamquam quod in hunc, idem cadit in omnes quibus utitur poetas, numquam *annales* citat, nedum numeros librorum addat, paucas tragoedias vel tragoediarum personas dicit nomine, plerumque tam harum quam illorum versus, qui nonnumquam inter se miscentur, mero *Enni* nomine (*Ennius, Enni, apud Ennium* praemittens) affert, saepe nullo poetae nomine adiecto. Quare quod numquam Ennii annales dicit, tam hercle, quam numquam *Lucilii saturas* vel *saturarum libros,* inde intelligitur, quae leguntur V 74 *nam ut annales dicunt vovit Opi Florae* eqs (cf. ad ann. I fr. LIX) non licuisse cum Hauptio et Lachmanno de Ennii annalibus interpretari, non magis VII 85 cum traditum sit *itaque in Iove hoc et Homerus et alius aliquotiens* reponere *et annalis* (ut de Ennio), neque vero

et Ennius emendare, sed *Homerus et Accius*, a quo hoc capitulum orditur et cuius reliquiae hodie etiam aliquotiens hunc usum *numinis* habent. Sed plerique hexametri qui Ennii nomine citantur dubium non est quo referendi sint, et Varro nonnumquam complures hexametros uno ordine singulis hoc quasi lemmate *apud Ennium* praemisso recenset, quos annalium esse nemo non videt, velut VII 41. 42. 43. (44. 45). 46. 48., in quibus qui sunt 42. 43. 44. 45 omnes ad Numam Pompilium pertinentes in secundo annalium collocandi fuerunt: unde satis fidei nanciscitur quod statui versus flaminum nomina tenentes (45) et hexametros esse et ab hoc libro secludi non debere (III). Cf. VII 104. Illa quoque non indigna quae attendantur, VII 41 incipere ab his *Apud Ennium: 'orator sine pace redit'* eqs (ann. VI fr. XVI); deinde explicato *oratore* in eodem capitulo addit *itaque Ennius ait 'oratores doctiloqui'* (ann. 582); aut VII 46 *Apud Ennium: 'iam cata signa fere'* eqs (ann. 459), *cata acuta . . quare 'catus Aelius Sextus'* (ann. 331) . .; *et quod est 'tunc coepit memorare simul cata dicta'* (ann. 529). Praemisso enim uni versui Ennii nomine de duobus qui insequuntur dubitatio esse non potest. Ambiguum est iudicium de VII 33 *sic dictum a quibusdam ut 'una canes' 'una trabes remis rostrata per altum.' Ennius 'utinam ne in nemore Pelio . . accidisset abiegna ad terram trabes'* (Med. I). Quia enim librarii vitio propter iteratum *trabes* media quae erant omissa sunt, quo genere saepe in his libris peccatum est, velut VII 43. 57, una cum initio versus nomen poetae, si positum erat, intercidit; quem Ennium fuisse dubites propterea quod *Ennius* cum versu Medeae insequitur, et Varro praemonuit *a quibusdam* ut *'una canes'* sic *'una trabes' dictum esse.* Versus ipse non male decebat Ennium et annales, nec difficile ad exemplum similium suppletur. Quare retinere malui (ann. 616). Nam quod praemisso Ennii versu addito vel non addito poetae nomine in eadem re sequitur *Ennius: 'utinam ne'* eqs, non plane dissimilia sunt quae supra attuli ex VII 41, et vide VII 93 in eodem capitulo de verbis nihil significantibus ut *euax, ut apud Ennium 'hehae ipse'* eqs (scen. 417); *apud Ennium 'heu mea puella'* eqs (scen. 419); et V 19.

De hexametris Ennio non nominato haec dicam. De verbis quae a poetis sunt posita primum de locis exordiens Varro dicere VII 6 scribit *incipiam hinc 'unus erit quem tu tolles in caerula caeli templa.'* Quem versum Ennii esse non aliunde testimonio constat, sed quo modo eum Ovidius adhibuit, ex eo et sensus et locus et ex iis poeta cognoscitur (ann. I fr. XXXIX). Deinde pergit *templi* significationes recensere ascita Hecuba, Periboea, Andromacha, denique (7) *Quocirca* inquit *caelum qua attuimur dictum templum, sic 'contremuit templum magnum Iovis altitonantis', id est, ut ait Naevius: 'hemisphaerium'* eqs. Hunc quoque hexametrum Ennianum

habemus (ann. 541), ut opinor recte, quamquam hoc testis non praestat, sed ut Ennius hoc loco Varronem, ita sententia haec non alium magis quam Ennium poetam deceat. VII 20 ab hoc lemmate incipit Varro: *Musae quae pedibus magnum pulsatis Olympum,* cum quid significet *Olympus* interpretatur. Versum Ennii esse testis dicit (ann. 1), sed hoc sententia ipsa et Varronis ratio confirmare potuit. VII 26 haec tradita sunt *Musas quas memorant nosce nos esse camenarum priscum vocabulum ita natum ac scriptum est* eqs. Apparet eo genere vitii quod supra tetigi versum qui lemmatis loco est cum interpretatione ita coaluisse uti mutilaretur. Inde mirifica nata sunt criticorum iudicia. Nam ut mea fert opinio qui non occupata mente accedat necesse est intelligat versum mancum *Camenas* nomine expleri, et hunc hexametrum esse, etiamsi quid forsitan in eo non recte scriptum sit. Cuius quae plenior fuerit sententia, adnotavi ad ipsum (ann. 2). Si vero est hexameter, et hoc potuisse denegari paene incredibile est, vix dubitaveris Ennianum esse. Ceterum non *Casmenarum* sed *Camenarum* vocabulum (ita scriptum est in cod. Florentino) unde natum sit explicatur: id quod cum tota argumentatio, tum haec conclusio rationis probat: *Quare e casmena carmena, carmina, carmen, r extrito camena factum.* Qui praeterea a Varrone hexametri sine nomine poetae citantur, VII 36 (ann. 214) et VII 37 (ann. 521), eorum origo suis testimoniis comprobatur.

Tragoediae quas aut dicit nomine aut ex quibus versus affert nullo titulo sunt hae: Aiax, Alexander, Andromacha, Andromeda, (Eumenides), (Hectoris lytra), Hecuba, Iphigenia, Medea. Itaque Ennius et tragoedia citantur VI 83 *quod Ennius videtur ἔτυμον ostendere velle in Alexandro cum ait* [II], VII 9 *et contemplare ut apud Ennium in Medea* [XVII]; solus Ennius VII 82 *Apud Ennium 'Andromachae nomen qui indidit recte ei indidit'* [X]; *item 'Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant* [VII], sed in versibus qui indicant ipsi quarum tragoediarum sint. Idemque cadere videtur cum in VII 19 *Ennii: 'Areopagitae quid dedere'* eqs, quem esse versum Eumenidum [VI] *Areopagitarum* nomen probabile reddit, tum in X 70 *itaque Ennius ait: 'Hectoris natum e Troiano muro iactari;'* nam sententia ipsa prodit haec Andromachae esse [III]. Quae VII 33 mero Ennii nomine affert *Ennius: 'utinam ne in nemore Pelio'* eqs, sunt notissimi et multis traditi versus de principio Medeae [I]. Minus certo suis tragoediis vindicantur quae solum Ennii nomen prae se ferunt VII 87 *apud Ennium: 'Thelis illi mater',* quod Euripidis exemplum persuadebat ex Iphigenia sumptum esse [IX]; et VII 16 *Ennius: 'ut tibi Titanis Trivia dederit stirpem liberum,'* quem ego versum non sine specie, opinor, ad Andromedam rettuli [VIII]; et VII 12 *unde est Ennii illud: 'tueor te senex? pro Iuppiter',* quae Hectoris lytris [XVIII] accommodari

visa sunt. Pauca restant quae non poetae nomen sed solum tragoediae titulum exhibent: VII 6 *in caelo templum dicitur, ut in Hecuba* [III] . . . *sub terra, ut in Andromacha* [XII]. Haec Enniana esse nec Varro dicit nec alius testis, tamen non dubitabitur eius esse, cuius has tragoedias fuisse constat, quarum alteram Varro saepius adhibuit. Nec tragoedia nec poeta dicitur VII 73 '*Quid noctis videtur? in altisono caeli clipeo*' eqs. Quorum pars V 19 Agamemnoni tribuitur, ne ambigas ex Iphigenia esse [I].

Superest is modus citandi, quo non tragoediae nomen, sed personae quae loquitur in tragoedia ponitur sive addito poetae nomine sive non. Quod genus scribit Varro V 19 *itaque dicit Andromeda Nocti* '*quae cava caeli*' eqs [I]. Andromeda enim in cognomine tragoedia Noctem sic appellat; *et Agamemno* '*in altisono caeli clipeo*', quae supra scripsi exiguam partem esse eorum quae Agamemnon in principio Iphigeniae [I] secum loquitur, quod principium Varro VII 73 lemmatis loco affert nec tragoediae nec poetae nomine adiecto. Pergit V 19 *et Ennius item ad cavationem:* '*caeli ingentes fornices*' (scen. 381), quod est indicium etiam superiora ad Ennium redire, quamquam *item* ad *cavationem,* non ad *Ennium* pertinet. Similiter de Medea VI 81 *ab eodem (cernō) est quod ait Medea:* '*ter sub armis malim*' eqs [V]. Itaque non dubitavi in iis quae VI 6 leguntur *ut ante solem ortum quod eadem stella vocatur iubar, quod iubata, Pacuvius dicit pastor* '*exorto iubare noctis decurso itinere*'. *Ennius Aiax lumen iubarne in caelo cerno. Inter vesperuginem et iubar dicta nox intempesta, ut in Bruto Cassii quod dicit Lucretia:* '*nocte intempesta nostram devenit domum*', ut *Pacui dicit pastor* olim correxerunt, ita *Enni Aiax* restituendum esse: nam quod facilius videri poterat *Ennianus Aiax,* ut supra *Pacuvianus d. pastor* olim maluerunt*), ab usu Varronis alienum esse intellectum est postquam unicum quod erat exemplum VI 73 *in Astraba Plautina* excusso codice nullum esse apparuit.**) Videtur autem, ut hoc addam, in scriptura codicis Florentini *plautin ea* ipsis litteris haec dubitantis interrogatio contineri *in Astraba [Plautin(a) ea?],* ut de origine ambigi posse indicetur velut VI 89 *Boeotia* inquit *quam comoediam alii [alii] esse dicunt,* et hoc interrogationis genus nisi fallor idem est VI 21 *is cum eat suffibulum ut habeat scriptum.*

---

*) Quam facile haec inter se mutari potuerint, exemplum Macrobii docet qui cum Sat. VI 3, 9 scripserit *ille enim stilus Enniani saeculi auribus solus placebat,* in Parisino codice exaratum est *Ennii,* et ut hic error natus est ex ordine verborum *ille enim stilus Ennii,* sic apud Varronem *Pacuvius dicit,* quia haec iungi videbantur, quibus deinde respondebat *Ennius.*

**) Unde corrigenda est adnotatio in Aiacis III. Sero enim intellexi scripturam *plautin ea,* quam non sine dubitatione attulerat Grothius et A. Spengelius, ipsam verum continere.

*[id diciturne ab suffiendo subligaculum?]**) Quae non aliena manu assuta sed a Varrone ipso admonitionis causa adscripta putaverim. Sed hoc utut est, certe non difficilius quam ex *Pacuvius Pacui Enni* restituitur ex *Ennius*, et fortassean exemplum sit in promptu, si quidem VII 60 quae falso scripta sunt *hoc eadem est in corollaria Neuius* sic emendari videntur *hec eadem est in Corollaria Neui* (*dividia* scilicet, de qua agitur). Itaque ut Agamemno, ut Andromeda, ut Medea, sic nunc, quemadmodum *Pacui pastor,* item *Enni Aiax* dicitur, ut persona fabulae significetur. Quem usum sequuntur et hoc ipso loco verba *in Bruto Cassii quod dicit Lucretia* et quod legitur VII 3 *Teucer Livii,* ex Ennianis *Epicharmus Ennii* v 68, de quo mox dicam. Neve quis miretur aut obiiciat quod nunc non *Aiax Ennii,* ut *Teucer Livii, Epicharmus Ennii, Bruto Cassii, Corollaria Naeui* dicitur, sed *Enni Aiax,* hoc fit, quia praecessit *Pacui pastor,* et hoc maluit quam inversum, quia praecesserat *Plautus.* Cf. VII 28. De verbis autem ipsis Aiacis secum deliberantis mirum est doctissimos viros non desinere, ut versum faciant, apertissimam et aptissimam sententiam depravare. Ter affertur a Varrone versus, et hoc loco, unde profectus sum, et VI 81 *cerno idem valet; itaque pro video ait Ennius: 'lumen iubarne in caelo cerno';* et VII 76 ubi lemmatis loco (nam prior sententia plane est absoluta) haec praescribuntur quae deinceps explicentur consueto Varronis more: *'Aliquod lumen iubarne in caelo cerno.' iubar dicitur stella lucifer quase in summo quod habet lumen diffusum ut leo in capite iubam. Huius ortus significat circiter esse extremam noctem. Itaque ait Pacuius: 'exorto iubare noctis decurso itinere.'* Ter igitur laudatur idem versus nulla varietate, nisi quod hoc tertio loco *aliquod* accessit, quod quia ad sententiam necessarium non erat, illis duobus locis omissum est, sed egregie adiuvat orationem. Sic enim fere, ut Agamemnon in Iphigenia *Quid noctis videtur?* eqs, Aiax secum loquitur, ut ubi aliquod lumen aspexit, semet interroget sitne iubar, quia eo exorto noctem extremam esse certum erat, et hoc momentum habere in Aiacis nocturnis consiliis poterat. Itaque dicit *aliquod lumen cerno* (h. e. nescio quod lumen cerno), sed ut interrogationem *iubarne?* mediam interponat eo more quem alibi pluribus declaravi. Et quia hoc tam aptum erat in Aiacis rebus quam illud in Agamemnonis, Varro maluit personas loquentes afferre, non secus atque Andromedam et Lucretiam loquentes maluit quam aut tragoediam aut poetam laudare.

Sunt quidam versus scenici quos metrum demonstrat, quibus Ennii nomen praefixum originem indicat, sed quibus locum in fabula

---

*) *id* h. e. *suffibulum,* quod praecessit (cf. Cic. de legg. II 1, 1). Hoc enim voluit: suffibulumne a suffiendo subligaculum dicitur, *wird mit suffibulum, das a suffiendo benannt ist, das subligaculum bezeichnet?*

assignare non licet. De quibus non est quod agatur: nam ne VII 93 quidem dubitandum esse de Ennii nomine supra p. XXXIII significavi. Unum restat, quod ambiguum est utri parti adscribatur. VII 23 lemmate praescripto singula explicantur de more: '*Ferme aderant aequore in alto ratibus repentibus.' mare appellatum quod aequatum cum commotum vento non est. ratis navis longas dixit, ut Naevius cum ait* eqs. Atqui olim transpositis verbis hexametrum effecerunt haud inscitum: *Ferme aderant ratibus repentibus aequore in alto,* quem nihil impediebat annalibus Ennii adscribere. Verum obstat, quod Varro pristinum verborum ordinem secutus primum *aequor**) quid vocetur, deinde *ratis* explicuit, ut solet, velut VII 86. 93, et ubi discedit, ut VII 22, causa aperta est, quae nunc nulla erat. Itaque nec dactylicus fuit hic versus sed fortasse anapaesticus, nec est quod de Ennio cogitetur.

De ceteris Ennii scriptis Varronem *Euhemerum* in rerum rusticarum III citasse supra memoravi. In his libris de lingua Latina V 62 semel *Sotam Ennii* cum versu [I] attulit. Complures versus ex *Epicharmo Ennii* laudavit sed ita ut necesse sit accuratius in eam rem inquiratur. Itaque sic agit V 59. *Humidum et frigidum terra sive 'ova parire solet genus pennis condecoratum, non animam' ut ait Ennius 'et post inde venit divinitus pullis ipsa anima', sive ut Zenon Citieus animalium semen ignis is qui anima ac mens, qui caldor e caelo quod hinc innumerabiles et immortales ignes. itaque Epicharmus dicit de mente humana: ait 'istic est de sole sumptus ignis'; idem solem: 'isque totus mentis est', ut humores frigidae sunt humi, ut supra ostendi. Quibus iuncti caelum et terra omnia exgenuerunt quod per hos natura 'frigori miscet calorem atque humori aritudinem'. Recte igitur Pacuius quod ait 'animam aether adiugat' et Ennius 'terram corpus quae dederit ipsam capere neque dispendi facere hilum.'* Intelligitur Varronem solam sententiarum cognationem secutum miris modis auctores et libros miscere. Sed quoniam qui hexametri sunt Ennio adscribuntur (neque quae pendenti oratione**) afferuntur *terram corpus quae dederit* eqs non eundem numerum prae se ferunt quem V 111 et IX 54 allata aperte monstrant), dubium non est quin ad *annales* redeant, quorum in exordio notum est philosophas sententias expositas fuisse. Quae vero Varro *Epicharmum* dicit *dixisse,* non semel sed bis***),

*) *aequor* quod addidit A. Spengelius non recte addi persuadent VII 30. 31. 106, haec item inutili additamento aucta, VII 70, al.

**) Similia in Lucilio sibi permisit, de quo VI 69 scribit. *itaque Lucilius scribit de Cretea, cum ad se cubitum venerit sponte ipsam suapte adductam ut tunicam et cetera reiceret,* quae apud Lucilium non poterant nisi recta oratione scripta esse, quam Lachmannus restituit *cum ad me cubitum venerat, Sponte ipsa suapte adducta ut tunicam et cetera Reiceret* (816 sqq.). Non aliter Cicero ann. 310.

***) Haec enim putavi sic accipienda esse: *itaque* (sc. ut ille qui ante)

quae trochaicis versibus expressa sunt, ad quem communio numeri et sententiae referri iubet etiam illa quae nullo auctore laudata sunt *frigori miscet* eqs, ea ab illis quidem diversa sunt, sed Enniana esse ac non nescio cuius auctoris Epicharmi ex hac parte intelligi non potest. Pergit 64 *terra ops quod hic omne opus et hac opus ad vivendum, et ideo dicitur ops mater quod terra mater. haec enim 'terris gentis omnis peperit et resumit denuo', quae dat cibaria, ut ait Ennius, quae quod gerit fruges Ceres. antiquis enim C quod nunc G. Idem hi dei Caelum et Terra Iupiter et Iuno, quod, ut ait Ennius, 'istic est is Iupiter . . . omnis iuvat.' Quod hinc omnis et sub hoc eundem appellans dicit 'divumque hominumque pater rex.'* Quae Ennii esse bis proximo intervallo affirmat Varro *(ut ait Ennius),* ut mittamus hexametrum *divumque hominumque* eqs, quem Ennii esse nunc non dicitur sed aliunde cognitum est, ea et sententia et numerorum genus persuadet coniuncta esse cum iis quae supra *Epicharmum* dixit *dixisse.* Ratio concluditur iis quae 68 scribit (de luna) *hinc Epicharmus Ennii Proserpinam quoque appellat, quod solet esse sub terris, dicta Proserpina, quod haec ut serpens modo in dexteram modo in sinisteram partem late movetur.* His enim demum conficitur, et ea quae Epicharmum scribit dixisse et quae cum illis coniuncta Ennium, ad unum Epicharmum Ennii redire, in eoque carmine quia Ennius Epicharmum suas sententias exponentem fecit, Varro, ut Agamemnonem et Medeam maluit quam easdem tragoedias afferre, sic *Epicharmum* vel *Epicharmum Ennii dicere* scribit potius quam Ennium in Epicharmo.

Restant versus duo, hexameter alter, alter septenarius, auctore Ennio citati VII 71 *decem coclites quas montibus summis Ripaeis fodere* (sat. inc. VIII), VII 35 *subulo quondam marinas propter astabat plagas* (sat. inc. VI), quorum sententia et forma ea est ut vix videantur aptiore loco quam in saturis poni. Quod si, consequitur Varronem ne saturas quidem Ennii non attigisse.

Denique fallor aut hac recognitione Ennianorum quae sunt apud Varronem in libris de lingua Latina hoc quoque efficitur, ut iis quae V 86 leguntur (de fetialibus) *per hos etiam nunc fit foedus, quod fidus Ennius scribit dictum* (inc. XLVIII) intelligant docti nostrum Ennium dici. Neque enim hi libri norunt alium, et in hoc ipso libro (V) iam toties appellatus est Ennius ut mirere subito eodem nomine alium dici. Ennium autem cur talia dedecere dicimus, quem originem vocum sectatum cum alia tum illa

---

Epicharmus dicit de mente humana: deinde subiicit versum praemisso *ait*, quasi dicat *ait enim:* nihil certe offensionis est in verbo addito. (Conferas sis vel Gell. XIX 8, 6). Pergit: *idem solem* scil. *dicit,* addito versu: *isque totus mentis est.* Neque minus recte *idem solem* quam supra *dicit de mente;* sic Varro V 23 *terra ut putant eadem et humus: ideo Ennium in terram cadentes dicere 'cubitis pinsibant humum'* (scen. 411).

indicant quae Varro vi 83 ex Alexandro [ii] affert: qui similia etiam de aliis poetis, Accio, Plauto, hic illic memoravit (v 98. 108. 131). Postremo ne quid omittatur, Ennium finxisse multa in sermone, item Livium, Varro indicat cum his duobus vetustissimis poetis exemplis utitur (v 9) in his quae scribit *non enim videbatur consentaneum quaerere me in eo verbo quod finxisset Ennius causam, neglegere quod ante rex Latinus finxisset, cum poeticis multis verbis magis delecter quam utar, antiquis magis utar quam delecter. An non potius mea verba illa quae hereditate a Romulo rege venerunt quam quae a poeta Livio relicta?*

Varroni aetate coniunctus M. Cicero (a. 673—711) cum vetustissimos poetas Romanorum omnes qua erat patriae caritate studiose coluit, tum singulari favore prosecutus est Ennium, cuius memoria dici vix potest quantum debeat Ciceroni, qui non solum maiores quasdam partes continuas annalium aut tragoediarum servavit quam excepto Gellio ullus alius eorum qui Ennii memores fuerunt, sed etiam quia non tam syllabas vel formas vocabulorum sectatus est quam res et sententias, occasionibus etiam quibus elati sunt versus subindicatis, carminum Ennianorum argumenta et compositionem, actionem quoque scenicam, multis locis clariore in luce posuit. Sed Cicero, qui in illa 'turba voluminum' omnis generis quae edidit paene usquequaque Ennii memor est et Ennianorum poematum recordationem prae se fert, in ea re versatus est non ut quasi grammaticus integros versus et singulas eorum voces, appictis etiam cum cura poetae nomine et libri titulo numerove, legenti adnumeraret, sed ut orator qui a plurimis audiebatur, ut scriptor multorum librorum quos a multis legi cupiebat, usus est popularis poetae carminibus ut admonere tantum videri vellet homines liberaliter institutos earum rerum ac sententiarum, quarum ipsi legendo et spectando periti essent et qui ut primis tibicinis sonis modos, sic paucis delibatis verbis versibusve totum carmen agnoscerent. Qua ex re ultro apparet quantopere Ciceronis aetate Ennii memoria vigeret et ab ipso aleretur, cuius poemata, ut Horatius de Naevio dixit, in manibus essent ac mentibus haererent, tragoediae autem in scena iterum iterumque spectarentur: nobis quidem ex isto more laudandi notissimi poetae, quibus quae Ciceroni praeterire licebat non aliunde cognita sunt, hic illic ambiguitas quaedam intelligendi orta est et docti homines nonnumquam in errores se abripi passi sunt.

Sed veniamus ad singula, non ut complectamur omnia, quod fieri non potest, sed ut exemplis selectis ea quae generatim dicta sunt enucleatius declaremus.

In orationibus non multa sunt Enniana, sed tamen nonnulla non indigna quae propius considerentur, velut quae est pro Archia poeta (a. 692) invitante occasione non modo memorat poetas ab Ennio

sanctos (inc. XIX) appellatos (8, 18), sed hunc ipsum, utpote qui clarorum virorum laudes cecinisset (in annalibus maxime, intelligimus, nam Cicero non dicit) ac per eos patriam ipsam non leviter celebrasset, Rudinum hominem merito olim in civitatem Romanam receptum esse (10, 22), poetam eum quo comite Fulvius cum Aetolis bellasset (11, 27). Cf. ann. XII fr. IV et VIII et quae supra p. XIII sq. exposita sunt. Murenam autem defendens (a. 691) in eaque oratione accusatoris Ser. Sulpicii iurisconsulti causa iuris consultorum scientiam et officium cum risu illudens cum alia tum haec explicuit (14, 30) *omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simul atque aliqui motus novus bellicum canere coegit. Etenim ut ait ingeniosus poeta et auctor valde bonus, proeliis promulgatis 'pellitur e medio' non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum 'sapientia, vi geritur res, spernitur orator' non solum odiosus in dicendo ac loquax verum etiam 'bonus, horridus miles amatur', vestrum vero studium totum iacet. 'Non ex iure manum consertum sed ferro' inquit 'rem repetunt.'* Quem *ingeniosum poetam* et *auctorem valde bonum* dicit (h. e. eum qui scriberet quibus ipse interfuisset) Ennium esse Cicero non dicit sed aliunde et hoc compertum est et versus ex VIII annali [III] promptos esse. Quos Cicero non continuos nec plenos attulit, et dum sua quasi interpres interponit plane ad suam sententiam transduxit. Sic solet ad suos usus convertere quae apud Ennium alia mente posita sunt, velut hoc eximio eius rei exemplo in iis quae pro Caelio (a. 698) dixit (8, 18). *Quo loco possum dicere id quod vir clarissimus, M. Crassus, cum de adventu regis Ptolemaei quereretur, paulo ante dixit 'Utinam ne in nemore Pelio'; ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret: 'nam numquam era errans' hanc molestiam nobis exhiberet 'Medea animo aegro amore saevo saucia.' Sic enim, iudices, reperietis quod cum ad id loci venero ostendam, hanc Palatinam Medeam migrationemque huic adulescenti causam sive malorum omnium sive potius sermonum fuisse.* Certe nemo auditorum sententiam ac tenorem notissimorum de Ennii Medea versuum [I] ignoravit, ex quibus Cicero tantum libat quod satis sit, praesertim sua oratione mixtum, ut quae ille de Medea dixit haec in Clodiam accusatricem valere intelligatur. Simili modo invectus in Pisonem (a. 699) quaedam affert ex Thyeste, quam fabulam Ennianam esse alibi ipsius testimonio constat; in ea enim quaestione, qua poena, quo supplicio Pisonem cum Gabinio vexari oporteret, haec posuit (19, 43): *neque vero ego, si umquam vobis mala precarer, quod saepe feci, in quo di immortales meas preces audiverunt, morbum aut mortem aut cruciatum precarer. Thyestea esset*) ista exsecratio poetae vulgi animos, non sapientium*

*) *esset* videtur orationis forma requiri, sed vulgatur *est*.

moventis, ut tu naufragio expulsus uspiam 'saxis fixus asperis evisceratus latere penderes', ut ait ille, 'saxo spargens tabo sanie et sanguine atro'. Non ferrem omnino moleste si ita accidisset; sed id tamen esset humanum. Poterat haec suis verbis exprimere, sed quo ponderosius esset maluit Thyesteam apud Ennium exsecrationem [XIV] in Pisonem coniicere, eo modo quo solet ut quantum satis esset intelligenti suae orationi misceret. Tragoediam crepat etiam in oratione pro Roscio Amerino (a. 674) sed satis artificiose cum ita dicit (32, 89) *verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege adnumerer, te pugna Cannensis accusatorum sat bonum fecit. Multos caesos non ad Trasumennum lacum, sed ad Servilium vidimus. 'Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?' Non necesse est omnes commemorare Curtios Marios denique Memmios, quos iam aetas a proeliis avocabat, postremum Priamum ipsum, senem Antistium, quem non modo aetas sed etiam leges pugnare prohibebant.* Ennii fabulam esse, ex qua versus iste, scholiasta Gronovianus*) testis est, sive ea Achilles erat sive quod mihi probabatur Hectoris lytra [V]. Admirabilis est autem haec transferendi urbanitas qua non semel Cicero hoc loco utitur, et illud pervenustum, quod cum dicat multos caesos esse, quasi *κορωνίδα* hunc versum addit, quo multitudo caesorum tam apposite exprimitur: qui cum rerum Troianarum memoriam afferret, in proximis *Priamum ipsum* inter occisos nominat. Ut appareat quantum Cicero ab auditorum intelligentia exspectaret. Non morabor in iis quae oratio pro Balbo (a. 698) similia habet (22, 51) *utinam qui ubique sunt propugnatores huius imperii possent in hanc civitatem venire et contra oppugnatores rei publicae de civitate exterminari. neque enim ille summus poeta noster Hannibalis illam magis cohortationem quam communem imperatoriam voluit esse: 'hostem qui feriet, erit' inquit 'mihi Carthaginiensis, quisquis erit, cuiatis siet': ita habent hoc leve et semper habuerunt.* Non exstat alius versiculi auctor, sed *ille summus poeta noster* dubium non est quin Ennius vocetur, et versus ipse, quem Cicero non perfecte attulit, iure in annalium octavo [IX] positus. Apparet autem quam tempestive numquam deficiens recordatio Ennii oratori hoc loco et hac sententia hunc versum suppeditarit. Denique ut omittam alia, de Sestiana (a. 698) dicam breviter, in qua memorabile est Ciceronem in descriptione ludorum a. u. 697, ubi multa in eius honorem acta erant, (57, 121) praeter cetera cantici cuiusdam, quod Ennii esse de Andromacha [V] ipsius beneficio alibi plenius afferentis compertum est, speciminis loco prima verba [92] *O pater* et separatim [97] *haec omnia vidi inflammari* eo consilio afferre, ut carmen lugubre quod

*) Eiusdem scholiastae testimonium docuit quod Cicero in Verr. act. II lib. I 18, 46 dixit *ita magni fluctus eiciebantur* 'Ennianum hemistichium esse ex ea tragoedia quae Achilles [IX] inscribitur.'

Andromachae esset ab actore in Ciceronis calamitatem interpretatum indicaret. Non explicabo singula, quamvis pluribus rebus illustrare morem liceret, quo Cicero Enniana carmina etiam orationibus adhiberet.

Ab orationibus ad libros rhetoricos progredior ac primum quidem ad eos qui primi sunt, de oratore libri a. 699 editi. Quorum etiam primus et secundus habent nonnulla Enniana, velut quod Crassus in primo (34, 154), cum ita se exerceret adolescens, ut quae legisset apud poetam verbis aliis sed lectissimis reddere studeret, etiam ad *Ennii versus se exercuisse* memorat, aut quod (45, 198 sq.) iuris civilis scientiae et iurisconsultorum muneris extollendi causa cum Sexti Aelii mentio fit, qui *a summo poeta* appellatus sit *egregie cordatus homo catus Aelius Sextus* (ann. 331), tum iurisconsultus dicitur de se suo iure dicere posse idem quod *apud Ennium* (scen. 141 sqq.) *dicat ille Pythius Apollo, se esse cum unde sibi si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant* eqs, in secundo autem cum alia velut (37, 156) sententiam Neoptolemi Enniani de philosophiae studio, tum illa quae supra p. XII memorata sunt de familiaritate quae Ennio cum Scipione Nasica fuerit (68, 276). Verum tamen longe in causa nostra utilior est et fecundior tertius, in quo cum Cicero sive Crassus agit de novandis et transferendis verbis, qui campus late patet (38, 154; 40, 162; 42, 168), de numeris orationi adhibendis (47, 182), de actione quae esse debeat in canticis tragicis (26, 102), de vocis sono diverso pro diversitate sensuum in cantu expressorum (58, 217. 218), semper praeter cetera Enniana affert exempla quibus sententias suas confirmet et declaret, non semper ut dilaudet poetam quem permagni facere solet, sed ut quaedam etiam (162. 164) velut in translatione vituperet. Ennium ipsum semel tantum appellat (162), nedum carmina dicat ex quibus sua excerpserit, sed tamen licet nobis de utroque aut ipsa re aut aliis testimoniis certum iudicium facere; et quae hexametris sunt conclusa (167. 168, cf. 154) ad annales redire apertum est, nisi quod pauca in re incerta ad *Scipionem* malui referre, reliqua scenicis versibus concepta, quorum pars maior est, suapte natura se tragica esse probant, in quibus sunt quae incerti loci sint, sed quae certo agnoscantur, has dico tragoedias, Alcmeona, Andromacham, Medeam, Thyestem, fortasse Eumenides. In versibus afferendis, etsi etiam continuos recitavit, velut pulcherrimos Alcmeonis (218), plerumque eo modo versatur quem dixi, ut paucis verbis positis commonefaciat reliquorum, quae non dubitat nota esse iis quibus scribit, velut (167) *Desine Roma tuos hostis* et *Testes sunt Campi magni* (Scip. v), et (26, 102) *Quid petam praesidi* et *o pater, o patria, o Priami domus* (Andromach. v). Sed et illud agnoscimus quod dixi, Ciceronem non ita agere ut meros versus quosdam nobis quasi in

manus tradat, sed sic potius, paene ut oculis agentem in scena actorem aspicere et vocis sonos quibus cantus recitentur audire nobis videamur. Qua re hoc manifestum fit has tragoedias ea aetate in scena viguisse ac saepe spectatas reponi solitas fuisse.

In oratore (a. 708) sunt quaedam iudicia universa huius modi (11, 36) *aliud aliis videtur optimum. 'Ennio delector' ait quispiam, 'quod non discedit a communi more verborum'; 'Pacuvio' inquit alius, 'omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus, multa apud alterum neglegentius';* vel (31, 109) *an ego Homero, Ennio, reliquis poetis et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur crebroque mutarent, nonnumquam etiam ad cotidianum genus sermonis accederent* (plane ut Horatius a. p. 95): *ipse numquam ab illa acerrima contentione discederem? sed quid poetas divino ingenio profero?* Nempe neminem habet, ne Cicero quidem, non magis quam Lucilius aut Varro, quem cum Homero comparet nisi Ennium. Sed maxime commemorandum est, Ciceronem, quem dixi in afferendis Ennianis plerumque res et sententias sectatum esse, in hoc libello argumento poscente etiam ad litteras et syllabas disceptandas descendisse, sed tamen et hoc sic ut decebat Ciceronem. Agit autem de vocalium concursione (45, 152), ubi *Ennius* ait *semel 'Scipio invicte'* (Scip. III), et de formis contractis, quale est, item Ennianum, *palm' et crinibus* (Hec. XI), de genetivi forma in *um* desinentis (46, 155): *idem poeta qui inusitatius contraxerat 'patris mei meum factum pudet'* (Alex. 59) *pro 'meorum factorum' et 'texitur, exitium examen rapit'* (ibid. 66) *pro exitiorum, non dicit 'liberum' ut plerique loquimur sed 'neque tu meum umquam in gremium extollas liberorum ex te genus'* (Phoen. II), *et idem 'namque Aesculapi liberorum'* (Hect. lytr. 165), quae Enniana esse ipsius Ciceronis indiciis probatur. Porro (47, 157) *non reprehenderim* inquit *'scripsere alii rem'* (ann. 213), *'scripserunt' esse verius sentio**), ibidem *'idem campus habet'* (ann. 477) *inquit Ennius, at 'isdem' erat verius;* et (48, 160) *Burrum semper Ennius, numquam Pyrrhum, 'vi patefecerunt Bruges'* (Hect. lytr. VIII) *non Phryges;* ubi cum addat *ipsius antiqui declarant libri,* apparet eum, ut bonum grammaticum decet, scripturae testes circumspexisse, sed simul intelligitur recentiora exemplaria quae Ciceronis aetate vulgabantur ea iam non ita scripta tenuisse. Denique (161) *'qui est omnibu' princeps'* (ann. 67), *non omnibus p. et 'vita illa dignu' locoque'* (ann. 622), *non dignus.* De transferendo quoque agit (27, 93) similem fere in modum quem in tertio de oratore, et exempla affert Enniana cum ita dicit *alio modo transtulit cum dixit Ennius 'arce et urbe orbam'* (Andromach. 88), *alio modo si pro patria*

---

*) Itaque in Bruto 19, 76 scribit *'scripsere' inquit 'alii rem versibus' et luculente quidem scripserunt.*

arcem dixisset, et 'horridam Africam terribili tremere tumultu' (ann. 310) *cum dicit, pro Afris immutat Africam.* Haec postrema et illa superius allata exempla qui recognoverit, intelliget Ciceronem undique ex Ennii carminibus sua quibus uteretur congessisse, ita quidem ut versus heroicos cum scenicis misceret. Quorum ut illa ad annales referri patet, ita haec ad tragoedias: usus est autem, quantum ex exemplis colligitur (nam ipse nullam appellavit), Alexandro, Andromacha, Hecuba, Hectoris lytris, Phoenice. Quibus accedit Thyestes, cuius postea (55, 184) mentionem facit, cum perinsigni testimonio haec tradat *lyricos Graecos cum cantu spoliaveris nudam paene remanere orationem: quorum similia sunt quaedam etiam apud nostros velut illa in Thyeste* [VII] *'Quemnam te esse dicam, qui tarda in senectute' et quae sequuntur: quae nisi cum tibicen accessit orationis sunt solutae simillima.* Itaque testimonio constat, quod etiam sine teste credibile erat, ad tibicinis modos hoc canticum cantatum esse. Quibus quod addit *comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut nonnumquam vix in eis numerus et versus intellegi possit,* senarios constat caruisse eo adminiculo quod illis tibicinis modi afferebant. Denique de numero oratorio agens (51, 171), quem Graeci pridem cognitum habuerint, Romani nuper agnoverint, haec dicit: *Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere 'Versibus quos olim Fauni vatesque canebant', mihi de antiquis eodem modo non licebit? praesertim cum dicturus non sim 'ante hunc' ut ille, nec quae sequuntur 'nos ausi reserare'* (ann. VII fr. I). Ennii versibus utitur, ut ἐξ ἐναντίου suam sententiam confirmet; sic enim sentit: ut illi licuerit cum sua laude affirmare se primum esse qui herois versibus pro Saturnio usus poesim Latinam expoliverit, ita sibi denegari non debere si cum modestia profiteatur a se primo orationi numerum esse adhibitum. De iisdem versibus Ennii plura non in comparem usum aut sententiam Cicero affert in Bruto (cf. supra p. XX), de quo iam dicendum est.

In Bruto (a. 708) cum hoc ageret auctor, ut eloquentiae Romanae initia et progressus per aetatum ordinem persequeretur, adductus est simul, ut incitante ut videtur Attici libro annali, cuius diligentiam et utilitatem magnis laudibus effert, etiam vetustissimorum poetarum Romanorum tempora hic illic perturbata constitueret. Unde nata sunt illa testimonia supra a me in vita Ennii adhibita, quibus cum termini vitae eius definiti tum quaedam alia de eo patefacta sunt. Ad ea non est quod redeamus, quamquam documento esse possunt, quanto studio Cicero cuncta quae ad Ennii memoriam pertineant amplecti soleat. Sed quia M. Cethegum antiquissimum esse oratorem probaturus est, in ea re usui sunt versus Ennii quibus is hunc Cethegum suo tempore eximium oratorem habitum esse luculenter testatus est. *Quem vero* ait Cicero (15, 57);

exstet eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor, et idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius, praesertim cum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo: ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono ut opinor annali 'Additur orator' eqs [IV]. Raro exemplo accurate locum indicat, nam quod addit *ut opinor,* vult videri haec ex memoria afferre; et ad rem pertinebat, ut auctoritas Ennii constaret, quo ea loco scripta legerentur. Subsequuntur versus, complures numero, non plene scripti, sed ut assolet quibusdam de medio praetermissis (de qua re prave a nonnullis iudicatum est), nec continui sed per partes, interiectis iis quibus Cicero vim verborum interpretando explanare et in lucem tollere studet. Eius igitur Cethegi, quem principem fuisse eloquentiae constet, tempora definit et ad quorundam poetarum aetates confert. Sed a Cethego proximus est M. Cato (15, 61), cuius eloquentiam multis laudibus prosequitur, quamquam concedit 'quaerendum esse aliquid perfectius' (18, 69). Deinde (18, 71) ita pergit *nihil est enim simul et inventum et perfectum: nec dubitari debet quin fuerint ante Homerum poetae; quod ex eis carminibus intellegi potest, quae apud illum .. canuntur. Quid nostri veteres versus ubi sunt, 'quos olim Fauni vatesque canebant, cum neque Musarum scopulos, nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc', ait ipse de se nec mentitur in gloriando: sic enim sese res habet; nam et Odyssia Latina est sic tamquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae non satis dignae quae iterum legantur. Atqui hic Livius primus fabulam C. Claudio M. Tuditano coss. docuit* eqs. Ac deinde controversia de temporibus poetarum priscorum, quam ego nunc non attingo. In illis rursus illa Homeri et Ennii comparatio, ante quos alii fuerint poetae, quibus uterque superior sit. Versus autem Ennii citantur tres, nullus integer, neque continui se excipientes, sed tantum ut indicium fiat sententiarum: quibus etiam quartus accedit *nos ausi reserare* ex oratoris loco (51, 171) quem supra tetigi. Sed ut fatetur Ennium multo esse tam Odyssia Livii quam fabulis eius superiorem, ita excussis temporum rationibus, ad quas se Livii causa abripi passus est, ad eandem sententiam relapsus Naevium tamen, qui est alter poeta Ennio aetate prior et quo ille se superiorem praedicarat, ab eius reprehensione tutari instituit. Sic enim loquitur (19, 75): *atque utinam exstarent illa carmina quae multis saeclis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in originibus scriptum reliquit Cato. Tamen illius, quem in vatibus et Faunis adnumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat. Sit Ennius sane ut est certe perfectior: qui si illum ut simulat contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit, cur id faciat. 'Scripsere' inquit 'alii rem versibus', et luculente quidem*

scripserunt, etiamsi minus quam tu polite. Nec vero tibi aliter videri debet qui a Naevio vel sumpsisti multa si fateris, vel si negas surripuisti. Tantum afferendum erat, ut qui nexus esset earum sententiarum patefieret, quem interpretes, qui raro curant disputandi tenorem, aut non attigerunt aut prave tractarunt. Apparet autem filum (71) inchoatum, deinde (72. 73) temporum controversia de Livio interruptum iam (19, 74) resumi et retexi. Quos *veteres versus* appellaverat Ennio priores, nunc sunt carmina convivalia Catonis, et quibus se superiorem dixerat Ennius assentiente Cicerone, non solum Livius erat, sed magis Naevius. Ad eum igitur eodem sententiarum cursu revertit nunc ita ut, quantumvis sit Ennius superior, eum tamen non plane esse contemnendum assereret. Sic natum est illud nobile Ciceronis de Naevio et Ennio iudicium, et licet nobis illo usu citandi nonnulla de Ennii versibus intercepta sint, vim quidem et occasionem sententiae plenius perspeximus. Itaque compertum est *rem* quam aliis scriptam dixit Ennius bellum Punicum primum et eam *rem* qui scripserit Naevium esse, et ad hoc iudicium de se et priore poeta Ennium non prius adductum esse, quam ad narrandum illud bellum accingeretur oportuit. De Thyesta tragoedia Ennii quae leguntur in Bruto supra adhibui in Vita Ennii p. VI.

Bruto adiungo libellum de optimo genere oratorum (a. 710), qui haec habet de existimatione Ennii quae tum fuerit (1, 2): *in re quod optimum sit quaeritur: in homine dicitur, quod est. Itaque licet dicere et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur, et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum, oratorem genere non divido, perfectum enim quaero.* Cicero non dubitat Ennium summum epicum poetam habere, quem summum in omni genere poesis existimat, sed si genera dividantur, quod licet in poetis, non licet in oratoribus, posse fieri dicit, Ennio ut epicae poesis principatus tribuatur.

Ad scriptiones philosophiae cum accedo, verendum est ne me immensa copia librorum et testimoniorum ex hoc itinere quod ingressus sum excutiat et me in media via delassatum relinquat. Verum tamen temptandum est exemplis quidem aliquot monstrare qualia sint ea quibus Cicero pro sua parte cavit ne carmina Enniana in sempiternam oblivionem rapta sint. Sed non singulos ut ante huius modi libros explorandi causa perambulabo, verum partitis Ennianae poesis generibus de annalibus primum, dein de tragoediis agam et si quae sunt reliqua. Annales semel exempli causa ponuntur de nat. deor. II 37, 93 *hoc qui existimat fieri potuisse* (ut ex corporum quorundam concursione fortuita mundus efficiatur) *non intellego, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae vel qualeslibet aliquo coiiciantur, posse ex iis in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint,*

effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Apparet notissimum poema clarissimi poetae pro quovis alio libro poni, simili consilio, quo de divinatione I 13, 23 *Andromacha Ennii* memoratur: *sus rostro si humi A litteram impresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Ennii ab ea posse describi?* Vidimus supra p. XLV affirmari certam rem *apud Ennium in nono annali* legi. Praeterea Cicero annales numquam appellavit, quotquot versus citavit qui non possunt nisi in annalibus locum habuisse. Ennium appellat, hic illic personam quam poeta loquentem induxerat, non raro nudos versus laudat nec poetae nomine nec poematis adiecto, tamen non dubius haec recte ab iis quibus vult intelligi. Itaque annales, puto, cogitat, quos non nominat, cum ita dicit de fin. I 3, 7 *locos quidem quosdam . . transferam . . . cum inciderit ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet.* Locos enim translatos ab Homero dicit, ut in XV annali fr. VI, non quae forte in tragoedia sumpta sint ex Homero. Quae vero ex annalibus ducta sint, eorum primum est *somnium*, a quo principium annalium exorsum est: de quo Lucull. 16, 51 *num censes Ennium* inquit *cum in hortis cum Ser. Galba vicino suo ambulavisset dixisse 'visus sum mihi cum Galba ambulare'? at cum somniavit ita narravit 'visus Homerus adesse poeta';* et rursus 27, 88 *quia cum experrectus esset Ennius non diceret se vidisse Homerum sed visum esse . . nisi vero Ennium non putamus ita totum illud audivisse 'o pietas animi', si modo id somniavit ut si vigilans audiret.* Tertium eius somnii mentionem facit Cicero de re p. VI 10, 10 *fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui.* Poetam appellat, nusquam poema, sed loquitur ut de re nota decerptis admonendi causa paucis particulis versuum ne inter se quidem connexorum.

Sed quas partes longissimas ex annalibus depromptas apud Ciceronem servatas dixi, eas habet ambas primus de divinatione, quarum primam sic refert I 20, 40 *num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poetarum? narrat enim et apud Ennium Vestalis illa 'Et cita cum'* eqs (ann. I fr. XXVIII), et subiicit *haec etiamsi ficta sunt a poeta, non absunt tamen a consuetudine somniorum.* Annales esse alieno testimonio constat, non dicit Cicero, qui ait *vestalem illam* (h. e. Iliam) *apud Ennium* narrare haec, quam poeta suum ipsam somnium pronuntiantem induxit. Alteram (48, 107) his verbis: *atque ille Romuli auguratus pastoralis non urbanus fuit nec fictus ad opiniones imperitorum sed a certis acceptus et posteris traditus; itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure 'curantes magna cum cura'* eqs (ann. I fr. XLVII). Cum sua oratione nectit versus poetae, ut saepe facit, sed ita ut

simul narrationis initium liberius paulo, id quoque de more, formaret. Haec annalium esse de libro primo, quod ultro intelligitur, est etiam testis qui confirmet.

His adiungo quae Cicero ait (de re publica I 41, 64) Ennium post Romuli excessum cecinisse. *Iusto quidem rege cum est populus orbatus, pectora diu tenet desiderium, sicut ait Ennius post optimi regis obitum: 'simul inter sese sic memorant'* eqs (ann. I fr. LXI). *Non eros nec dominos appellabant eos, quibus iuste paruerunt, denique ne reges quidem, sed patriae custodes sed patres sed deos: nec sine causa. quid enim adiungunt: 'tu produxisti nos intra luminis oras'* (114). *Vitam honorem decus sibi datum esse iustitia regis existimabant.* Patet his exemplis Ciceronem, uti dixi, sententias poetae sectari, non verba et versus citare, eorum autem quae affert ipsum interpretem agere, quo magis quae poetae sunt suis consiliis accommodentur; in qua re animadvertas eum his tribus exemplis, id quod multis instituit, quae poetam finxisse non nescit, ad rei veritatem confirmandam convertere. Sed certe quantum tribuerit huic poetae manifestum est. Id quod cognoscitur etiam iis quae in eodem primo de re p. 16, 25 leguntur de solis defectione ab Ennio memorata et certis anno et die notata (ann. IV fr. IV). Multa praetereo, Pyrrhi de reddendis captivis sententiam (ann. VI fr. XII) de off. I 12, 38, Fabii Maximi praeconium (XII fr. II) ibidem I 24, 84 et in Catone m. 4, 10, in hoc etiam 6, 16 Appii Claudii orationem de Pyrrhi pace (VI fr. XIII) laudatam, denique initio Catonis m. Ennianos versus (X fr. VII) de Tito Flaminino in Titum Pomponium Atticum translatos venustissime: quibus omnibus multisque aliis hoc probatur, quanta pars elegantissimarum sententiarum rerumque gravissimarum ex Ennii annalibus unius Ciceronis beneficio ad nos propagata sit.

De tragoediis Ennii, quas Cicero in libris philosophis usurpaverit, agam ita ut egrediar ex universo quodam iudicio quod Cicero de poetis Romanorum tragicis, in quibus Ennio, de oratore (III 7, 27) facit, cum de dissimilitudine quae esset in oratione et lingua disputans ita dicit *id primum in poetis cerni licet: quam sunt inter sese Ennius Pacuvius Acciusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus Sophocles Euripides: quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur.* Atque ut hoc loco Romanos poetas cum Graecis composuit, ita saepius verba facit de iis Romanorum poetis qui suas fabulas e Graecis expresserunt: itaque in primo de finibus (2, 4) scribit: *in quibus hoc primum est in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos sermo patrius, cum iidem fabellas Latinas ad verbum e Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiiciat, quod se eisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas litteras oderit...*

rudem esse omnino in nostris poetis aut inertissimae segnitiae est aut fastidii delicatissimi: mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. An 'utinam ne in nemore' nihilo minus legimus, quam hoc idem Graecum? Cf. ibid. I 3, 7, quae supra allata sunt p. XLVII. In similem sententiam disseruit Acad. I 3, 10 *quid causae est cur poetas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius, Pacuvius, Accius, multi alii, qui non verba sed vim Graecorum expresserunt poetarum? quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum?* Denique ex eodem sensu manarunt quae scribit de optimo genere oratorum (6, 18) *huic labori nostro* (scil. quod convertit Demosthenis et Aeschinis orationes) *duo genera reprehensionum opponuntur, unum hoc 'verum melius Graeci' . . . alterum 'quid istas potius legam quam Graecas?' Iidem Andriam et Synephebos nec minus Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt, nec Andromacham aut Antiopam aut Epigonos Latinas recipiunt; sed tamen Ennium et Pacuvium et Accium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt. quod igitur est eorum in orationibus e Graeco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus?* Quae mihi luxata videntur necdum rursus concinnata, sed apparet tres trium poetarum tragoedias componi, quarum Epigonos Accii esse constat, Antiopa autem Pacuvii et Andromacha Ennii memorantur iis locis quos supra indicavi de fin. I 2, 4, de div. I 13, 23, easdemque tamquam celeberrimas duorum poetarum tragoedias coniunctas exempli causa ponit Lucull. 7, 20 cum ita scribit *quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt aut Andromacham, cum id nos ne suspicemur quidem.* Atque ut universa iudicia Ciceronis quae sunt de tragoedia Romana et de Enniana complectar, haec addo quae leguntur de off. I 31, 114 *scenici non optimas sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt: qui voce freti sunt, Epigonos Medumque, qui gestu, Melanippam, Clytemestram, semper Rupilius Antiopam, non saepe Aesopus Aiacem.* Rursus trium poetarum exempla ponit, in quibus non dubito Melanippam et Aiacem Ennii dici, quas hinc intelligimus Ciceronis aetate non semel sed saepius in scena datas esse.

Scripta philosopha, quamquam fortasse nullum est, quod quidem potuerit, quod non aliquid ad hanc rem contulerit, tamen differunt in hoc genere, et ut non multa sunt in libris de finibus et de officiis, paulo plura exstant in iis qui sunt de natura deorum et de divinatione, ita longe ceteris praestant Tusculanae disputationes, in quibus hoc genus ipsum dialogo huiusmodi defensitatur (II 11, 26) *M. Fuisti saepe, credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum. A. Vero ac libenter quidem. M. Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verum tamen*

versus ab iis admisceri orationi. A. Ac multos quidem a Dionysio stoico. M. Probe dicis: sed is quasi dictata, nullo dilectu, nulla elegantia, Philo et proprio numero et lecta poemata et loco adiungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poetis, sed sicubi illi defecerunt, verti etiam multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret Latina oratio.

Tragoediae, quas quidem apertum sit ab eo afferri, sunt hae, Alcmeo, Alexander, Andromacha, Hecuba, Iphigenia, Medea, Telamo, Thyestes. Nam citantur satis multi versus (velut in officiis), quos scenicos esse et tragicos forma et sensus demonstrant, qui tamen quibus tragoediis tribuendi sint certo sciri non potest. Quas vero tragoedias laudat, raro Ennii nomen addit, quod opus non erat in fabulis quas nemo erat quin de scena cognitas haberet. Non magis cum tragoediis utitur earum titulos adscribit, sed appellat personas quarum ῥήσεις adhibet, velut non Alexandrum dicit sed Cassandram, quae est in Alexandro, et cum dicit Alcmeonem, Medeam, Telamonem, Thyestem non tragoedias sed personas intelligit quae partes primas in his tragoediis agunt. Versus autem cum affert, cantica praesertim, iis modis affert quos saepius iam significavi, ut Ennii verba non integra tradat sed tantum delibet quantum satis sit admonendi causa, et saepe poetae verba suis enarrans sententiam declaret. Horum igitur quae dico pauca ponam exempla, et incipiam ab Alcmeone, quem *Enni Alcmeonem* dicit de fin. IV 23, 62, de quo cum alibi, tum potissimum in Lucullo (28, 89) agit. *Quid ipse Alcmeo tuus, qui negat 'cor sibi cum oculis consentire'* (quae sententia supra 17, 52 et 27, 88 allata erat), *nonne ibidem* [III] *incitato furore 'unde haec flamma oritur?' et illa deinceps 'incede, incede, adsunt, me expetunt'. Quid cum virginis fidem implorat: 'fer mi auxilium, pestem abige a me, flammiferam hanc vim quae me excruciat. Caerulea incinctae angui incedunt, circumstant cum ardentibus taedis', num dubitas quin sibi haec videre videatur. Itemque cetera 'intendit crinitus Apollo arcum auratum luna innixus, Diana facem iacit a laeva.' Qui magis haec crederet si essent, quam credebat, quia videbantur. Apparet enim iam 'cor cum oculis consentire.' Omnia autem haec proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil potest esse, inter visa vera et falsa ad animi adsensum nihil interesse.* Dicit ipse quid in sua disputatione efficere velit iis quae a poeta ficta ascivit. In singulis desiderantur plura, quae Cicero ut solet praetermisit, totius cantici iter nihilo minus satis planum est, et intelligitur quo modo haec acta sit scena furentis Alcmeonis, quae dubitari non poterat quin legentibus nota esset. Similis argumenti sunt quae Cassandra canit in Alexandro [VIII], de cuius vaticiniis haec habentur in primo de divinatione (31, 66) *Inest igitur in animis praesagitio extrinsecus iniecta atque inclusa*

divinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. '*Sed quid oculis rapere visa est derepente ardentibus, aut ubi illa paulo ante sapiens virginali modestia?*' '*Mater optuma, tu multo mulier melior mulierum, missa sum superstitiosis hariolationibus* [58—62].' *O poema tenerum et moratum atque molle. Sed hoc minus ad rem: illud quod volumus expressum est, ut vaticinari furor vera soleat.* '*Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio. multos annos latuit: cives, ferte opem et restinguite.*' *Deus inclusus corpore humano iam, non Cassandra loquitur.* '*Iamque mari magno* [65—68].' *Tragoedias loqui videor et fabulas.* Quibus addenda sunt illa (ibid. 50, 114) *Furibunda mens videt ante multo, quae sint futura. Quo de genere illa sunt,* '*eheu videte, iudicavit inclitum iudicium inter deas tris aliquis, quo iudicio Lacedaemonia mulier furiarum una adveniet* [69—71].' *Eodem enim modo multa a vaticinantibus saepe praedicta sunt, neque solum verbis sed etiam* '*versibus quos olim Fauni vatesque canebant.*' Denique II 55, 112 *At multi saepe vera vaticinati, ut Cassandra* '*iamque mari magno*', *eademque paulo post* '*eheu videte.*' *Num igitur me cogis etiam fabulis credere?* Atque haec quidem nunc in refutando primis verbis indicantur, quae supra plenis allata erant versibus. Ea vero omnia ad unum canticum redeunt, quod videmus quanta varietate numerorum et sententiarum exsplendescat. Quos versus Cicero more eo quem supra p. XLVIII tetigi in suos usus argumenti loco convertit: poetae nomen non affert, nec tragoediae, nisi quod semel Cassandra appellatur. Haec tertium excipiat exemplum quod ab Andromacha repeto, cuius cum saepe alibi commemoratio facta est, tum Tusc. disp. (III 19, 44) in eum modum affertur, qui maxime hoc quod volo illustrare possit, ibique quia cum Andromacha coniunctus est Thyestes, ne eum quidem omittamus. Sunt verba haec: *Quaerendum quemadmodum aegritudine privemus eum, qui ita dicat:* '*pol mihi fortuna magis nunc defit quam genus. namque regnum suppetebat mi, ut scias, quanto e loco, quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna accidat* (Thyest x).' *Quid? huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat, aut aliquid eius modi? Ecce tibi ex altera parte ab eodem poeta:* '*ex opibus summis opis egens, Hector, tuae.*' *Huic subvenire debemus; quaerit enim auxilium:* '*Quid petam praesidi aut exequar* (Andromacha 86—91).' *Scitis quae sequantur et illa inprimis* '*o pater o patria* [92—96].' *O poetam egregium, quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur. Sentit omnia repentina et necopinata esse graviora. Exaggeratis igitur regiis opibus, quae videbantur sempiternae fore, quid adiungit?* '*haec omnia vidi inflammari* [97—99].' *Praeclarum carmen. Est enim et rebus et verbis et modis lugubre. Eripiamus huic aegritudinem.* Indicat Cicero, non nominat personam, quae hoc carmen lugubre canat, quam

Andromacham esse versus ipsi prae se ferunt. Laudat carmen, sed non minus laudat poetam qui confecerit, quem cum aliunde constet Ennium esse, ad eum redeunt etiam versus illi qui primi sunt hoc loco, quos verisimile est Thyestis esse. Andromachae autem canticum, ex quo singuli versus alibi saepius a Cicerone afferuntur, nunc quo facilius poetae sensus ad suam disputationem traducat, toto tenore explicatur, sed nonnullis mediis praeteritis, id quod semel aperte dicit Cicero, cum significat ea legentibus nota esse, altero loco iis quae exponit ipsis patefit. Sed tamen vel sic nobis licet ex his simulacrum quoddam huius scenae et cantus animo informare. Non omittam Medeam, cuius non raro versus singuli apud Ciceronem leguntur, velut hic Tusc. disp. IV 32, 69, non uno nomine in hac causa quam ago memorabilis *quid ait ex tragoedia princeps ille Argonautarum? 'tu me amoris magis quam honoris servavisti gratia* (Med. XI)', et quae adduntur *hic amor Medeae quanta miseriarum excitavit incendia.* Sed nunc (ne in canticis haerere videar) sermonem Medeae [VII] gravissimum proponere volo quem Cicero per particulas explicat de nat. deor. (III 25, 65), ubi post magnum hiatum haec leguntur: '*nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio. nam ut ego illi supplicarem tanta blandiloquentia ni ob rem.' Parumne ratiocinari videtur et sibi ipsa nefariam pestem machinari? Illud vero quam callida ratione 'qui volt esse quod volt, ita dat se res ut operam dabit.' Qui est versus omnium seminator malorum. 'Ille traversa mente mi hodie* [269—272].' *Hanc videlicet rationem quam vos divino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiae non habent. Videsne igitur quanto munere deorum simus adfecti. Atque eadem Medea* eqs. Ex his postremis, quoniam initium huius disputationis deest, colligi quodammodo potest, cui usui esse Cicero versus Medeae voluerit, cuius sensus et consilia exponit quasi sibi res sit cum vera ac non poetae ingenio ficta et expressa persona. Sed hoc de more, ceterum etsi ne hic quidem non quaedam in media parte intercepta sunt, tamen tenor sermonis satis perspicuus est et eam gravitatem orationis prae se fert quae digna est hoc poeta.

Poteram similia proferre ex Iphigenia, Telamone, Thyeste, Hectoris quoque lytris, in qua tragoedia puto lectos fuisse versus egregios, quibus Eurypylus saucius pugna cedens Patrocli opem petit, quos Cicero Tusc. disp. II 16, 38 nullo tragoediae nomine (nam poeta aliunde cognoscitur) servavit. Sed opinor his omnibus non multo plus effectum iri quam quibus usus sum exemplis, quibus me tantum consecutum arbitror, ut ratio et copia, qua Cicero in philosophiae scriptis Ennii tragoediam suis argumentis adhibuerit, plenius perspiciatur, ac simul hoc intelligatur Ciceronis beneficio contigisse ut tragoediam Ennianam, qualis fuerit in scena, quadamtenus animo concipere liceat.

Ex aliis libris Ennianis in scriptis philosophis cum Epicharmus semel affertur in Lucullo (16, 51), ubi quae supra attuli p. xlvii de somnio Ennii Homerico, quod erat in exordio annalium, excipiuntur ab his *idemque in Epicharmo* [i]: '*nam videbar somniare med ego esse mortuum*', quae verba et haec ad Ennium redire et hoc somnium ab illo diversum esse patefaciunt, tum Euhemerus item semel memoratur de nat. deor. (i 42, 119), ubi haec scribit: *Qui aut fortes aut claros aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos quos nos colere precari venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Euhemero est, quem noster et interpretatus et secutus est praeter ceteros Ennius. Ab Euhemero autem et mortes et sepulturae demonstrantur deorum. Utrum igitur hic confirmasse videtur religionem an penitus totam sustulisse?* Unde intelligi videtur Ciceronem Euhemero potius quam eius interprete usum esse. Denique Epigrammata, ex quibus quae exstant, omnia uni Ciceroni debentur. Primum Tusc. disp. (i 15, 34) duo ipsius Ennii [i et ii], de imagine poetae et alterum sepulcrale: nam prius non est quod sepulcrale habeatur nec hoc verbis Ciceronis exigitur. Sic igitur Cicero: *quid poetae nonne post mortem nobilitari volunt? Unde ergo illud:*

Aspicite, o cives, senis Enni imaginis formam:
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres adfecerat gloria, idemque

Nemo me lacrimis
Cur? volito vivos per ora virum.

Quorum hoc iterum in iisdem Tusc. disp. (i 49, 117) affertur: *quid melius quam in mediis vitae laboribus obdormiscere et ita conniventem somno consopiri sempiterno? quod si fiat, melior Ennii quam Solonis oratio. Hic enim noster 'nemo me lacrimis decoret' inquit 'nec funera fletu faxit.' At vero ille sapiens: 'mors mea ne careat lacrimis, linquamus amicis maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.'* In eandemque sententiam cum Solone comparans Ennium idem epigramma affert Cato (de sen. 20, 73) *Solonis quidem sapientis est elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Volt credo se esse carum suis, sed haud scio an melius Ennius 'nemo me lacrimis decoret neque funera fletu faxit.' non censet lugendam esse mortem quam immortalitas consequatur.* Ex secundo et tertio loco, qui primam tantum sententiam sed eam integram habent quae manca est in primo, non erat quod hanc suppletum irent (de qua re alibi dixi); et qui recte rem reputat, intelliget tantum quoque loco positum esse quantum consilio satisfaciebat, ne de Ciceronis more dicam quem toties vidimus non totos versus sed indicii causa pauca verba afferre. Dein Africani item duo [iii et iv], sepulcrale, cuius initium est in

legibus (II 22, 57) '*Hic est ille situs*', reliqua ex libris de republica servavit Seneca: '*cui nemo civis neque hostis quivit pro factis reddere opis pretium.*' Alterum, quo poeta Africanum ipsum de suis meritis loquentem facit, ex parte Cicero citat Tusc. disp. (V 17, 49): *Et est in aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum, ut Epaminondas . . . ut Africanus:*

A sole exoriente supra Maeotis paludes
Nemo est qui factis me aequiperare queat.

Quod Ennianum esse Cicero non dicit, sed quae erat altera pars huius epigrammatis, eam Ennii nomine in libris de re publica laudaverat: unde hoc quoque Seneca exhibuit, qui ita dicit *esse apud Ciceronem in his ipsis de re p. hoc epigramma Enni* '*Si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquamst, mi soli caeli maxima porta patet.*'

In epistolis pauca sunt quae Ennii admonent, qui semel omnino vocatur nomine. Sed quae sunt, aperiunt quam familiaris fuerit Ciceroni Ennii poesis et quam non ignota iis ad quos scribit. Utitur enim Ennianis ut suae orationi leporis aliquid et facetiarum impertiat, quod placere possit iis quibuscum communicat. Velut ab Attico iussus agere quod ei parum honestum videbatur, ei ita respondet (VI 2, 8) *ain tandem, Attice, laudator integritatis et elegantiae nostrae,* '*ausus es hoc ex ore tuo*', *inquit Ennius* (ann. 578), *ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare?* De cuius venustate orationis partem perdidit qui *ut inquit E.* edidit, ignorans usum Graecis perfamiliarem nec nostratibus aut Francogallico sermoni inusitatum: nam quod ita edunt '*ausus es hoc ex ore tuo* — —', ne orationis quidem formam, in qua nihil desideratur, recte videntur accepisse. Lepidius etiam ad Att. (VIII 11, 3) quod vaticinatur Cassandrae verbis in Alexandro [65], cum ita loquitur *προθεσπίζω igitur, noster Attice, non hariolans, ut illa cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens* '*iamque mari magno*'*: non multo inquam secus possum vaticinari: tanta malorum impendet Ἰλιάς*, aut quod Clytaemnestrae oratione de Iphigenia [VIII] utitur ut se fecisse nuntiet quod Atticus iusserat (ad Att. XIII 47 *a*), *Posteaquam abs te Agamemno non ut venirem (nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset), sed ut scriberem tetigit aures nuntius, extemplo instituta omisi, ea quae in manibus habebam abieci, quod iusseras edolavi,* sic miscens sua cum tragoediae verbis, quae Enniana esse testis non affirmat sed probabili coniectura usi statuerunt. In eodem genere adeo luculentius est quod in epistola ad Trebatium iurisconsultum (ad fam. VII 6, 1), qui in Britannia apud Caesarem degit, consolandi aut excusandi causa quod procul absit a patria *Medeam agit,* ut ait, quae apud Ennium hanc veniam ad ignoscendum a matronis Corinthiis petiverit et acceperit [IV]; simul alio versu Medeae [VIII] iurisconsultum admonet quid

ei faciendum sit; item in altera epistola ad eundem (13, 2) Enniano versu de annalibus [272] *non ex iure manum consertum sed magis ferro rem repetunt* condicionem rerum quae illic sit iurisconsulti muneri contrariam significat.

A Ciceronis libris seiungi non potest ad Herennium cuiuscumque est auctoris rhetorica, quae semel et iterum Ennium pro exemplo poetae aut tragici poetae ponit, IV 1, 2 *cum possimus ab Ennio sumere aut a Graccho ponere exemplum, videtur esse arrogantia illa relinquere, ad sua devenire,* aut IV 4, 7 *si [Ennii] de tragoediis velis sententias eligere aut de Pacuvianis nuntios,* Ennianos versus non multos affert, primum non sine Ennii nomine notissimum et a permultis citatum principium Medeae *Utinam ne in nemore Pelio* et qui sequuntur versus octo (II 22, 34), quorum versuum sententias et compositionem Cicero in libello de fato (15, 35) et in topicis (16, 61) similem in modum expendit, secundo autem loco versus duo (II 25, 39) *Eho tu di quibus est potestas* eqs, quos in Thyeste [III], nam Ennii esse rhetor ipse dicit, collocandos duxi. Atque hae quidem reliquiae duae etiam in Ciceronis primo de inventione (49, 91) leguntur. Praeterea rhetorica ad Herennium in vitiis compositionis (IV 12, 18) habet *o Tite tute Tati* eqs (ann. 109), et *eiusdem poetae* (quem antea non nominavit) *quicquam quisquam* eqs (scen. 422), quibus addas ibid. *flentes plorantes lacrimantes obtestantes,* si quidem is idem est cum ann. 103 *maerentes flentes lacrimantes commiserantes.* Qui vero II 24, 38 leguntur versus complures olim ad Cresphontem Ennii relati iam dubium non est quin ab Ennio et ab hac tragoedia alieni sint.

Priusquam ex reipublicae Romanae temporibus ad Augusti principatum transeamus, unus etiam poeta verbo memorandus est, P. Terentius Varro Atacinus (a. 672—717), qui cum bellum Sequanicum scripsit tum saturas, quas sibi parum probatas fuisse Horatius fatetur, et quo maxime fama eius fundata erat, Argonautas Apollonii Rhodii Latine verterat. Quid ei cum Ennio? Tantum. Servius ad Aen. X 396 *semianimesque micant digiti* adscripsit versus Ennianos (ann. 472), quos Vergilius imitatus esset, *oscitat in campis caput a cervice revulsum semianimesque micant oculi lucemque requirunt,* et hoc addit: *quem versum* (Ennianum dicit) *ita ut fuit transtulit ad suum carmen Varro Atacinus.* Ad quod carmen, nescitur. Sed si hoc verum est, consectaria fiunt duo, primum Ennii annales etiam tum lectos et claros habitos esse, et poetam, qui unum ex iis versum sumpsit, non solum unum sumpturum fuisse.

Augusti aetate h. e. ut terminos quosdam ponamus ab a. u. c. 711 ad 767 Ennius poeta iam non eo favore excipiebatur quo eum Cicero, omnis antiquitatis Romanae valde studiosus, foverat, quamquam iam Ciceronis annis extremis quos dicit *cantores Euphorionis* eum *contemnere* ut ait coeperunt (Tusc. disp. III 19, 45). Verum

tamen non oblivioni dabatur sed non obstantibus iudiciis quibusdam iniquioribus lectitabantur quae legenda erant, quae vero spectanda saepenumero spectabantur. Augustus ipse, quem credibile est Ennianas tragoedias saepius in theatro spectasse, in epistola ad Tiberium quam Suetonius in vita Tiberii c. 21 servavit, notissimum versum Ennii paulum mutatum Tiberio applicavit *unus homo nobis vigilando restituit rem.* Sed inprimis quaeritur, poetae qui deinceps Augusto principe nova specimina poesis Romanae prodebant, quid de prisci poetae carminibus iudicaverint. Ac Vergilius quidem (a. 713—735) cum novum carmen epicum conderet quantam operam Enniano carmini epico dederit, quam multa non solum in Aeneide ex annalibus sed in omnibus suis carminibus ex variis Ennii libris imitando expresserit, duo exstant testes locupletissimi, Servius interpres Vergilii et Macrobius Saturnalium conditor, quorum uterque permulta quae ab Ennio sumpsisse Vergilius videretur notarunt eoque consilio Enniana multa ab interitu vindicaverunt. Quamquam ne hi quidem, cum multa protulerint, omnia imitationis Ennianae exempla suscitarunt et in sua luce posuerunt. Sed de his rebus tum dicendum erit accuratius cum disputatio nostra ad hos grammaticos devenerit.

Horatius autem (a. 712—746), cuius varia sunt de Ennio iudicia, universe minime existimandus est priscum poetam contempsisse. Qui de moribus eius cum ita scribat ep. I 19, 6

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,
Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda,

in vini laude et usu Homero Ennium adiungens, nimirum ut poetarum principum exemplo vini vim et efficaciam in poetando*) cum risu praedicet, nescio quid favoris prodere videtur, non in eo solum quod cum Homero Ennium, cum Graeco poeta Romanum, comparat, ut Lucilium et Varronem, Ciceronem quoque, fecisse vidimus, sed quod quidquid de vini usu dicit, cuius rei memoria fortasse ab Ennii usque carminibus propagata est (cf. p. XVI), certe non infeliciter eum dixisse arma iudicat. Cui generi poesis Ennianae quantum tribuerit profitetur ipse c. IV 8 versibus, quos supra p. XII sq. adscripsi, quibus Calabrae Pierides quid fuerint Scipioni Hannibalis victori egregia laude extulit. Quae me referre ad *Scipionem* Ennii non ita longe post reditum Scipionis ex Africa editum supra dixi. Annales autem Ennii quanti fecerit vel ea declarant quae scribit sat. I 4, 60

his, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si

---

*) Cf. Servius Dan. in buc. 8, 12 p. 94, 4 Th. *hedera autem ideo coronantur poetae, quoniam poetas saepe vino plurimo manifestum est uti, sicut et de Ennio ait Horatius et lyrici omnes in suis carminibus loquuntur.*

Tempora certa modosque et quod prius ordine verbumst
Posterius facias, praeponens ultima primis,
Non ut si solvas 'postquam Discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit,'
Invenias etiam disiecti membra poetae.

Ab Ennio enim, quod aliis testibus constat, sumpsit quibus gravitatem orationis depingat (ann. VIII fr. II), quae ne solutis quidem numeris ac versibus pereat. Neque aspernatus est ex iisdem annalibus (lib. inc. IX) versuum

Audire est operae pretium procedere recte
Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis,

quorum alterum Varro saturis suis inseruit (testam. III), priorem imitando exprimere et in rem longe diversam convertere, in sat. I 2, 37 cum ita scribit *Audire est operae pretium procedere recte qui moechos non vultis*, quibus qui versus Ennii adscripsit Porphyrio *urbane* Horatium dicit *abuti versibus Ennianis:* sed ea urbanitas constare non potuit, nisi etiam legentes originem alienam agnoscerent. Et ne alterius quidem versus Enniani immemor fuisse videtur cum in c. s. 66 scribit *remque Romanam Latiumque felix alterum in lustrum . . prorogat.* Sed nisi fallor et quae c. I 2, 17 de Ilia nimium querente et eius ultore Tiberi cecinit, memoriam retinent narrationis de Ilia Ennianae quae fuit in primo annalium [25], et orationis, quam Iunoni tribuit c. III 3, summa sententia ducta est ex annalibus Ennii, in quibus magnas partes fuisse Iunonis testimonia prodiderunt de quibus in parte II huius praefationis disserui: in qua re vel haec quae dea dicit (47) *qua medius liquor secernit Europen ab Afro* haud scio an colorem duxerint ex Ennii versu de annalibus [IX fr. III] *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda,* quo Cicero bis usus est. Sed poetae munus cum venustissimis versibus ita describat ep. II 2, 115

Obscurata diu populo bonus eruet atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc situs informis premit et deserta vetustas eqs,

eius virtutis quantam partem fuisse in Ennio senserit his versibus (a. p. 48 sqq.) patefacit

si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum, et
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget — — *quid autem*
Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Vergilio Varioque? ego cur, adquirere pauca
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit —

Quid quod hunc Cethegum, qui bis in his versibus ab Horatio memoratur, principem illis priscis temporibus oratorem fuisse unius Ennii testimonio constabat, cuius versus clarissimos Cicero affert in Bruto (15, 58) cum eoque aetate coniunctum Catonem memorat.

Sed huius poetae, quem tot laudibus effert, fuisse quaedam in carminibus minus feliciter expressa fatetur quodam modo cum ita scribit (sat. I 10, 50)

At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis: age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero,
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci,
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore reprensis?

Nam licet in his non tam de Ennio agatur quam de Lucilio, cuius exemplo Horatius sibi ius etiam Lucilii versus reprehendendi ab ineptis fautoribus Lucilii vindicat, tamen hoc qui refert, non videtur dubitasse quin fuerint quaedam apud Ennium Lucilii risu non indigna. Quia vero fuerunt illa aetate, qui a Varrone, ut videtur, potissimum exorti, nimiis laudibus Ennium et priscos poetas omnes extollerent, quasi nihil ultra eorum perfectionem praestari aut exspectari posset, recentiores autem nulla parte illorum virtutes assequi valerent, illusit eorum iudicia sic, ut poetis ipsis non parceret (ep. II 1, 50)

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est?

Quae postquam ex istorum laudatorum mente exposuit, cum hanc poetarum seriem complectitur ut scribat

Hos ediscit et hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens —

Ennium, cuius tantum annales et annalium exordium designaverat, iis poetis adnumerari voluit quorum poemata Romani illa quoque aetate legerent et ediscerent. Sed etiam tragoedias eius in iis fuisse quas *Roma potens arto stipata theatro spectaret*, Horatius alibi docet, cum exposita iamborum natura et norma cum Accii trimetris Ennianos versus spondeorum frequentia ponderosos vituperat in iisque artem poetae aut diligentiam desiderat. Sic enim cum dicit (a. p. 258): *hic* (iambus scilicet, quem ante descripsit)

et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
In scenam missos cum magno pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi,

intelligitur horum versuum pondus non semel in scenam missum.

Horatio oportet amicus eius adiungatur Iulius Florus, ad quem duae sunt Horatii epistolae I 3 et II 2. De quo Porphyrio Horatii interpres ad I 3 memoriae prodidit: *hic Florus scriba fuit saturarum scriptor, cuius sunt electae ex Ennio Lucilio Varrone saturae.* Florilegium igitur quoddam confecit quo saturas principum trium saturarum scriptorum collegit.

Post Horatium Tibullus memorandus esset si constaret quod Frid. Hankelius (in Ritschelii actis soc. phil. Lipsiensis v p. 45 sqq.) demonstrare conatus est, panegyricum in Messallam a Tibullo compositum in eoque carmine satis certa indicia imitationis Ennianae cognosci. Sed nec illam originem panegyrici facile concesserim, quamquam dubium non est eius auctorem Tibulli aetate fuisse, neque in versibus allatis eam similitudinem cum Ennianis agnoscere licet, quae auctori Ennii carmina nota fuisse probet.

Propertii duae sunt elegiae, quae Ennii mentionem faciunt: IV 1, 61

Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Tantum afferendum erat ut sententia patefieret, quae mixtam cum vituperatione laudem continet. Agitur autem de annalibus Ennii: quia enim Propertius carmen condere cupit quod patriae laudi inserviat, Ennii memor est, qui 'panxit' olim 'maxima facta patrum' ut ipse ait, et qui Cicerone teste clarorum virorum laudibus quas cecinit simul populi Romani gloriam exaggeravit (ann. XII fr. IV). Sed eius oratio quia recentiori iudicio parum polita videtur, corona quidem merito poetae non denegatur, sed ea non potest nisi *hirsuta* esse, qua non caput sed sua dicta, utpote hirsuta, cingat: sibi Graecorum poesim prae se ferenti hederam porrigi poscit. Iterum annalium Ennii se memorem probat Propertius III 3

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
Tantum operis, nervis hiscere posse meis,
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit.
Et cecini Curios fratres et Horatia pila,
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate eqs.

De quibus breviter dixi in actis academ. a. 1886 *(Über die Annalen des Ennius)* p. 5; singula accurate exsecutus est Rothsteinius in commentario. Nos tantum dicimus, quas se cecinisse dicit Propertius, res maxime memorabiles historiae Romanae, vix dubium

est, quin in Ennii carmine fuerint, sed ea tamquam totidem fragmenta annalium Ennianorum proponere et disponere ineptum est, si quidem Propertius non aliud dicit quam se ora fontibus admovisse unde Ennius ante biberit, h. e. ex memoria rerum Romanarum, ut illum, ita se sua hausisse. Quodsi ita recte interpretamur, nihil prohibet quominus *Aemilia tropaea vecta rate* ad Aemilium Paulum post splendidam victoriam de Perseo et Macedonibus reportatam a. u. c. 587 Romam redeuntem referantur, de quo reditu quae Livius habet (XLV 35, 3) hanc vim verborum Propertii egregie aperiunt. Quae quia ab Ennio memorari non poterant, temerarium esset aliam interpretandi rationem quaerere. Qua de re iam Hertzbergius in comm. recte iudicavit.

Nec Ovidius (a. 711—770) non testatur Ennium principem poetarum Romanorum etiam tum haberi: in amor. (I 15, 19) cum poetas immortales esse multis exemplis tam Graecis quam Romanis probat, primum Romanorum appellat Ennium

Ennius arte carens animosique Accius oris
Casurum nullo tempore nomen habent.
Varronem primamque ratem quae nesciet aetas eqs.

Quem quod *arte carentem* dicit, hoc est quod illa aetate Ennio et priscis poetis, quamvis ingenium concederetur, artem deesse vulgaris opinio erat, quam Ovidius etiam alio loco, de quo postea, secutus est. Rursus Ennii exemplo utitur Ovidius art. am. (III 409), cum poetis olim magnos fuisse honores dicat qui iam in desuetudinem abierint. *Ennius emeruit Calabris in montibus ortus contiguus poni, Scipio magne, tibi.* De statua haec dici quae Ennii credita est in Scipionis monumento posita supra p. XIX memoravi, ubi eam fabulam pluribus verbis excussi. Tertium Ennii Ovidius cum honore mentionem facit trist. (II 423), ubi se aliorum poetarum exemplis a suis criminibus purgare cupiens gravioris argumenti poetis opponit eos qui lasciva et iocosa sectati sint.

Et Romanus habet multa iocosa liber.
Utque suo Martem cecinit gravis Ennius ore,
Ennius ingenio maximus, arte rudis,
Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
Sic sua lascivo cantata est saepe Catullo femina.

Ennii annales dicit in quibus gravis poeta Martem h. e. bella et arma cecinit, tribuitque ei ingenium cui artem denegat. Sed quem modo in gravitatis exemplum attulit, eiusdem annales quamvis hirsuti sint tamen habere dicit a quibus matronae cavendum sit utpote quae *carmine ab omni* ad delinquendum doctior esse possit (ibid. 259 sqq.)

Sumpserit annales, nihil est hirsutius illis,
Facta sit unde parens Ilia nempe leget.
Sumpserit, Aeneadum genetrix ubi prima, requiret
Aeneadum genetrix unde sit alma Venus.

Non dubitamus quin Ennii *annales* dicat, licet poetam non nominet, quem rursus ut supra cum Lucretio comparat. Et Iliae res in annalibus expositas vel hodie reliquiae quae exstant indicio sunt. Quod praeterea Enniani est apud Ovidium eo versu continetur quem in annali primo [xxxix] posui *Unus erit quem tu tolles in caerula caeli templa.* Quo versu bis usus est Ovidius met. xiv 812 sqq., fast. ii 485 sqq., et eodem utrobique artificio. Martem enim haec dicentem facit, cum de Romuli sorte Iovem adit eumque orat ut rata faciat quae olim in deorum concilio his ipsis verbis promiserit se audiente. Audierat haec autem in eo quod apud Ennium in annalibus erat concilium deorum. De hoc artificio disserui in parte ii de libris Ennianis. Ennii versum esse Ovidius neutro loco dixit, neque Varro qui eo utitur de l. L. vii 6. Sed ipsa ratio qua eum Ovidius adhibuit patefacit non locum habuisse nisi in annalibus Ennii. Hoc autem exemplo, non minus illis quae de Ilia Enniana memoravit, apparet Ovidium non solum ipsum Ennii annales cognitos habuisse, sed etiam iis scripsisse qui eorum non leviter periti essent.

Ovidium excipiat Livius non solum aetatis causa qua cum eo coniungitur (a. 695—770), sed ob necessitudinem quandam quam ambo cum Ennio habuisse creduntur. Livius Ennium bis omnino memoravit, xxxviii 56, 4 *Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Q. Ennii*, de qua memoria quid iudicandum esset supra p. xix exposui, et xxx 26, 9 ad a. 551, cum mortem Q. Fabii Maximi referret, cum alia tum haec in eius laudem attulit: *cautior quam promptior hic habitus, et sicut dubites utrum ingenio cunctator fuerit an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat, sic nihil certius est, quam unum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait.* Quem versum notissimum semel et iterum a Cicerone solum aut cum insequentibus duobus citatum ne erat quidem quod Livius, qui eum solutis numeris affert, ex ipsis annalibus repeteret. Sed annales eum cognitos habuisse et nonnumquam in suos usus convertisse probabilibus rationibus statuitur, quod ipse olim in *Quaestion. Ennian.* exemplis quibusdam confirmare studui; velut versus quibus desiderium populi post excessum Romuli in i [lxi] describitur, Tarquinio Prisco in itinere factum omen in tertio [i. ii] relatum, proxime post cladem Cannensem quae in castris Romanis gesta esse Ennius, quod ex viii [xix. xx] cognoscatur, perhibuerat, haec ita cum Livii narratione (i 16, 3; i 34, 8; xxii 50, 4 sqq.) conspirant, ut credibile fiat ei annales Ennii obversatos esse. Quod vero etiam puros putos versus Ennianos ex Livii oratione expiscari animum induxerunt, nec olim me assentientem neque nunc habent: velut quod Hugius ex xxii 50, 10 non mutatis verbis hos hexametros recuperavit

Haec ubi dicta dedit, stringit gladium cuneoque
Facto per medios vadit

sane speciosum est, et licet a me refutatum fuerit, tamen mirum non est quod perplacuit cum H. Hageno (in Fleckeis. annal. a. 1874 p. 271) tum Sieglino l. i. s. Ego vero ita sentiebam incredibile esse Livium versus, quos apud Ennium legerat et memoria retinebat, ne mitigato quidem aut obscurato numero orationi immiscuisse; hoc enim vitium esse orationis quod vitare studerent scriptores: posse fugere aliud agentem si quid numerosi haberet oratio, sed scientem hoc admittere neminem. Haec enim praecepta sunt Ciceronis, quae Livio non poterant incomperta esse, qui in oratore maxime de ea re agit (20, 67 et 51, 170, al.), item de orat. III 44, 175. Atqui quae scripsit Livius ita comparata sunt ut ea nullo duce aut exemplo in sua oratione ponere potuerit; nam *dicta dare* vulgaris dicendi ratio est qua saepius utitur, III 61, 7 *haec ubi inter signa peditum dicta dedit;* VII 33, 11; XXIX 2, 12 *vix haec dicta dederat;* nec reliqua a communi usu loquendi recedunt, velut VIII 24, 13 *quos ubi respexit rex procul grege facto venientes, stringit gladium et per medium amnem transmittit equum,* vel IX 35, 3 *ut abiectis missilibus, quo celerius manus consererent, stringerent gladios, vadentes in hostem* (cf. IX 13, 2). Quis qui paulum modo peritiae stili Latini habet, non cum haec considerat ultro eandem manum agnoscat qua illa scripta sunt quae Enniana esse volunt. Itaque nihil restat nisi species quaedam numerorum quae sua sponte ex naturali ordine verborum (nam nihil est in illis quod aliter collocari potuerit) insciente Livio orta est.*)

Non integros versus sed tamen vestigia quaedam non solum orationis sed etiam metrorum Ennianorum R. Ehwaldus sibi visus est in Livii narratione detegere. Is enim in symbolis secundis ad historiam carminum Ovidianorum a. 1892 Gothae editis p. 11 sqq. hinc proficiscitur ut de excessu Romuli quae sint apud Ovidium utroque loco quem supra significavi comparabilia esse dicat cum iis quae Livius (I 16) tradat, sed comparabilia non quia alter alterum sectatus sit, sed quia uterque ad Ennii exemplum se composuerit. Ac verum est, quod supra explicui, utrumque habere in ista memoria, quod satis certo originem Ennianam prae se ferat, Livium desiderium populare post mortem regis ad sensum versuum Ennii qui exstant (ann. I fr. LXI) expressum, Ovidium Iovis promissum de Romulo a Marte repetitum versu *Unus erit* eqs, qui non potest non Ennianus esse. Sed non negligendum est, hoc quod proprium est Ovidii, alienum esse ab Livio, illud de desiderio quod habet Livius non ita esse apud Ovidium. Quid ergo est? Uterque habet,

---

*) Longe prudentius aliis iudicat Nordenus *(antike Kunstprosa)* p 235, quamquam ne ei quidem me fateor adsentiri in omnibus.

quod Ennio acceptum ferat, inter ipsos quod conferatur tenue est: nisi quod Proculi Iulii partes fuisse apud Ennium quae sunt in fastis et apud Livium probabile est, si quidem probabiliter versus *Romulus in caelo* eqs (ann. I fr. LXII) eius nuntio tribuitur, quamquam similem orationem nec Ovidius habet neque Livius. In singulis quae Ehwaldus maxime sensu quodam numerosi ductus ex capite Livii ad Ennium revocavit, fateor mihi valde ambigua videri.*)

In Liviana oratione quae numerosi quid habent aut colore poetico distincta sunt, Ennio vindicare etiam alia via conati sunt. Coelius enim Antipater, de quo supra p. XXVI disserui, quem Fronto dixit studiose aemulatum esse Ennium, in cura scilicet quaerendi et eligendi verba, unus est eorum scriptorum belli Hannibalici quos Livius in ea parte annalium adhibuit. Itaque sic statuerunt, quae numerosa esse aut poetam decere in Livii verbis viderentur, Enniana quidem esse sed non ex Ennio verum ex aemulo Ennii Antipatro ad Livium pervenisse. Quae est opinio G. Sieglini quam exposuit in libello a. 1879 edito quo Coelii Antipatri reliquias collegit. Is igitur non modo versus Hugii et Hageni invento procusos, quos cum olim tum rursus nunc certa ratione repudiandos et ab Ennio procul habendos docui, pro veris versibus Ennii habuit non solum sed etiam sua parte auxit, verum et hos et quos similiter partos adiecit, etiam veros Ennii versus, qui aliquid similitudinis cum verbis Livii haberent, omnes ad Coelium redire et ex Coelio exceptos esse a Livio sibi persuasit. Paene putaveris Coelium bellum Hannibalicum versibus composuisse, quem quidem notum est traiectione verborum**) nonnumquam pleniorem sonum sermoni addere studuisse, sed ultra progressum aut alienos versus sua oratione recepisse nullo quod sciam indicio probatur, nisi quis forte, quod aemulatus Ennium dicitur, prave interpretatus sit. Sed ut nihil dicam de versibus ficticiis, quibus mihi videtur fama principis poetarum deturpari, quaerere libet, cunctane Livius in bello Hannibalico a Coelio Antipatro repetierit, quem plerumque in dissensu auctorum testatur sed ita ut ei fidem prae ceteris non habeat. Nam nisi hoc ita esse statuas, qui licuit quaecumque numerosi quid habere viderentur in his libris Livianis temere et nulla accurata demonstratione adhibita ad Coelium revocare?***)

Nondum satis dictum est de Livio, quamquam quae dicenda

*) Enniana ex Ovidii versibus si quaeruntur, quidni fast. II 504 *Romulus in media visus adesse via* conferimus cum ann. 6 *visus Homerus adesse poeta:* sed *visus adesse* communis dicendi ratio est, qua Ovidius ipse vel met. XV 32 utitur, ubi non est quod de Ennio cogitetur.

**) De Antipatro post Frid. Marxii Stud. Lucil. Ed. Nordenus egit *antike Kunstprosa* p. 176 sq.

***) Diversi generis sunt quae de Ennio et Livio Ed. Zarnckius et quos ipse laudat in Comment. in honorem O. Ribbeckii 1888 p. 269 sq. (cf. 283 n.) ingeniose disseruit, sed ea a meo itinere absunt.

erant iam nimis multa sunt. Nuper enim Ed. Woelfflinus (in mus. Rhen. L 1895 p. 152) non sanae cupiditati versus Ennii ex Livio recuperandi sua auctoritate novum fervorem addidit neque defuit successor. Etenim cum apud Livium (IX 41, 18) legeret *et sicubi est certamen, scutis magis quam gladiis geritur res,* advertit eum haec collocatio, quae pedestrem scriptorem parum deceret, et quia meminerat apud Ennium legi *iniicit inritatus, tenet occasus, iuvat res* et *pellitur e medio sapientia, vi geritur res,* conclusit rationem, Livium hanc hexametri particulam *geritur res* ab Ennio petitam servasse. Miror hoc iudicium in homine si quis alius Livii Livianique sermonis peritissimo. Nam ne dicam, si recte pronuntiaveris non *geritúr res* sed *gládiis géritur res* ne audiri quidem dactylicum numerum, collocatio ista, quae principium fuit erroris, frequens est apud Livium, velut X 43, 6 *sed cominus gerebatur res,* 44, 1 *ab altera parte feliciter gesta res;* XXVIII 2, 6 *et gladiis geri res coepta est;* aut X 36, 12 *adeo facile inclinata res* (cf. ibid. 13) vel XXIV 15, 7 *in dubium adducta res:* haec enim quae paucissima sunt ex longe plurimis qui consideraverit intelliget Livium hanc postpositam vocem monosyllabam minime fastidiisse neque in ea re alieno exemplo duci.

Woelfflini praeceptoris sui consilia exsecutus nuper S. G. Staceyus (in Woelfflini arch. X p. 17 sqq.) cum stili Liviani initia et progressus pertractaret, in praefatione et illam opinionem Woelfflini et quae idem in bello Hispaniensi similia temptavit, de quibus quid sentirem supra p. XXX dixi, expresse probavit, quaedam etiam de Coelio Antipatro Ennii aemulo in eam sententiam, quam supra repudiavi, disseruit, in ipsa autem disputatione ut Livianae orationis colorem poeticum declararet, multos dicendi modos qui sunt apud Livium et in Ennii reliquiis apparent aut apud alios poetas, inprimis Vergilium, occurrunt, et Ennio principe inventos et inde ad Livium propagatos demonstrare studuit. In quibus etsi non nego multa diligenter et utiliter esse observata, tamen multum abest ut omnia quae vult ex imitatione Enniana fluxisse concedam. Omnino hac via, ut hinc illinc sublatae dictiones in poetae usu et apud Livium ostendantur, mihi fieri non posse videtur, ut vera natura eloquii Liviani et quid sit in eo decoris poetici recte taxetur. In qua re si quid sentio hoc inprimis agendum est, ut Livius cum Livio accuratissime conferatur h. e. ut usus Livianus subtilissima observatione pateat totus: vel pauca quae supra tetigi videntur indicio esse, sic demum diiudicari posse quae Livii propria sint et quae aliena. Deinde quo nunc uti solent concludendi modo, ut ex duobus notis colligant tertium quod est ignotum, is mihi videtur seminator esse multorum inanium et incredibilium: quia hoc habet Livius et habet Vergilius, qui tandem ex ea re sola consectarium fiat, ergo hoc peperisse Ennium? Denique in iis, quae supra apud Livium concessi retinere memoriam Ennii, res et sententia momentum faciebant, et hoc ita

arbitror oportere in hac quaestione, ut sermonis filum ne umquam neglecta rerum condicione aestimetur. Ceterum etiam infra in Claudiano necesse erat de imitatione Enniana quaereretur.

In mediam Augusti aetatem cadit is qui princeps eo tempore grammaticorum fuit, Verrius Flaccus, de cuius vita et rebus quae tradit Suetonius qui inter illustres eum professores (c. 17) recepit, olim disceptavi in prooem. a. 1877/78, neque de iis sententiis quas tum probavi et stabilire studui discessi. Sed hoc nunc non agendum est. Verum quia in grandi opere, quo priscorum vocabulorum usum et sensum interpretandum sibi sumpsit, non exiguam partem Ennii carminibus tribuit, qua ratione id instituerit et quid inde redundaverit ad conservandam Ennii poetae memoriam quaerendum est. Hoc opus Verrii quoniam non integrum sic ut ex conditoris manu exierit ad nos pervenit sed eius epitoma tantum et duplex quidem a duobus hominibus nescio quam doctis et peritis diverso tempore et disparibus consiliis facta, et earum quae antiquior est, ne ea quidem nisi cum ingenti iactura infelici casu facta ad nostram memoriam propagata est, apparet quanta difficultate laborare necesse sit eum qui ex his deductis rivis saepe intermittentibus nec umquam satis uberibus ipsum caput et fons quale fuerit quaerendo repraesentare studuerit. Sed ea investigatio saepe multis agitata, postremo quod sciam a Rich. Reitzensteinio quaestionibus Verrianis a. 1887 Vratislaviae editis cum prospero successu ad finem quendam deducta, a meo instituto aliena est, qui hoc tantum ago ut quanta pars versuum Ennianorum in ista duplici quam dixi epitoma servata sit edoceam modosque quibus qui exstant perscripti sint, ut cum fide iis utare, proponam, simul hoc secutus, quantum eius fieri potest, ut quae ratio in iis afferendis Verrii ipsius fuerit intelligatur. In qua re ne quis obiiciat, in unius poetae reliquiis, cum Verrius tot poetarum scriptorumque monumenta excusserit, nihil utile posse indagari, hoc dico, Verrio singulorum scriptorum libros per se perquirendos et quae ex quovis repetita essent separatim in ordinem redigenda fuisse, neque necesse esse eius morem modumque in omnibus eundem fuisse. Hoc igitur obtinemus, Verrium Flaccum ipsum Ennii carmina inspexisse et quae usui essent ex iis excerpsisse, quamquam idem etiam *glossematorum scriptores* (p. 170, 8 Th.), quos Varro quoque, et *Ateium philologum in libro glossematorum* (p. 196, 18) citavit. Itaque sic agemus, ut primum Festum adeamus, qui quam ex Verrio epitomam (secundo vel tertio p. Chr. saeculo) confecit, eius pars in codice Farnesiano exstat, altera nisi ex apographis doctorum edi non potuit, quae differentia, quam nunc non persequimur, numquam non attendenda est, deinde quae Paulus ex Festo excerpsit (saec. p. Chr. VIII) tam ibi ubi Festum comitatur quam ubi nulla particula Festi superest consulamus, ex illis ut percipiatur qualia et cuius usus sint haec quae eius fide sola nitantur.

Itaque ad Festum redeunt praeter cetera versus multi annalium et tragoediarum nonnullarum. Et qui sunt annalium secundum ordinem librorum citantur, quod his exemplis cognoscitur: p. 172, 1 *Ennius l. VI . . . et l. XVI*; p. 194, 14 *E. in l. II . . .; item in l. V . . .; item in l. VIII*; p. 348, 6 *E. in primo . . .; [idem in] secundo . . .*; p. 426, 3 *E. l. I . . . et l. II . . .*; p. 428, 12 *E. l. I . . .; et l. III . . .; l. VII . . .; l. XI . . .*; p. 476, 18 *E. in l. I . . .; l. VII . . .; in l. XVI . . .*; p. 492, 5 *E. l. II . . .; et l. XVI . . .*. Quo magis apertum est p. 340, 22 ubi haec tradita sunt *Ennius l. XL . . . idem l. XVI . . .*, priorem numerum falso scriptum esse, et pridem pro *XL* repositum est *XI*. Semel peccatum est in ordine p. 220, 25 *E. l. XVI . . . et in l. VIII . . . .* Nam numeri dubitari non potest quin recte scripti sint, sed licet patefieri non possit unde is error natus sit, tot exemplis adversarium unum non potest impedire quo minus pro certo habeatur Verrium annalium libros suo ordine excerpsisse neque in ea re Festum quicquam mutasse, quem credibile est Ennium numquam inspexisse, sed a solo Verrio pependisse. Illud quoque ex ordine primitivo fluxit, quod tragoediae post annales citantur: p. 236, 5 *Ennius l. XIIII . . . et in Iphigenia . . .*; p. 346, 15 *E. l. II . . . et in Cresphonte . . . et in Andromeda . . .*; p. 424, 30 *E. in sexto . . .; in Andromacha . . .*; p. 460, 13 *E. l. I . . .*; *et in Alexandro . . . .* Annalium libri ut exempla docuerunt librorum numeris afferuntur: *annalium (annali)* bis tantum additum legitur, p. 234, 27 *Ennius quom dixit in l. I annalium . . .*; p. 284, 23 *ut Ennius annali. l. III . . . .* Videtur Verrius, si recte rem intelligo, semel tantum in primo cuiusque libri versu qui affertur titulum libri addidisse. Certe p. 312, 11 in his laciniis . . . *pes dr̄/ . . . de ruit/ . . . l. I an* valde dubia res est quam recte restituerint *Ennius] l. I an[nalium,* de quo verbo monui in actis acad. a. 1886 p. 11. Duplici autem vitio peccavit O. Muellerus quod quae p. 424, 30 in codice sic scripta sunt . . . *Ennius in sexto/ . . . ntus in occulto mussa/ . . . s in Andromacha:* '*di/* his supplementis (p. 298, 30) edenda curavit *Ennius in sexto [Annalium: i]ntus in occulto mussa[bant et Enniu]s in Andr.* Citantur autem isto modo quem allata exempla demonstrant, addito libri numero plerumque nota, perraro nomine adhibito, versus Ennii ex his annalium libris: nam non pari lance tributi sunt, et libri IV IX XII XIII XV XVII XVIII, nisi quid me fugit, nusquam citantur: ex reliquis libri XVI (11) II (10) I (7) ceteris longe frequentius afferuntur, ceteri semel (v. XIIII), bis (VI VIII X), ter (III), quater (XI), quinquies (VII) apparent. In tragoediis certus ordo non agnoscitur, p. 346, 18 *in Cresphonte . . . et in Andromeda* se excipiunt, p. 370, 27 *in Cresphonte . . . et in Hectoris lytris.* Sed citantur suis nominibus hae: p. 314, 23 *Ennius Achillae in Aristarchi . . .*; 436, 23 *E. in Achille . . .*; — 532, 2 *E. in Aiace . . .*; — 270, 20 *in Alexandro* loco valde mutilato; 460, 14 *Ennius . . . et in Alexandro . . .*; 548, 24 *E. in Alexandro . . .*; — 346, 19 *E. . . . et in Andromeda . . .*;

494, 12 *Ennius in An[dromeda]* ...; 570, 29 *E. in Andromeda* ...; — 424, 30 *E. in sexto* ... *in Andromacha* ...; — 346, 15 *E.* ... *et in Cresphonte* ...; 370, 27 *E. in Cresphonte* ...; — 160, 33 *Enni]us Erechtheo* ...; — 370, 29 *E.* ... *et in Hectoris lytris* ...; — 236, 8 *E.* ... *et in Iphigenia* ...; 324, 28 *in Iphigenia Enni* ...; — 234, 20 *E. in Telamone* ...; — 124, 26 *E. in Telepho* ...; 486, 27 *in Telepho* ...; — 442, 16 *E. in Thyeste* .... Quibus fortasse accedit p. 166, 5 *Alcmeo*, quae in lacero admodum loco nominata non est sed ex versus citati particula agnoscitur. Habemus tragoedias 12 vel 13, non magnum numerum, neque multa ex quaque afferuntur. Sed tam ad annales quam ad tragoedias aliquot versus addendi sunt, qui mero Ennii nomine allati metrorum genere aut sententia poscente ad hanc vel illam partem necesse est adscribantur. Et ad tragoediam quidem, ut mittamus incerta vel nimis lacera, pauca sunt quae adiiciantur, p. 234, 22 post allatum ex Telamone versum, cum pergit *item alio loco 'Hector, qui haud cessat obsidionem obducere'*, nimirum aliam tragoediam dicit quam non nominat; p. 484, 17 *Ennius 'salmacida spolia sine sanguine et sudore'*; p. 561, 25 solo Paulo teste, qui numquam tragoediam appellat, *Ennius 'is habet coronam vitulans victoria.'* Plures numero sunt versus quos metrum et sententia ad annales redire iubet, sed eos recensere omitto, cum praesertim multi eorum non possint non memorari in ea disputatione quam de versuum forma a Festo laudatorum instituam. In qua re hoc praecipue dignum est quod attendatur, Festum maximam partem singulos versus afferre, plenos illos quidem numeris, sed sententia saepe non absoluta. Id quod tam in hexametros quam in scenicos versus cadit. Cui rationi quae adversantur non difficilem explicatum habent, velut quae scribit p. 402, 15 *ut cum ait Ennius 'a stirpe supremo' et 'Ilia dia nepos' et 'lupus feta' et 'nulla metus'*, p. 234, 30 *teste Ennio quom dicat 'de muris rem gerit Opscus'*, p. 490, 19 *Ennius hominum multitudinem ita appellat cum ait 'spiras legionibus nexit'*, p. 314, 22 *'prolato aere astitit' Ennius .. cum ait significat clipeo ante se protento*, haec et si quae sunt similia qui consideraverit, facile perspiciet, cur maluerit dimidiato versu integram sententiam afferre. Sed quinquaginta sunt paulo plus aut minus hexametri singulares ex annalibus petiti plenis numeris sententia non integra. Certe qui haec citavit

Quippe solent reges omnes in rebus secundis [ann. 355]
Quande tuas omnes legiones ac popularis [ann. 136]
Qui clamos oppugnantis vagore volanti [ann. 422]
Hic occasus datust, at Oratius inclutus saltu [ann. 129],

plenos versus citare voluit, integras sententias non curavit: quod eo magis apparet in ultimo horum, quia verba *at Oratius i. s.*, quorum imperfecta est sententia, ne requirebantur quidem ad eam rem quam agebat, sed mancum esse versum noluit: itaque saepius, id quod quam brevissime significavi in his

Si quid me fuerit humanitus, (ut teneatis) [ann. 125]
Montibus obstipis obstantibus, (unde oritur nox) [ann. 420]
Prodinunt famuli, (tum candida lumina lucent) [ann. 156]
Primus senex bradys in regimen (bellique peritus) [ann. 423].

Eodemque consilio versus a suo initio citavit, quamquam coepta oratio non continuabatur neque ea ad rem pertinebat, velut

At tu, non ut sum summam servare decet rem [ann. 98]
At sese, sum quae dederat in luminis oras [ann. 131]
Cum illud, quo iam semel est imbuta veneno [ann. 535].

Quae ut facile neglecto grammatici consilio decipere poterant, ita saepius ab interpretibus prave accepta et inutiliter mutata sunt. Pendentes autem sententias nimis quam saepe posuit,

Aut occasus ubi tempusve audere repressit [ann. 294]
Nox quando mediis signis praecincta volabit [ann. 433]
Sed sola terrarum postquam permensa parumper [ann. 455]
Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit [ann. 149]

et eius generis plures. Quae qui reputarit, probabit, opinor, p. 234, 27 (ex apographis) *Ennius quoque quom dixit in l.* I *annalium '[tum] face vero quod tecum precibus pater orat'* [ann. 20] me addita *tum* particula plenum versum restituisse, quae verba prave in duos dispesta sunt; et p. 340, 30 (e cod. Farn.) *Ennius in l.* VII *'[heu] quianam dictis nostris sententia flexa est'* [ann. 259] particulam non a Verrio omissam sed incuria extritam; porro p. 394, 1 (e cod. Farn.) *Ennius* LI *'[iam stabulis] desunt, rivos camposque remanant'* [ann. 69] additis quae casu vel errore omissa sunt versum integrum recuperari; denique p. 324, 17 *Ennius ait 'pęni solitis uos sacrificare puellos'* [ann. 221], Verrium plenum versum dedisse quo modo cumque suppletur sive *Poeni [dis] soliti* sive alio modo (nam ambiguum est propter alterum testimonium Nonii). Id quoque puto his rationibus stabiliri, quod, quae p. 402, 1 (et 425, 1) tradita sunt, unius versiculi finibus inclusi *surum unum unus ferre, tamen defendere possent* [ann. 525], cuius prior pars suspensa est ab ea sententia quae antecessit. Quae vero p. 424, 30 *Ennius in sexto / . . . ntus in occulto mussa /* in codice manca sunt, eorum supplementa quibus usi sunt nihili fuisse apparet, sed plenam versus formam revocari oportere. Sunt quaedam alia, quae ob mutilatam condicionem codicis truncata sunt, sed facile in integritatem hexametrorum revocari possunt. Verum iisdem rationibus nisi fallor comprobabitur etiam quod versus

Occiduntur. ubi potitur ratus Romulus praedam [ann. 75]
Virgines, nam sibi quisque domi Romanus habet sas [ann. 101]
Et simul effugit, speres ita funditus nostras [ann. 128]

distinxi, ut duarum particulae sententiarum essent, quas hic illic non difficile erat suppleri. Idemque fortasse cadit in hunc versum

Omnes occisi occensique in nocte serena [ann. 396],

quem Festus (ex apogr.) p. 236, 6 affert propter *occensi* pro *accensi.*

Distingui enim haec opinor oportet, quando *occisi occensique* non videntur in unam coire sententiam: nam *occensi* (h. e. *accensi*) non possunt dici nisi rogi, ut Vergilius ait Aen. XI 188 *circum accensos . . rogos,* qui locus totus conferendus est nostro; rogi autem accendi solebant nocte, de quo more Servius ad Aen. V 1 et VI 224; occisi vero nisi fallor dicuntur sepulti vel sepeliendi, ut Servius loquitur ad Aen. XI 24 *hortatur socios ut sepeliantur occisi,* item Macrobius Sat. IV 4, 9 *Aeneas hortatur ut sepeliantur occisi.* Duplex igitur sententia satis perspicua, supplementa incerta: temptabam *sepulti] Omnes occisi, accensique in nocte serena [Colluxere rogi;* vel *impositique rogis sunt] Omnes occisi, accensique in nocte serena [Collucent flammis.* Quorum verba supplementorum ex Vergilio petita sunt, quem vide georg. IV 477 Aen. VI 308 et V 4.

De hexametris dixi: eadem ratio agnoscitur in versibus tragicis, quorum minor est numerus, qui plerique, quod quidem per codicis condicionem cognoscere licet, item sunt versus singulares, modo plenam sententiam exhibentes, modo pendentem et mancam. Velut p. 346, 18 qui traduntur versus duo, eorum Cresphontis [II]

Ducit me uxorem liberorum sibi quaesendum gratia

plenam, Andromedae autem [VII]

Liberum quaesendum causa familiae matrem tuae

pendentem sententiam habet, vel hoc par versuum quod p. 234, 20 affertur, *Ennius in Telamone* [V]

Scibas natum ingenuum Aiacem, cui tu obsidionem paras

item alio loco (Hect. lytr. VII)

Hector, qui haud cessat obsidionem obducere,

sunt versus integri, sed prior absoluta sententia, alter pendenti. *Hector* enim claudit superiorem sententiam, quam nos nescimus, neque erat quod *que* pro *qui* reponeretur. Eundem modum agnosco p. 532, 2 *Ennius in Aiace* [IV]

Aiax: misso sanguine tepido tullii efflantes volant,

nam *Aiax* ne quid versui deesset ex priore sententia additum est, quae sic fere suppletur *percussus iacet] Aiax: misso sanguine* eqs. Nec dubitandum videtur quin p. 460, 15 *in Alexandro* [IV]

Hominem appellat 'quid lascivis, stolide? non intellegit'

non intellegis recte scribatur, quod adiectum est ut versus suam mensuram haberet (nam ad rem non desiderabatur), sed ab hac interrogatione quod pendebat quia extra versum erat omissum est. Porro p. 370, 28 rursus duo versus habes, ex Cresphonte alterum [V]

Audi atque auditis hostimentum adiungito,

cuius et metrum et sententia integra est, alterum ex Hectoris lytris [X]

Quae mea comminus machaera atque hasta hostibitis manu

sic opinor recte scriptum, sed ut numeris nihil, sententiae ad *manu* addendum *missa* vel *iacta* desit. Ad hanc rationem licet fortasse etiam declarare versum satis obscurum de Andromeda [V] p. 570, 29

Circum sese urvat ad pedes a terra quadringentos caput.
Quem versum integrum esse et recte scriptum adnotavi (neque *quadringentos* impedit) et ad feram interemptam vel interimendam posse referri. Sic autem putabam explicari, ut hac duplici quae videatur esse sententia, priore fera *circum sese urvare,* altera eadem *ad pedes a terra quadringentos caput,* sed ut verbum *tollit* vel *attollit* addatur quod quia versus non capiebat praetermissum est, et fera igitur caput ad tot et tot pedes a terra, hoc est in immensam altitudinem, sustulisse dicatur. In qua me explicatione confirmavit versus Ovidii, cuius me, si recte memini, Plasbergius admonuit, qui in eadem re narranda (metam. IV 720) de fera dicit

Vulnere laesa gravi modo se sublimis in auras
Attollit, modo subdit aquis, modo more ferocis
Versat apri, quem turba canum circumsona terret.

Illud est addendum ut penitus usum Verrianum perspiciamus quo is versus Ennianos excerptos in suum opus transtulerit, quod qui plerumque versus singulares attulerit nonnumquam duos vel tres continuos laudavit sed eos integros: p. 346, 15 (cf. 120, 19 ex quo loco lacero et corrupto nihil certi cognosci potest)

Ostia munita est: idem loca navibus pulchris
Munda facit, nautisque mari quaesentibus vitam [ann. 144 sq.].

Duo sunt versus pleni ob unum *quaesendi* verbum allati, sed allati ita ut tam initio quam in extremo versu ad sententiam perficiendam aliquid desideretur, neque in ea re Verrius a consuetudine sua descivisse videatur. Alterum exemplum p. 476, 24

Nec quisquam sophiam sapientia quae perhibetur
In somnis vidit prius quam sam discere coepit [ann. 218 sq.].

Nihil voluit ex integritate versuum abesse, quamquam ad *sam* pronomen explicandum defungi paucioribus poterat. Tres versus composuit p. 188, 16

Véluti si quando vinclis venatica velox
Apta solet, si forte [feras] ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute [ann. 340 sqq.].

Totum simile exponit ut unum *nictit* explicetur, sed cui rei simile adhibeatur reticet. Sed ex his exemplis si quid colligi potest, haud scio an Verrius etiam de tragoedia duos versus integros uno tenore attulerit p. 436, 23 *subices Ennius in Achille* [VI] *pro subiectis posuit cum dixit nubes*

Per ego deum [sublimas] subices umidas
Unde oritur imber sonitu saevo et spiritu.

Sublimas quod librarii culpa in Festi codice desideratur aliunde adiectum est et omnino scriptura, quae quasdam labeculas traxit, ex aliis testimoniis correcta. Duos versus Verrius afferre maluit quam subsistere in uno qui ad rem declarandam satis erat. Sed a sua consuetudine discessisset si pro duobus senariis integris dimidiatum cum

pleno septenarium posuisset. Sic enim Gellio teste, qui *subicis* prima longa pronuntiari dixit, versus ordinarunt Lachmanno auctore

per ego deum sublimas subicis
Umidas, unde oritur imber sonitu saevo et spiritu.

Neque eam rationem deserui, quamquam dubitare coepi quam recte hoc instituatur; cui rei cum Verrii usus adversatur tum conformatio ipsa sententiae, quae optime in duos versus tribuitur ut oratio iurantis ab initio prioris ordiatur. Itaque credibile fit Ennium *sŭbicis* prima brevi dixisse idque Verrium secutum esse. Quod ne quis deneget fieri potuisse, late patet hoc genus compositorum similiumque vocabulorum, quae varia *i* litterae natura prohibet omnia ad unam normam revocari. Sed esto: neque enim hanc quaestionem hoc loco evolvere possum. Quos vero Gellius *sūbicis* pronuntiantes audivit, difficile diiudicatur merone pronuntiandi errore in brevi syllaba usi sint, an forte errore errorem pariente *sūbici' umidas* recitarint, quod genus in longa syllaba olim quibusdam non displicuisse Servius testis est in Aen. XII 709. De quo usu, qui ne ab Ennio quidem alienus erat, Fr. Leo disputat in quaestionibus Plautinis p. 298 sq.

Festum tractavimus h. e. quae certius ad Verrium Flaccum conditorem operis referre liceat, quem vidimus quanto opere a Varrone aut a Cicerone non solum copia servatorum sed etiam toto genere citandi distaret. Quae vero Paulus Diaconus ex Festo excerpsit, nonnumquam in recuperandis iis quae in codice Festi gravius lacerata aut truncata sunt perquam utilia fuerunt, sed quamquam nonnullos versus Ennii solus servavit (velut p. 559, 7; 561, 25), tamen universe iudicanti non poterit non maxime socordia excellere videri: qui Ennium quidem saepe, nusquam tragoediae titulum aut annalium librum laudat, et in iis quae iuxta Festum leguntur ne versus quidem semper aut non plenos attulit, in iis vero, quae hodie a solo Pauli testimonio pendent, praecipue in prima operis parte (ab A ad M), permultas glossas cum explicatione habet, quas alienis indiciis constat ad Ennium redire, ipse poetae nec volam nec vestigium exhibet.

Restat ut indicemus quae praeter annales et tragoedias de aliis scriptis Ennii in Festi excerptis memorantur. In iis quae p. 540, 4 post citatum *Ennii l. VII* leguntur *et in nasota* '*alius in mari vult magno tenere tonsam*' [Sot. III] agnoscimus iam a Varrone laudatum *Sotam* Ennii, cui carmini sententiae cognatio suadet ut adscribantur quae Festus p. 538, 11 et Paulus 539, 6 afferunt Ennii '*alii rhetorica tongent*' [IV]. Quae vero Paulus p. 41, 25 scribit '*Cyprio bovi merendam*' *Ennius Sotadico versu cum dixit significavit* eqs [Sota II]; *idem cum dicit* '*propter stagna ubi lanigerum genus piscibus pascit*' *esse paludem demonstrat* eqs [sat. inc. VII], eorum prima notatum metrorum genus item ad Sotam referri iubet, alterum versum saturis adscribendum duxi, hunc et quae leguntur p. 444, 3 *Ennius* '*subulo quondam marinas propter astabat plagas*' [sat. inc. VI], et p. 490, 11 *Ennius*

'*quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum*' [sat. inc. x]. Quod si probabiliter institui, consequitur ut Verrius credatur etiam Ennii saturarum libris, quamquam nusquam aperte significavit, operam dedisse. Denique quae Paulus p. 563, 3 affert *Ennius 'vel tu dictator vel equorum equitumque magister esto vel consul'*, quae certis testimoniis constat ad Scipionem Africanum pertinere, cum similibus a Cicerone laudatis in carmine collocavi cui *Scipio* inscriptum est [IV].

Ne illa quidem praeteribo quae Festus tradit p. 450, 18 '*sus Minervam' in proverbio est, ubi quis id docet alterum cuius ipse inscius est. Quam rem in medio quod aiunt positam Varro et Euhemerus ineptis mythis involvere maluerunt quam simpliciter referre.* Quae dicit *Varro et Euhemerus* possunt in eum modum intelligi, quo saepius duorum testium nomina copulantur, quorum alter alterum laudaverat, et Ennii Euhemerum Varroni cognitum fuisse supra p. XXXII memoratum est (Euh. XIII). Sed tamen incertum est illa ad Euhemerum rectius an ad Ennii Euhemerum referantur.

Postremo quae apud Festum in glossa *solitaurilia* p. 412, 27 leguntur *quod si a sollo* (h. e. ut supra dixit *sollum Osce totum*) *et tauris earum hostiarum ductum est nomen antiquae consuetudinis, per unum L enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo. quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Graecus Graeco more usus, quod illi aeque scribentes ac legentes duplicabant mutas* (conf. p. 534, 1—5), ea, quibus supra usus sum in vita Ennii p. IX, non videntur ad librum aut disputationem Ennii redire, sed quem ab Ennio mutatum dicunt morem scribendi ex ipsius libris qui tum exstabant, ut Ciceronem vidimus ad *ipsius antiquos libros* (p. XLIII) provocare, probabile est cognitum esse.

Qui proximi Augusti principatum attigerunt, Hyginus et Rutilius Lupus, iis quae necessitudo cum Ennio fuerit dici vix potest. Hygini quidem quae dicuntur fabulae habent c. VIII hanc inscriptionem *Eadem* (praecessit VII *Antiopa*) *Euripidis quam scribit Ennius,* errore quidem (nam Antiopa Pacuvii erat, non Ennii), sed is error tamen natus est ex recordatione Ennii, et praeter ceteras fabularum inscriptiones, *Alexandrum* dico, *Erechtheum, Andromedam, Iphigeniam, Telephum,* quas tragoedias Ennius aut solus aut primus composuit, inprimis hae *Hectoris lytra* et *Medea exul* non videntur nisi ex Ennio petitae esse. Sed tam de condicione harum fabularum quam de origine, utrum redeant ad Iulium Hyginum Augusti libertum, de quo Suetonius in grammaticis (c. 20) agit, an ad alium eius nominis, omnia obscura sunt et incerta. In Rutilii autem Lupi *figuras sententiarum* (I 12), quem coniectura intulerunt *Enni versum* (scen. 408), plane singulare est et unicum exemplum in hoc genere scriptorum quibus ille utitur.

Ad Vitruvium fama quidem celeberrimi poetae pervenit, quam ille existimationem his verbis expressit de architectura IX praef. 16

qui litterarum iucunditatibus intinctas habent mentes non possunt non in suis pectoribus dedicatum habere sicuti deorum sic Ennii poetae simulacrum.

Tiberii aetate qui fuerunt Valerius Maximus, Phaedrus, Velleius, eorum Valerius quantum Ennii legerit incertum, qui cum haec perscribat (VIII 14, 1) *superior Africanus Enni poetae effigiem in monumentis Corneliae gentis conlocari voluit, quod ingenio eius opera sua inlustrata iudicaret, non quidem ignarus, quam diu Romanum imperium floreret et Africa Italiae pedibus esset subiecta totiusque terrarum orbis summum columen arx Capitolina possideret, eorum exstingui memoriam non posse, si tamen litterarum quoque illis lumen accessisset, magni aestimans, vir Homerico quam rudi atque inpolito praeconio dignior,* magnifica oratione varia miscuit, qui quidem famam illam de statua Ennii in Scipionum monumento posita (de qua supra p. XIX egi) ex Cicerone et Livio petiit, sed etiam Horatii (c. IV 8) memor fuisse et sententiam quam Suida vel Aeliano teste Ennius ipse de sua Scipionis laude pronuntiarat (Scip. I) alicunde videtur cognitam habuisse.

Phaedrus Augusti libertus meminit (III epil. poet. 34) se poetae sententiam legisse '*palam muttire plebeio piaculum est*' quae Telephi est in Ennii tragoedia [II]; idem quae de Medeae argumento perhibet (IV 7, 6 sqq.), eorum pauca videntur ad Ennianae tragoediae memoriam redire.

Velleius autem Paterculus cum ita scribit (I 17) *nisi aspera ac rudia repetas et inventi laudanda nomine in Accio circaque eum Romana tragoedia est, dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium suppari aetate nituerunt,* et II 9 *clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia in togatis Afrani, in tragoediis Pacuvi atque Acci usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum* eqs, palam facit Ennii tragoedias, quas Cicero in caelum tollebat et quas Horatii tempora in scena spectabant, iam mortuas esse aut ad *rudia* et *aspera* reiectas.

Fama poetae quondam celeberrimi paulatim decrescente mirum non est iam Neronis aetate Senecam contemnere Ennium, Persium autem irridere. Senecam ut omittam sententias quasdam Ennianas poeta non nominato laudare, in ludo 8, 3*) '*caeli scrutatur plagas*' (Iphig. XII); de benef. IV 27, 2 *Fabius,* '*qui cunctando restituit rem*' (ann. XII fr. II); ad Polyb. de cons. 11, 2 '*ego cum genui, tum moriturum scivi*' (Telam. II), quantopere carmina Ennii, quo se non de-

*) Nam in eodem ludo 9, 4 quae leguntur *cum sit e republica esse aliquem qui cum Romulo possit* '*ferventia rapa vorare*' a Martiale (XIII 16) imitando expressa, ex iis haec postrema, quae dactylicum numerum habent, dubitavi tamen ad Ennium (cum Buechelero) referre propterea quod nescio quid ridiculi quod a Romulo Enniano abhorreat in verbis persentiscere videor.

lectari subindicat de ira III 37, 5, illa aetate neglecta iacuerint, ex iis perspicuum fit quae epist. 58, 5 scribit *non id ago nunc hac diligentia ut ostendam, quantum tempus apud grammaticum perdiderim, sed ut ex hoc intellegas quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit, cum apud hunc quoque qui cotidie excutitur* (Vergilium dicit) *aliqua nobis subducta sint.* Sed Ennium quantuli fecerit, cognoscitur ex iis quae in epist. 108 exponit, cum hoc agat ut Ciceronis libros de re publica non eadem mente eodemque consilio philosophum et philologum et grammaticum adire doceat, hunc primum vocabula quorum usus mutatus sit sectari, *deinde* pergit (33) *Ennianos colligit versus et in primis illos de Africano scriptos 'cui nemo civis neque hostis quivit pro factis reddere opis pretium'* (epigr. III). *ex eo se ait intellegere, opem apud antiquos non tantum auxilium significasse sed operam, ait enim Ennius neminem potuisse Scipioni neque civem neque hostem reddere operae pretium. Felicem deinde se putat, quod invenerit unde visum sit Vergilio dicere 'quem super ingens porta tonat caeli'. Ennium hoc ait Homero subripuisse, Ennio Vergilium, esse enim apud Ciceronem in his ipsis de re publica hoc epigramma Enni* [IV 23] *'si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam est, mi soli caeli maxima porta patet'. Sed ne et ipse dum aliud ago in philologum aut grammaticum delabar* eqs. Apparet Senecam nec Ciceronem neque Ennium magni facere. Sed ut ipsi haec de re publica Ciceronis, quae nobis servata non sunt, accepta referuntur, ita ab illo etiam iniquiora de Ennio in iisdem epistolis proposita Gellius servavit XII 2, unde facile perspicitur, quam diversa fuerint diverso tempore de Ennio iudicia. Is igitur ita (nam paene totum caput describendum est) *mihi de omni eius* (Annaei Senecae) *ingenio deque omni scripto iudicium censuramque facere non necessum est, sed quod de M. Cicerone et Q. Ennio et P. Vergilio iudicavit, ea res cuius modi sit, ad considerandum ponemus. In libro enim vicesimo secundo epistularum moralium, quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit: 'is dictust'* eqs (ann. 306—308). *Ac deinde scripsit de iisdem versibus verba haec: admiror eloquentissimos viros et deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe* (Brut. 15, 58) *inter bonos eius versus et hos refert. Atque id etiam de Cicerone dicit: non miror, inquit, fuisse qui hos versus scriberet, cum fuerit qui laudaret, nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam et volebat hos versus videri bonos. Postea hoc etiam addidit insulsissime. Apud ipsum quoque, inquit, Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intellegas, illum non perdidisse operam quod Ennium legit. Ponit deinde quae apud Ciceronem reprehendat quasi Enniana, quod ita scripserit in libris de re publica: 'ut Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas', et quod alio in loco dixerit 'breviloquentiam in dicendo colat.'* — — *De Vergilio quoque eodem in loco verba haec ponit: Vergilius quoque*

noster non ex alia causa duros quosdam versus et enormes et aliquid supra mensuram trahentes interposuit quam ut Ennianus populus agnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis. Sed iam verborum Senecae piget: haec tamen inepti et insubidi hominis ioca non praeteribo. Quidam sunt, inquit, tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere; et cum reprehendisset versus quos supra de Cethego posuimus, qui huiuscemodi, inquit, versus amant, liqueat tibi eosdem admirari et Soterici lectos. Ceterum ne quis se falli patiatur verbis quae Seneca de *magnis sensibus* Ennii dicit, perspicuum est, in his omnibus quae affert nihil esse quod ex ipso Ennio promptum sit, sed afferre eum aut quae fatetur Ciceronis esse aut quae inde petita sunt.

Tantum de Seneca. Persius autem cum sat. 6, 9 scribit '*Lunai portum, est operae, cognoscite, cives' cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo,* apertum est et a scholiasta adnotatur somnia Pythagorea, quae Horatius appellat, ab Ennio in principio annalium exposita dici, neque irrisio quae est in verbis Persii legentem fugiet. Qui cum in prologo dicat *nec fonte labra prolui caballino Nec in bicipiti somniasse Parnaso Memini, ut repente sic poeta prodirem,* idem somnium Ennii videtur ludibrio habere, ex quo se ille tamquam alterum Homerum surrexisse simularat.

Ex eadem aetate qui fuerunt, Pomponius Mela (II 66 p. 48, 13 P.) *Rudias* appellare noluit nisi addito *Ennio cive nobiles* (cf. p. VII); Valerium autem Probum, de cuius docendi consuetudine Suetonius de grammaticis c. 24 nonnulla tradit (cf. prooem. a. 1877/78 p. 9), unum certe testimonium etiam Ennii curam habuisse docet, Gellii, qui IV 7 *Valerium Probum,* quem *grammaticum inter suam aetatem praestanti scientia* fuisse scribit, in epistula ad Marcellum Ennii versu adhibito ex libro qui Scipio inscribitur [VII] docuisse testatur *Hannibâlis* esse pronuntiandum. Nam ex iis quae supra p. XXV memoravi de notarum criticarum usu Probum qui vocatur Ennio suas notas adhibuisse colligi non potest.

Post hos obiter memoratos, quia ipsi Ennium nisi obiter non memorarunt, paulo plus utilitatis poetae attulit Plinius Secundus, qui in libris naturalis historiae, quos Vespasiano inscripsit, cum immensam copiam diversissimorum scriptorum peragraret, ne Ennii quidem annales praeteriit, ex quibus quaedam, quae nemo praeterea, sustulit, primum XVIII 84, ubi scribit *pulte, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam et pulmentaria hodieque dicuntur, et Ennius antiquissimus vates obsidionis famem exprimens offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat.* Verba affert Ennii, non versum, quem non difficile erat ex verbis recuperare (ann. 526). Intelligit autem *offam pultis* quam Cicero dicit de divin. II 35, 73. Obsidio ista quae fuerit nescitur. Deinde VII 101 *fortitudo in quo maxime exstiterit immensae quaestionis est, utique si poetica recipiatur*

fabulositas. Q. Ennius T. Caecilium Teucrum fratremque eius praecipue miratus propter eos sextum decimum adiecit annalem. Ex principio eius libri annalium quem dicit haec hausit, quae quomodo accipienda essent in act. acad. a. 1886 p. 34 sq. exposui. Fabulam etiam de Ennii statua in Scipionum sepulcro collocata ab eo tradi (VII 114) supra p. XIX memoravi et verba eius artificiose quaesita perscripsi et explicui. Nec praetermisi (p. XXII sq.) quae de Pacuvio, quem *Ennii sorore genitum* dicit, et de eius gloria quam pingendi arte pepererit (XXXV 19) testatus est. Haec de naturali historia. In libro grammatico quem scripsit *sermonis dubii* credibile est partem quidem versuum Ennianorum lectam fuisse quam Charisius affert toties his libris citatis. Qua de re suo loco dicendum est.

Domitiani principatu tres sunt poetae, qui se Ennii memores probant, quamvis non pari eum iudicio aestiment, Silius Italicus, Statius, Martialis. Quorum Silius magnus laudator fuit Ennii. Qui quae de eius origine attulit (Pun. XII 393 sqq.) supra in vita Ennii p. VIII adhibui. Sed hoc loco fieri non potest quin totum praeconium quamvis prolixum perscribatur.

Non equidem innumeras caedes totque horrida facta
Sperarim tanto digne pro nomine rerum
Pandere nec dictis bellantum aequare calorem.
Sed vos, Calliope, nostro donate labori
Nota parum magni longo tradantur ut aevo
Facta viri et meritum vati sacremus honorem.
Ennius antiqua Messapi ab origine regis
Miscebat primas acies, Latiaeque superbum
Vitis adornabat dextram decus; hispida tellus
Miserunt Calabri; Rudiae genuere vetustae:
Nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno.
Is prima in pugna, vates ut Thracius olim
Infestam bello quateret cum Cyzicus Argo
Spicula deposito Rhodopeia pectine torsit,
Spectandum sese non parva strage virorum
Fecerat, et dextrae gliscebat caedibus ardor.
Advolat, aeternum sperans fore pelleret Hostus
Si tantam labem, ac perlibrat viribus hastam.
Risit nube sedens vani conamina coepti
Et telum procul in ventos dimisit Apollo
Ac super his: 'nimium iuvenis nimiumque superbi
Sperata hausisti. Sacer hic ac magna sororum
Aonidum cura est et dignus Apolline vates.
Hic canet illustri primus bella Itala versu
Attolletque duces caelo; resonare docebit
Hic Latiis Helicona modis nec cedet honore
Ascraeo famave seni.' Sic Phoebus, et Hosto

Ultrix per geminum transcurrit tempus harundo.
Vertuntur iuvenis casu perculsa per agros
Agmina et effusae pariter dant terga catervae.
Tum pater audita nati nece turbidus irae,
Barbaricum atque immane gemens, transfigit anhelum
Pectus et ad manes urget vestigia nati.

Haec postrema de Hosto et patre eius Hampsicora, quae Silius cum Ennii rebus coniunxit, ex Livio sumpta sunt (xxiii 41, 3. 4), et quod Ennium in Sardinia pugnantem facit, credas eum poetae ex Sardinia insula a Catone Romam deducti memorem fuisse. Est autem egregia laus quam Silius Ennio tribuit tam in iis quae ipse perhibet quam quae Apollinem praedicantem facit, qui ex iis quae facta sunt futura auguratur. Quem quod dicit *primum illustri versu bella Itala* cantaturum et *duces caelo sublaturum* (loquitur paene ut Cicero, cf. ann. xii fr. iv), annales significat laudatque prope eo modo quo Lucretius laudavit (vide p. xxix). Sed Silius qui bellum Hannibalicum libris xvii Punicorum descripsit, non sine causa memor erat eius poetae qui ante eum easdem res in parte quidem annalium pertractaverat. Nec incredibile est, eum saepius ad imitandum priscum poetam se dedisse. Itaque olim in *Quaestionib. Ennianis* (cf. p. lxii et lxiii) Silii exemplo quorundam versuum octavi maxime et noni librorum sententiam et usum locumve demonstrare studui, neque hoc nunc in p. ii huius praefationis omisi. Postea in eam rationem qua Silius videretur Ennii annalibus usus esse Ern. Wezelius inquisivit *de C. Silii Italici cum fontibus tum exemplis* (Lips. a. 1873), qui multa congessit, quibus Silium ab Ennio pendere ostenderet, sed saepius versuum Ennianorum sententiam obiter aut prave interpretatus similitudines inter duos poetas agnovit quae nullae sunt. Itaque pauca tantum praeter ea quae olim attuleram ex eius disputatione sumpta suis locis memoravi.*)

Statius Ennium quanti fecerit apertum; qui in genethliaco Lucani (silv. ii 7, 75), ubi poemata quae Lucanus editurus esset recensuit, ita pergit

Haec primo iuvenis canes sub aevo,
Ante annos culicis Maroniani.
Cedet musa rudis ferocis Enni
Et docti furor arduus Lucreti eqs.

Ubi quod Frid. Vollmerus doctissimus silvarum interpres (p. 378) haec de Ennio ad *Ambraciam* eius, quam fabulam praetextam habent, referenda duxit ob eam causam ut haec responderent iis quae Statius supra v. 52 de Lucano dixit *Tu carus Latio memorque gentis Carmen fortior exeres togatum,* dubito quam recte statuerit, cum *Ambra-*

*) Quem a Sieglino p. 61 n. laudatum vidi libellum M. Heynacheri *Über die Stellung des Silius Italicus unter den Quellen zum zweiten Punischen Kriege* (*Berlin* 1877) mihi comparare quamvis cuperem non potui.

ciam Ennii nemo nisi Nonius cognitam habuerit, qui perpauca ex ea frustula servavit. Illa non posse nisi universe de Enniana poesi et inprimis epica intelligi existimo, et *rudis* Ennii musa vocatur, quemadmodum ab Ovidio Ennius (cf. p. LX) *ingenio maximus, arte rudis* dicebatur, *ferox* autem ea mente qua Horatius scribit *E. et sapiens et fortis.*

Non magis Martialis eum magni aestimavit, quem semel appellat nomine, in epigrammatum quinto 10, 7, cum hanc sententiam *esse quid hoc dicam vivis quod fama negatur et sua quod rarus tempora lector amat* exemplis cum aliis tum hoc de Ennio confirmat *Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone.* Vere, si quidem annales etiam Vergilio vivo Romae lectos fuisse Horatio teste constat. Iterum XI 90, 5 cum rudis antiquitatis studiosos irridet, non nomine eum sed verbis notat quae Enniana esse nemo ignorabat (ann. 489)

Carmina nulla probas molli quae limite currunt,
Sed quae per salebras altaque saxa cadunt,
Et tibi Maeonio quoque carmine maius habetur
'Lucili columella, hic situs Metrophanes',
Attonitusque legis 'terrai frugiferai'
Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.

unde intelligitur fuisse etiam illo tempore qui annales legerent.

Quintilianus 'qui extremis Domitiani annis institutionis oratoriae libros scripsit atque edidit, cum poetas omnes et scriptores ad unam utilitatis rhetoricae normam referre soleat, x 1, 88 de Ennio hoc memorabile iudicium mixta veneratione cum despicientia fecit. *Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem quantam religionem; propiores alii atque ad hoc de quo loquimur magis utiles.* Idem in capite quod de lectione agit I 8 cum de poetis adhibendis loquitur ut ita dicat (8) *multum veteres etiam Latini conferunt, quamquam plerique plus ingenio quam arte valuerunt, inprimis copiam verborum, quorum in tragoediis gravitas, in comoediis elegantia inveniri potest,* confirmandi causa haec addit (10) *denique credamus summis oratoribus qui veterum poemata vel ad fidem causarum vel ad ornamentum eloquentiae adsumunt; nam praecipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam et ceteros, qui sunt proximi, videmus Enni, Acci, Pacuvi, Lucili, Terenti, Caecili et aliorum inseri versus summa non eruditionis modo gratia sed etiam iucunditatis, cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent* eqs. Ennii versus, ne de aliis poetis dicam, Ciceronem etiam in orationibus (non solum in philosophiae scriptionibus) decoris causa aut ad stabiliendam sententiam afferre solitum supra selectis exemplis vidimus. Quintilianus autem, qui in ea re Ennium non praeteriit, eiusdem, opinor, memor est cum *veteres Latinos plerosque plus ingenio quam arte valuisse* Ovidii exemplo (p. LX) dicit. Carminum Ennianorum primum laudat annales, cum,

quod dissimulationis esse exemplum voluit, Ciceronem narrat (VI 3, 86) de Sexto Annali dicere iussum versum de sexto annali Ennii [I] recitavisse *Quis potis ingentis* eqs. Quae res, quam nemo nisi Quintilianus tradit, novo exemplo patefacit, quam Ciceronem numquam memoria Ennianorum destituerit. Versus vel versuum particulas de annalibus saepius sine titulo aut poetae nomine affert, plerumque quae aliunde nota sunt, nec est quod memorentur, nisi forte quod scribit XI 3, 31 (de pronuntiatione) *ita fiet illud, quod Ennius probat, cum dicit 'suaviloquenti ore' Cethegum fuisse* (ann. 303), *non quod Cicero* (Brut. 15, 58) *in his reprehendit quos ait 'latrare, non agere';* aut quod ait II 15, 4 πειθοῦς δημιουργὸν quam Graeci appellarint rhetoricen posse Latine *persuadendi opificem* dici: *neque enim* inquit *mihi permiserim eadem uti declinatione qua Ennius M. Cethegum 'suadae medullam'* (ann. 308) *vocat.* De tragoediis, ut omittam *expectorat,* quae vox est Alcmeonis [II], VIII 3, 31 afferri, unam Medeam laudat (V 10, 84) et principium notissimum eius fabulae *Utinam ne in nemore Pelio* eqs. affert sententiaeque conformationem, ut Cicero semel atque iterum, castigat. Denique Quintilianus, quo nihil esse acceptius potuit, saturae Ennianae argumentum prodidit (IX 2, 36): de fictionibus enim personarum agens ita scribit *sed formas quoque fingimus saepe, ut Famam Vergilius, ut Voluptatem ac Virtutem, quemadmodum a Xenophonte traditur, Prodicus, ut Mortem ac Vitam, quas contendentes in satura* [inc. lib. I] *tradit Ennius.*

Proximis a Quintiliano temporibus, quem videmus carminum Ennianorum notitiam habere et poetam quamvis non magni faciat vetustatis gratia veneratione quadam colere, fama poetae deminuitur, quem Tacitus in dialogo ne appellat quidem, cum Pacuvium et Accium saepius (c. 20. 21) tamquam prisci *veterni* exempla novis poetis opponat. Plinius autem Taciti aequalis semel eius mentionem facit in epistolis (V 3, 6) cum se aliorum exemplis quod versiculos parum severos scriberet ac recitaret defensitabat; ibi post multorum nomina eorum qui etiam lusus et ioca exprimere non recusarent haec addit *inter quos vel praecipue numerandus est P. Vergilius, Cornelius Nepos, et prius Accius Enniusque.*

Eadem fere aetate qui fuerunt grammatici, Caesellius Vindex, Flavius Caper, Velius Longus, usi sunt illi quidem etiam Ennianis versibus, velut a Gellio (VI 2, 1) vituperatus Caesellius, quod versum annalium [382] *quem credidit esse meum cor* prave interpretatus erat, vel ab eodem Gellio (XVIII 9, 3) ascitus Velius Longus (ann. 326 sq.), sed quia nihil eorum exstat nisi quod a grammaticis posterioris aetatis affertur, velut praeter Gellium a Prisciano, eorum commemorationem praestabit ad illorum tempora et usum reiicere.

Ad Suetonium qui Hadriano principe scripsit priusquam accedam, de Hadriano ipso non omittam afferre quae Aelius Spartianus in vita eius (16, 6) memorat: *controversias declamavit, Ciceroni Cato-*

nem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit eademque iactatione de Homero ac Platone iudicavit. Suetonius autem quae in libello de grammaticis de Ennio poeta memoriae prodidit, et quae in vita Ennii in virorum illustrium libros recepta exposuit, nobis quidem nisi per Hieronymi notas ad Eusebii canones adiectas non servata, ea omnia supra in enarranda Ennii vita ad usum vocavi. Quae vero Reifferscheidius Suetonii reliquiis collectis ex aliis grammaticis velut Diomede ad locupletandum Suetonium ascivit, ea suis nominibus afferre malui. In Caesarum autem vitis, praeterquam quod Suetonius Augusti epistolam ad Tiberium, quae Enniani versus memoriam habet, in vitam Tiberii (c. 21) recepit (cf. supra p. LVI), semel versus Ennii de annalibus mentio facta est in Octaviani vita c. 7 *Augusti cognomen assumpsit . . . cum, quibusdam censentibus Romulum appellari oportere quasi et ipsum conditorem urbis, praevaluisset, ut Augustus potius vocaretur non tantum novo sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa et in quibus augurato quid consecratur augusta dicantur ab auctu vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens* (ann. 502) '*augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.*' Haec postrema (a *quod*) si sunt, ut creduntur, a Suetonio aliena, ne de origine additamenti dubites, quoniam Paulus Festi ab hac glossa incipit *augustus locus sanctus ab avium gestu, id est quia ab avibus significatus est sic dictus, sive ab avium gustatu quia aves pastae id ratum fecerunt,* credibile fit, Paulum cum haec ex Festo excerperet a Festo citatum versum Ennii, id quod saepe facit, praetermisisse.

Hadriani aetate fuit etiam Sextus Pomponius, qui quod in digestis I 2, 2, 38 *Sextum Aelium* scribit *etiam Ennius laudavit* (ann. 331) ex Cicerone, maxime iis quae de oratore I 45, 198 scribit, petere potuit.

Antoninorum temporibus (a. 138—180 p. Chr.) cum omnis antiquitatis favor ac studium suscitata multum in litteris valerent, factum est ut Ennii quoque memoria revivisceret ab iisque scriptoribus qui illo aevo floruerunt, Apuleio, Frontone, Gellio, multa et eximia ex Ennii scriptis sublata propagarentur. Quorum quae sint de Ennio merita priusquam exponam, non omitto *divi Marci epistulam ad praefectum suum* afferre a Vulcacio Gallicano in vitam Avidii Cassii (5, 7) receptam, in qua cum alia tum haec scribit imperator *neque enim milites regi possunt nisi vetere disciplina. scis enim versum a bono poeta dictum et omnibus frequentatum* '*moribus antiquis res stat Romana virisque*' (ann. 500) commemorato versu Ennii, quem probabile est non ex Ennii annalibus sed ex Ciceronis de re publica pervulgatum fuisse. Iam ad Apuleium, cui quantum Ennius debeat ex eo intelligitur quod eius unius testimonio didicimus Ennium *hedyphagetica* ut ait *versibus scripsisse.* Qui ex eo carmine, cuius praeterea nemo mentionem facit, cum versus quosdam quos memoria tenebat affert (var. 34—44), tum argumentum carminis describit ita, ut En-

nium dicat *innumerabilia genera piscium enumerare* et praeter eos qui sunt in illis versibus *alios etiam multis versibus decorasse et ubi gentium quisque eorum, qualiter assus aut iusulentus optime saperet,* ne parvum carmen fuisse putes. Haec ille in apologia (c. 39) sui defendendi causa exposuit, quia culpabatur quod simili studio noscendorum piscium tenebatur. Quod in eadem oratione (c. 13) Neoptolemi Enniani sententiam de philosophandi studio (scen. 376) laudat, pervulgatum erat dictum, quod non solum ex Ennio percipi poterat. Quae praeterea attulit, (de deo Socr. 2) distichon duodecim deorum nomina complexum (ann. 62 sq.), quod ille primus memoravit, (de mundo 33) versum Thyestis [v], (de deo Socr. 2) de Iphigenia verba [II], patefaciunt Apuleium nec annalium nec tragoediae Ennianae ignarum fuisse, et quamquam eorum quaedam etiam aliunde sciri poterant, tamen quae est eius peritia Ennii probabilius est sua ex ipso poeta prompsisse. Sed memorabile est quod de deo Socr. c. 5 scribit *nam et ius iurandum Iovis iurandum dicitur ut ait Ennius;* neque enim Ennius dixit ius iurandum Iovis iurandum vocari, sed ipse ita appellavit cum dicit (scen. 403) *o Fides alma apta pinnis et ius iurandum Iovis:* quae respicienda sunt in iis quae ad inc. 48. 49 adnotavi. Restat ut verbo perstringam versum annalium (212) *Ut primum tenebris abiectis indalbabat* ab Achille Statio (ad Catullum) ex sexto Ennii allatum *(inalbabat dies).* Qui quamquam dici nequit unde versum acceperit, tamen ex Apuleii metamorphoseon libro VII, qui incipit *Ut primum tenebris abiectis dies inalbebat et candidum solis curriculum cuncta conlustrabat,* ab eo depromptum et temere in Ennium translatum esse vix probabile videtur, propterea quod non plane idem cum Apuleio affert et *sextum* annalem testatur. Apuleius vero, quem Ennii et annalium gnarum fuisse vidimus, facile creditur suam orationem colore Enniano distinxisse, non secus ac metam. IX 28 *cum primum rota solis lucida diem peperit,* quae et ipsa numerosi quid habent, ex Enniani versus memoria *inde patefecit radiis rota candida caelum* (ann. 558) fluxisse videntur.

In Frontonis autem et Caesarum epistolis mutuis, quas dolendum est nimis saepe tam laceras ac mutilatas esse ut difficile sententiarum tenorem dispicias, non potest non adverti quam frequens fuerit Ennius et ceteri poetae antiquioris aevi disserendi admonendi quaerendi et respondendi argumentum. Ennii carmina studiose tum lectitata esse vel haec Frontonis testantur de feriis Alsiensibus 3 ad Antoninum Augustum p. 224 Nab. *nec dubito quin te ad ferias in secessu maritimo fruendas ita compararis, in sole meridiano ut . . . mox ut te studium legendi incessisset aut te Plauto expolires aut Accio expleres aut Lucretio delenires aut Ennio incenderes in horam istam musarum propriam quintam, inde libris . . .* In epistola autem ad Marcum Caesarem III 16 cum agatur de eloquentiae genere quod Caesar colat et ad id quae lectio maxime utilis fuerit, haec scribit p. 54 N. *me-*

ministi plurimas lectiones, quibus usque adhuc versatus es, comoedias Atellanas, oratores veteres . . . Quid igitur Ennius egit quem legisti? quid tragoediae ad versum sublimiter faciundum te iuverunt? Illud quoque huc pertinet, ut intelligatur quo ardore tum Enniana tractari solita sint, quod M. Antoninus iubet Frontonem II p. 104 sq. N. *mitte mihi aliquid quod tibi disertissimum videatur quod legam vel tuum aut Catonis . . . aut poetae alicuius.* χρήζω γὰρ ἀναπαύλης *et maxime hoc genus quae me lectio extollat et diffundat* ἐκ τῶν κατειληφυιῶν φροντίδων. *Etiam si Lucretii aut Enni excerpta habes* εὔφωνα, στιφρά, *et sicubi* ἤθους ἐμφάσεις. Unde intelligitur, poetas Lucretium, Ennium non iam totos legi sed excerpta ex iis, qualia Fronto parabat. Qui quid ad haec responderit (p. 106, 4) molestum est quod non satis dispici potest. Quid quod M. Caesar ad Frontonem IV 2 (p. 61 N.) scribit *Sota Ennianus remissus a te et in charta puriore et volumine gratiore et littera festiviore quam antea fuerat videtur.* Fronto igitur novum exemplar Sotae Enniani a se descriptum et pulchre adornatum ad Caesarem remisit, quemadmodum Fronto in epistola ad M. Caesarem I 7 (p. 20 N.) Caesaris manu descriptam Frontonis orationem magnis laudibus effert, ut denique ita dicat *contigisse quid tale M. Porcio aut Quinto Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae.* (De qua re vide p. XXVI quae de Lampadione scripsi). Non negligenda sunt quae de voce modulata Fronto ad Antoninum de eloquentia 3 p. 149 N. exponit: *vocis modulatae amatores primas audisse feruntur aves vernas luco opaco, post pastores recens repertis fistulis se atque pecus oblectabant: visae fistulae longe avibus modulatiores . . murmurantium voculis in luco eloquentiae oblectantur. Ennium deinde et Accium et Lucretium ampliore iam mugitu personantis tamen tolerant.* In quibus ob defectum maxime qui est ante *murmurantium* consilium scriptoris fateor mihi non plane constare, sed videri agi in illis quos dicit poetis de pronuntiatione vel recitatione. Utut est, inter eos poetas qui plurimi aestimantur, nusquam non Ennius vocatur. Ut complectar universa iudicia omnia, p. 113 cum poetae quid proprii habeant recenset *in poetis* inquit *quis ignorat ut gracilis sit Lucilius, Albucius aridus, sublimis Lucretius, mediocris Pacuvius, inaequalis Accius, Ennius multiformis.* Quae proprietas stili Enniani qua re maxime contineatur dubium est, nisi forte illud dicit Ennium qui multa multumque dissimilia genera poesis tractavit multas formas orationis coluisse. Et p. 62 veteres scriptores enumerat qui se *in laborem studiumque et periculum verba industriosius quaerendi commiserint,* ubi haec scribit (iam supra p. XXVI propter Coelium laudata) *oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius, poetarum maxime Plautus, multo maximeque Ennius eumque studiose aemulatus L. Coelius, nec non Naevius, Lucretius, Accius etiam, Caecilius, Laberius quoque.*

Ex singulis carminibus Ennii praeter *Sotam* supra memoratum,

praeterea nisi Varroni et Verrio nemini notum, semel annales expresse dixit in epistola ad M. Caesarem IV 12 (p. 74 N.) cum amoris sui adversus Caesarem hoc frivolo ut ait argumento utitur: *si quando te 'somno leni' ut poeta ait 'placidoque revinctus' video in somnis, numquam est quin amplectar et exosculer ... hoc unum ex annalibus sumptum amoris mei argumentum poeticum et sane somniculosum.* Sed ut hic verbis Ennii de somno utitur (ann. 5), ita somnium quod est in principio annalium semel atque iterum in his epistolis memoratur, velut in epistola M. Caesaris ad Frontonem I 4, qua somnum accusat argumentis ab Ulixe et Agamemnone petitis, dein haec addit (p. 11 N.) *transeo nunc ad Q. Ennium nostrum, quem tu ais ex somno et somnio initium sibi fecisse. sed profecto nisi ex somno suscitatus esset, numquam somnium suum narrasset.* Ad quae Fronto ibid. 5 p. 12 respondet cum alia tum haec *a Laertio ad Atridam eleganter transisti. ecce autem circa Ennium aliam malitiosam peltam* (?) *dedisti, cum ais, nisi ex somno exsuscitatus esset, numquam somnium suum narrasset.* Ex iisdem annalibus prompta sunt, quae Fronto de orationibus ad M. Antoninum p. 160 N., cum vitia quaedam orationis ut videtur a Caesare suo non vitata recenset, ex Ennio affert bis nominato, sed verba ipsa, quantum eorum legi potuit, obscura admodum: vide quae ad ann. 67 adnotavi.

Ex tragoediis Telamonem appellat, ut notissima Telamonis Enniani verba in suam quandam sententiam convertat, cum ita scribit de bello Parthico p. 217 N. — *tam genuit gentem Romanam, aequo animo patitur fatisci nos interdum et pelli et vulnerari. An cunctetur de militibus nostris Mars pater illa dicere: 'ego cum genui tum morituros scivi et ei rei sustuli. praeterea cum in terrae orbem misi ob defendendum imperium, scibam me in mortifera bella, non in epulas mittere.' Haec verba Telamo Troiano bello de suis liberis semel elocutus est: Mars de Romanis saepe multisque in bellis hoc carmine usus est.* Telamonis verba esse (II) Cicero testatur et Fronto dicit, Ennium neuter eorum appellavit. Fronto autem quo eam sententiam a Marte dici de Romanis posse doceat media non leviter mutavit. Restant singuli quidam versus aut sententiae Q. Ennii vel Quinti ex tragoediis (p. 33 et p. 60) petitae (scen. inc. II. III) aut (p. 66) incerti loci (inc. XXI), de quibus non est quod agatur.

Cum Frontone coniunctus A. Gellius, cum plurima ex Ennii carminibus in noctium Atticarum libris, partim quae ipse ex poeta prompsit, alia ab aliis testibus allata, memoriae prodidit, tum iis quae narrat multifariam patefecit, quanti illa aetate Ennius et Enniana omnia aestimata fuerint. Itaque ut hinc initium faciam, quae refert (XVIII 5) Puteolis ἀναγνώστην quendam, qui se Ennianistam appellari voluit, *voce admodum scita et canora* Ennii annales legisse *ad populum in theatro,* eumque *inter ingentes clamores* cum librum ex annalibus Ennii septimum legeret se audiente versum quendam perperam

pronuntiasse paucisque postea versibus additis *celebrantibus eum laudantibusque omnibus* discessisse, haec exaggerata fortasse sed non ficta possunt fidem facere Ennii annales eo tempore nondum in oblivionem cecidisse et non solum homines doctos sed etiam populum oblectasse. Parum refert *eques*ne an *ecus* Ennius in illo versu (232) scripserit, quae disputatio ex illa occasione ansam petiit, sed gravius est, quod Gellius Antonium Iulianum rhetorem aequalem dicit exemplar Ennii summae vetustatis ad dirimendam istam scripturae controversiam comparasse. (Cf. supra p. XXVI). Quod vero quae eundem Iulianum de usu ac ratione *equitis* disserentem facit, ea se postea etiam in *pervulgatis commentariis* scripta offendisse dicit, certe Iuliani commentarios hac dicendi ratione non intelligemus, sed si non Ennianos, saltem eos quibus etiam Enniana tractarentur. Rursus quae XVI 10 narrantur *otium erat quodam die Romae in foro a negotiis et laeta quaedam celebritas feriarum legebaturque in consessu forte complurium Ennii liber ex annalibus* [VI fr. VIII], quibus disputatio de vi et usu *proletarii* introducitur, ut haec huius disputationis causa ficta sint, tamen fingi non poterant nisi haec ita fieri moris fuisset. Tertium addam simile, ut ostendam, quibus rebus vel usibus tum temporis Ennii carmina adhiberi solita sint. XVIII 2 Saturnalium diebus Athenis ad variandam sermonibus cenulam, ad quam complures convenerunt, praemia solvendae quaestionis posita sunt: quarum quaestionum prima erat de enarrandis versibus Ennii, qui essent in saturis [lib. inc. III] *frustrandi* verbo multifariam posito implicati: dein altera quaestio item Enniana quae erat verbum *verare* (ann. 380) quisnam poetarum veterum posuisset. Non occasionem premo, cuius fidem quis praestabit, sed quod huic generi occasionum semel iterumque Enniana poesis inserviit. Hinc enim intelligitur Ennius illo tempore quid valuerit. Sunt etiam aliae occasiones quibus Gellius narrat sermones institutos et Ennii versus discussos, velut II 26, cum Gellius se cum Favorino philosopho ad Frontonem pedibus aegrum, aut XIX 10 ad eundem Frontonem cum Celsino Iulio venisse ait et praesentibus aliis doctis sive de colorum nominibus sive de nescio cuius vocabuli usu disputatum et ab illis, non a Gellio, Ennii versus in disceptationem vocatos esse (quibus adde V 11); quod idcirco affero quia hoc indicio est non solum Gellium sed alios doctos homines illius temporis (de Frontone supra vidimus) Ennianae poesis peritos fuisse nec invitos se ea oblectasse. Nonnumquam ab aliis grammaticis de Ennii versibus disputata in suas lucubrationes recepit, velut III 14 a Varrone de *dimidio* et *dimidiato* (ann. 536) dicta aut X 1 ab eodem in libro disciplinarum de *quarto* et *quartum* (ann. 295), a quo etiam sumpta sunt ex primo de poetis quae XVII 21, 43 de Ennii vitae annis commemorantur. Item IV 7 a Valerio Probo ex epistola eius ad Marcellum sumpsit quae is de pronuntiatione *Hannibâlis* teste Ennii versu docuit. Similiter VI 2 a Caesellii Vindicis commentariis antiquarum lectionum

profectus erratum eius de Ennii versu (ann. xiii fr. iv) reprehendit, aut a Velii Longi (xviii 9, 4) aut Iulii Hygini (vii 6) sententiis causam petiit Ennii verba aut versus explicandi.

Ex annalibus quae citantur iis plerumque ut diligens grammaticus libri numerum adiecit, aut si non numerum certe *annales* nominat, raro mero poetae nomine defungitur. Horum autem longe pretiosissimi sunt versus duodeviginti, *in annali septimo* [xiv] qui sunt, a Gellio solo (xii 4) servati, quibus Gemini Servilii amicus quo ingenio et quibus moribus fuerit scite admodum describitur: de quibus versibus ita iudicat Gellius ut colorem quendam reverendae vetustatis et suavitatem ab omni fuco remotam in iis agnoscat. Aelius Stilo quod credebatur de his versibus iudicasse supra p. xxvii memoratum est. Ex reliquis non indigna sunt quae afferantur vel quod xiii 23, 18 scribit *Ennius in primo annali* [lv] *in hoc versu 'Nerienem Mavortis et Herem', si quod minime solet numerum servavit, primam syllabam intendit, tertiam corripuit,* vel quod xx 10 ad explicanda verba *ex iure manum consertum* Ennii versus *ex octavo annali* [iii] affert, cum ita disputat ut appareat Ennium et veteres poetas interpretari eo tempore non alienum habitum esse ab officio grammatici (l. c. 2). Senecae versus Ennii a Cicerone laudatos de Cethego deridenti quid Gellius obiecerit supra vidimus p. lxxiv sq.

De tragoediis hae memorantur (nam eae quoque plerumque accurate citantur et hac quidem forma *in tragoedia quae Achilles inscribitur*). Achilles (iv 17, 14) cum iis versibus de quorum mensura supra p. lxx sq. disserui. Alexander (vii 5, 10). Erechtheus (vii 16); ibidem Cresphontes, ambae de *deprecandi* verbo. Hecuba (xi 4) cum *versibus Euripideis* (293—295) quos *Q. Ennius* inquit *cum eam tragoediam verteret non incommode aemulatus est,* sed ut tamen non omni ex parte Graecam orationem aequasse videretur. Iphigenia (xix 10, 11), de qua memoranda sunt quae Gellius scribit: *ibi Iulius Celsinus admonuit in tragoedia quoque Ennii quae Iphigenia inscripta est id ipsum de quo quaerebatur (praeterpropter) scriptum esse et a grammaticis contaminari magis solitum quam enarrari: quocirca statim proferri Iphigeniam Q. Ennii iubet; in eius tragoediae choro* [xi] *scriptos esse hos versus legimus:* insequuntur versus octo de choro militum, quos unus Gellius tradidit; tragoedia autem ipsa ex verbis Gellii separatim videtur suo volumine edita fuisse. Melanippa v 11, 12 et iterum vi 9, 17 memorata. Phoenix (vi 17, 10) cum quattuor versibus perpulchris ab uno Gellio exhibitis. Denique et Neoptolemi Enniani sententia, incertum ex qua tragoedia, affertur v 15 et v 16, et xix 8, 6 haec scribuntur *'inimicitiam' Q. Ennius in illo memoratissimo libro dixit 'eo ego' inquit 'ingenio natus sum'* eqs, quos versus utpote Achillem perquam decentes, quoniam nisi in tragoedia locum habere non possunt, in *Achille* [vii] ponenda duxi.

De saturis Ennianis egregie meritus est Gellius, qui, ut mitta-

mus alia, XVIII 2, 7 quos supra dixi versus *qui sunt in saturis Q. Ennii* [lib. inc. III] argutius *frustrandi* verbo multifariam adhibito implicati memoriae prodidit, et II 29 de *Aesopi apologo,* quem *Q. Ennium* dicit *in saturis* [lib. inc. II] *scite admodum et venuste versibus quadratis composuisse,* non solum duos versus extremos, sed totius fabulae argumentum non ad Aesopi verba sed ad versus Ennii expressum reddidit. Praeterea IV 7 *ex libro qui Scipio inscribitur* Valerio Probo auctore, de quo supra, versum attulit. Quae vero de temporibus poetarum, in quibus Ennii, XVII 21, 49 exposuit, supra p. VII quantum satis erat redargui.

Eiusdem Frontonis Cirtensis aequalis ac memor Minucius Felix in Octavio nihil tamen habuit de Ennio nisi quod a Cicerone accepit: cf. ad ann. 179 et 581 adnotata. Contra Tertullianus, qui illi proximus successit, habuit ut videtur aliquam notitiam Ennii cum nullo praecedente scribat illa quae ad ann. 60 allata sunt: *primus omnium Ennius poeta Romanus 'caenacula maxima caeli' simpliciter pronuntiavit de lati situs nomine vel quia Iovem illic epulantem legerat apud Homerum.* Adde quod metempsychosim Homericam ab Ennio narratam bis locis ad ann. 15 indicatis memoravit.

Horatii interpretes, Porphyrionem et Acronem, hoc loco inserendos duxi, quamquam eorum tempora satis certo definiri non possunt, et Acronem cum dico hanc alteram scholiorum congeriem dico quae hoc nomen fert, non ut de origine eorum quicquam affirmem. Haec commentaria duo inter se satis discreta non abundant illa quidem reliquiis Ennianis, sed non sunt inutilia. Ac Porphyrio quidem (ad sat. I 10, 46) primus de saturarum libris Ennianis testatus est cum ita scribit *item Ennius qui quattuor libros saturarum reliquit et Pacuvius huic generi versificationis non suffecissent* (cf. p. XXIV), Horatii sane mentem ita dicentis *experto frustra Varrone Atacino et quibusdam aliis* falso interpretatus. Praeterea *annales* identidem appellat ad eosque redeunt omnia quae affert, alios Ennii libros non cognovit, certe non memoravit. Neque ea quae tradit omnia magni pretii sunt aut quae doctum interpretem deceant. Omitto nunc supra in Lucilio p. XXVIII perscripta quae de Luciliana irrisione Ennii ad sat. I 10, 54 adnotavit ne ea quidem scite admodum exposita. Sed quae ad sat. II 1, 16 adscripsit *si non potes res gestas Caesaris scribere, at potes iustitiam et fortitudinem, ut Lucilius Scipionis fecit, qui vitam illius privatam descripsit, Ennius vero bella,* in quibus non erat quod hac confusione Scipionum bonum grammaticum liberarent, aut quae ad ep. I 19, 7 *pater autem Ennius ideo quod ipse primus Latinorum ad heroici versus imitationem adspiraverit,* et ibid. *ad arma: ad libros annalium, quos Ennius scripsit,* aut ad ep. II 1, 51. 52 de Ennii somniis Pythagoreis, haec et si quae sunt similia nec magnam peritiam interpretis probant, quamvis annales Ennii probe noverit, nec nos multum adiuvant. Utiliora sunt quae habet ad carm. I 2, 17

Ilia auctore Ennio in amnem Tiberim iussu Amulii regis Albanorum praecipitata (cf. ad ann. 54), et quod ad a. p. 403 *dictae per carmina sortes* versum notissimum *Aio te Aeacida* eqs (ann. 179) oraculum Pyrrho datum continentem attulit verbis quidem ex parte obscuris necdum satis emendatis cum ita scribit *per versus hexametros reddidit responsa Phemonoe t pyrro clio tamquam purphoeri poetae: 'aio te'* eqs. Porro versus quibus Horatius (sat. I 4, 56) sine poetae nomine utitur *postquam Discordia taetra* eqs (ann. 266 sq.) Ennianos esse cum Porphyrio tum Acro testantur, hic ut rectius illo sententiam Horatii accipiat. Communi duorum interpretum testimonio constat etiam duos versus Ennianos esse (ann. 465 sq.) quorum priore Horatius abutitur sat. I 2, 37. Denique Porphyrio quod adnotat ad carm. I 9, 1 *Ennius 'stant pulvere campi'* (ann. 608) et ad sat. I 10, 30 *Ennius et Lucilius 'Bruttace bilingui' dixerunt* (ann. 496) et ad c. III 24, 50 *'bene' pro 'valde' positum ut apud Ennium frequenter* (ann. 32), et ad sat. I 1, 61 *'bona' pro 'magna' dictum, ut saepe Ennius et alii veteres* (inc. 22), cum afferat quae nemo ante, apparet ipsum poetae annales explicuisse ex iisque quae usui esse viderentur excerpsisse. Apud Acronem cum quaedam legantur cum Porphyrione conspirantia tum nonnulla quae seorsim ab illo Ennii commemorationem habent, velut ad c. I 28, 10 de pavone Homerico, c. IV 8, 20 ad *Calabras Pierides,* ad sat. I 10, 53, et praecipue ad a. p. 56 et 257 sqq. Quae nobis quidem non magnam opem adferunt, sed tamen Acro quoque suum habet meritum non obliviscendum, qui ad ep. II 2, 98 versum annalium (167) *bellum aequis manibus nox intempesta diremit,* ad c. autem III 11, 18 scenicum versum *angue villosi canis* (scen. 415) solus servavit, ex ipso igitur poeta petitos. Quibus adnectatur quod commentator qui dicitur Cruquii ad Horatii ep. I 13, 10 memoravit versu Ennii citato *silvarum saltus* eqs (ann. 568), quae eadem in codice quodam Acronis legi Acronis editor testatur Hauthalius.

Diocletiani principatum quae proxime praecesserunt tempora iis duo viri adscribendi sunt, Q. Serenus Sammonicus et Censorinus, quorum neuter Ennii immemor fuit. Ac Serenus quidem in carmine medic. c. XXXVI, ut iam supra memoravi p. XVII, Ennium *articulari morbo* laborasse tradidit, sed in eodem carmine non nominato poeta affert quae ad Ennium redire possunt, cum aut haec scribit (819) *sive homo seu similis turpissima bestia nobis vulnera dente dedit* (sat. 69), aut de Fabio Maximo agens (1094) non omittit memorare eum esse *qui solus patriae cunctando restituit rem* (ann. 370), quamquam uterque versus ex Cicerone ei notus esse potuit. Censorini autem libellus de die natali, quem ipso teste constat a. u. c. 991 (238 p. Chr.) editum esse, res duas de Ennio et solus quidem affert, 19, 2 eum annum naturalem dixisse dies habere CCCLXVI (inc. 32); 24, 4 eundem *Vesperum* appellasse eam stellam quam Plautus *Vesperuginem* (inc. 31). Qui in fragmento quod dicitur Censorini leguntur versus

Enniani, eos omitto, quoniam hoc scriptum quod Censorini libello (incertum quo iure) adnectitur quo tempore editum fuerit nescitur.

Denique de C. Iulio Romano eiusdem fere aetatis idem quod de Plinio maiore dicendum est, quia inter praecipuos auctores Charisii fuit, posse fieri ut quidam versus Ennii quos Charisius citat ab illo una cum praeceptis sint repetiti.

Perventum est ad ipsum Diocletiani principatum, quo principe qui vitam Claudii scripsit, Trebellius Pollio, semel Ennii mentionem facit, cum laudata magna Claudii victoria (7, 6) ita pergit *rogo, quantum pretium est clypeus in curia tantae victoriae? quantum una aurea statua? dicit Ennius de Scipione 'quantam statuam faciet populus R., quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?* Sunt versus duo a nemine praeterea citati, sed sunt numeri soluti, quos ad dactylicum metrum revocare inutile est*); sed quae ille Ennium de Scipione dixisse tradit, in principio *Scipionis,* carminis Enniani, collocandos duxi.

Eadem aetate quem artes grammaticas edidisse statuunt, Marius Plotius Sacerdos, Ennium quidem nusquam appellavit, sed quibusdam versibus utitur, quos Ennianos esse aut aliis testimoniis constat aut probabili coniectura creditur: ii qui sint ex indice testium cognoscatur.

Diocletiani tempore qui libros suos scripserunt, Arnobius et discipulus eius Lactantius, eorum ille, qui semel Ennium appellat, numquid Enniani cognitum habuerit, dubitare licet: nam quod IV 29 scribit *possumus quidem hoc in loco omnes istos, nobis quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare vel Agragantino Euhemero replicato, cuius libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit, vel Nicagora Cyprio* eqs, auctores quidem quos dicit Graecos a Clementis Alexandrini protreptico (c. 2, 24) repetiit, Ennium autem Euhemeri libros Latine convertisse ex Cicerone de nat. deor. (I 42, 119) scire potuit, etiamsi nullam Ennii litteram vidisset. Quae vero III 16 leguntur, *quid in homine pulchrum est, quid, quaeso, admirabile vel decorum, nisi quod et clurino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune,* ea non erat quod ad Ennii versum a Cicerone laudatum *simia quam similis turpissima bestia nobis* (sat. 69) referri vellent, si quidem *clurinum pecus* Plautinum est (truc. II 2, 14) nec reliqua sententia multum similitudinis habet cum versu Ennii. Lactantium autem, qui et ipse paene Ciceronis verbis dicit Ennium Euhemeri historiam interpretatum esse et secutum (ad Euh. VII), tamen revera Ennii librum ex Euhemeri historia ductum usurpasse credi oportet, quaeque is ex eo excerpsit, praeter unam vocem a Varrone citatam (Euh. XIII), unica sunt quae ex eo libro

---

*) Pedestria ex mente auctoris sic ordinanda esse me docuit Paulus de Winterfeld, ut clausulae usitatae *quantám cŏlumnam — gestás lŏquatur* audirentur.

hodie exstant. Nam quae praeterea Enniana attulit (ann. 111 sqq. et 268) dubitari non potest quin ex eo, quo multa, immo plurima duxit, Cicerone repetierit.

Vestigia memoriae Ennianae, his postremis principatus Romani temporibus rara plerumque, hic illic paullo densiora, tamquam spicas sublegimus, sed a Constantini imperio ad Theodosii I finem quod extenditur saeculum (h. e. quartum a Chr. n.) ut multos habet grammaticos et artium scriptores, ita multos reliquiarum Ennianarum auctores. Quorum locupletissimus est, qui prope ab initio imperii Constantini fuit, Nonius Marcellus. Is cum in *compendiosa doctrina* per viginti libros distributa immensam silvam observationum sermonis Latini cum exemplis veterum potissimum poetarum et scriptorum, quorum pars pleraque nobis servata non est, exponeret, praeter ceteros Ennii carminibus praecipuam et fructuosam operam dedit. Ego retinebo mei instituti rationem, quam supra in Verrio Flacco et Festo non uno nomine Nonii similibus explicui et stabilire studui; quare non quaeram quibus fontibus usus Nonius quo modo opus suum concinnaverit, quam quaestionem nuper egregie profligare coepit W. M. Lindsay in libello *Nonius Marcellus.* Oxonii 1901*), sed unius Ennii causam agens patefaciam si potero quantam partem versuum Ennianorum Nonius sive solus sive cum aliis servaverit et quibus modis eos quos affert citare soleat et alia quae cum his rebus coniuncta sunt, ut hoc unum declaretur quanto usui Nonius Ennii carminibus fuerit. In qua re tantum abest, ut verendum sit ne, cum Nonius tot scriptores excerperet, parum apte aut utiliter unum ex iis per se solum tractatum eamus, ut confidam nonnihil utilitatis ex separata consideratione unius ad universam quaestionem redundaturum quae est de Nonio. Sed necesse est primum singulos libros excutiamus qui pro diversitate argumentorum non poterant non diversa proponere exempla. Ergo primus liber, qui est *de proprietate sermonum* (p. 1—68 M.), haec habet Enniana: tragoedias p. 20, 22 M. *Ennius Andromeda* [II]; p. 39, 3 *E. Medea exule* [II]; p. 15, 12 *E. Telefo* [V]; ex annalibus haec p. 51, 14 *E. annali lib. III* [I]; p. 66, 26 (post satiras) *idem annali lib. VIIII* [XIII]; p. 63, 8 *E. lib. XVIII* [I]. Porro p. 33, 7 *E. satyrarum lib. III* [I]; p. 66, 25 *E. satyrarum lib. III* [III]; quibus accedit p. 64, 31 solo Ennii nomine allatus versus annalium IV fr. I. Et hi quidem versus omnes ab uno Nonio citantur, qui plerumque (praeter 63, 8) integros versus affert, nonnumquam sententias plenius etiam quam opus erat perscribens, velut p. 15, 12 *enodare. Telefo* '*verum quorum liberi leto dati Sunt in bello non libenter haec enodari*

*) Qui mihi persuasit, Nonium, quamquam etiam glossaria adhibuisse videretur, scriptores et poetas ipsos evolvisse et excerpsisse: id quod in Ennio et Plauto ita esse mihi semper probabile visum est (cf. Osc. Froehdius *de Nonio Marcello et Verrio Flacco.* Berol. 1890), et in Ennio quidem spero hoc iis quae nunc exposui liquido probatum iri.

audiunt'; p. 39, 3 *eliminare. Medea.* '*antiqua erilis fida custos corporis, Quid sic te extra aedis examinata eliminas*'; p. 33, 7 *propinare. sat.* '*Enni poeta salve qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus*'; cf. p. 66, 25 *sat. lib.* Id quoque dignum est quod observetur Nonium eosdem duos versus et saturae et Medeae quos modo citavi p. 139, 14 *(medullitus)*, p. 292, 17 *(eliminare)* alio lemmate aut eodem sed aliter explicato, etiam p. 221, 8 *(propago)* versum Ennii supra allatum (p. 64, 31) eodem lemmate sed alio eius usu iterum afferre. Unde apparet eum versus excerptos non in unum usum excerpsisse nec ut uni loco adhiberentur. Quodsi hanc excerpendi operam ad ipsum Ennium redire dicas, et nobis quidem non licet alium fontem ex quo hauserit monstrare, tamen non negligendum est nonnullis glossis in hoc libro positis alia testimonia, non Enniana, adiecta esse, quamquam iisdem vocibus etiam Ennius usus erat, qualia sunt *vitulantes* p. 14, 19, quod (ex E. Alex. VI) affert Paulus Festi; p. 6, 1 *exercitum* cf. Hect. lytr. IV 166; *merenda* p. 28, 32 coll. Sot. II ex Festo; *putus* p. 27, 22 coll. Alex. XI ex Festo et Gellio; *hostimentum, hostire* p. 3, 26 coll. E. scen. 133 et 178 ex Festo. Aliquoties in hoc libro ad glossas quasdam testimonia Ennii desiderantur, quae postea in aliis libris repetitis glossis addita sunt, velut *porcere* p. 61, 27 coll. p. 160, 5; *proletarius* p. 67, 18 coll. p. 155, 21 ex Gellio. Magis mirum videatur quod p. 16, 7 quem novimus Alcmeonis versum esse *Tum pavor* eqs (II 23) sic laudat *expectorare .. Cicero de oratore lib. III* '*tum pavor* eqs, quemadmodum alibi (p. 224, 18) eiusdem tragoediae, quam tamen cognitam habet (I), versum non Ennio sed Cicerone teste afferre maluit (II 26). Et in hoc genere quid Nonio libuerit, p. 113, 29 sqq.; 74, 23 sqq., quamquam aliena ab Ennio indicant.

Liber II *de honeste seu nove veterum dictis per litteras* (p. 68—190 M.) has habet fabulas Ennii et nonnullas quidem plus semel allatas, allatas autem a solo Nonio: p. 147, 22 *E. Achille* [II]; p. 166, 22 [VIII]; porro p. 169, 2 [VI], nam licet hi duo versus etiam apud Festum (p. 436, 23) et apud Gellium (IV 17) legantur, tamen qui quae dicunt accurate examinat intelliget neutrum esse Nonii auctorem; — p. 127, 13 *E. Alcmeone* [I], de qua tragoedia supra dixi; — p. 76, 2 *E. Andromacha* [VIII]; — p. 165, 11 *E. Andromeda* [IV], quod idem sed alio lemmate p. 384, 33 affertur; p. 169, 22 [III]: nam ne hunc quidem versum Nonius ex Festo prompsisse credendus est, apud quem (p. 495, 4) idem sed alio lemmate legebatur; p. 183, 17 [VI], qui exemplo esse potest Nonium ut dixi saepe in afferendis versibus non parcum esse; — p. 144, 14 *E. Cresphonte* [III]; — p. 111, 14 *E. Hectoris lytris* [IX]; — p. 115, 33 *E. Hecuba* [IX]; p. 116, 28 [XII]; p. 153, 28 [XIV] h. e. duo versus integri ad unam vocem extremam explicandam; — p. 84, 33 *E. Medea* (sic) [XV]; p. 170, 10 [XIII]; — p. 170, 13 et 176, 3 *E. Melanippa* [VI]; idem enim versus *regnumque nostrum ut sospitent superstitentque* bis affertur ut et *sospitent* et *superstitent* suum expli-

catum habeat; — p. 183, 13 *E. Nemea* [II], ubi hunc versum adnotavi nihil commune habere cum Pauli glossa p. 43, 37; — p. 91, 7 *E. Phoenice* [I]; — p. 85, 23 *E. Telamone* [VI] duobus pulchris versibus citatis unius explicandae vocis causa; p. 160, 5 [VIII], de cuius lemmate *porcet* supra ad p. 61, 27 adnotavi, neque ex Paulo p. 11, 36 quicquam efficiendum est; — p. 90, 14 *E. Thyeste* [IX]; p. 97, 31 [XIII]; p. 110, 14 [IV]; — p. 87, 33 *E. Ambracia* [I]; p. 183, 4 [II]; — p. 155, 30 *E. Cupuncula.* Atque hae quidem fabulae accurate suis et poetae nominibus citatae, uti dixi, uno Nonio auctore constant, ut eae credantur ex Ennio, non ex nescio quo alio fonte petitae esse: cui opinioni quae adversari posse videantur, suis locis expedivi. Unum versum affert Nonius (p. 129, 25), mero Ennii nomine citatum, sed quem dubium non est scenicum esse, a me in Achille (VII) positum: '*eo ego ingenio natus sum: amicitiam atque inimicitiam in frontem promptam gero,* quem Nonius quia ex Gellio (XIX 8, 6) sumpsit, qui ait haec *in illo memoratissimo libro* legi, nullo tragoediae titulo laudavit. Bis p. 112, 24 et p. 328, 22 Varronis de sexagesi (486 B.) affert verba *adest fax involuta incendio,* quae ex cantico Alexandri (VIII 63) *adest adest fax obvoluta sanguine et incendio* paulo liberius formata Varro in suam saturam recepit. Ex Alexandro cum Nonius nullum versum citet, et voces quasdam, velut *vitulans, purus putus,* quae leguntur in Alexandro, ut supra dixi, nullo Ennii testimonio afferat, credibile fit, eum hanc tragoediam non novisse, certe non usurpasse. Sed Andromachae, ex qua Nonius satis multa memoravit, tamen versum cantici (99) *Iovis aram sanguine turpari* Ciceronis nomine (Tusc. disp. III 19, 45) laudat. Idem quod ex versibus, quibus Cicero nec Ennii nec tragoediae nomine addito usus est sed quos probabili coniectura Ennii Eumenidibus (VII) adscripserunt, versum unum Cicerone teste citat (p. 122, 17), non iam consequens esse dicemus, hos versus Ennianos non esse. Ciceronis nomine afferri quae Cicero tantum citavit aliena, in quo genere multus est Nonius, suo exemplo probat etiam Servius in Aen. I 726 p. 203, 1 Thil. De ordine quo Nonius Ennii tragoedias excusserit, nihil certius affirmari potest; p. 166, 169 *Achilles, Achilles;* 169 *Andromeda;* 170 *Medea, Melanippa;* 172 *Telamo;* 176 *Melanippa.*

Annalium libri hi afferuntur et a Nonio quidem solo: p. 111, 33 *E. annalibus I* [LVIII], duobus versibus unius vocis causa citatis, quo magis sententia appareret; p. 120, 2 *E. annali lib. I* [LXIII]; quem Nonium, quae est eius consuetudo, credibile est plenum dedisse *lib. I [teque] Quirine pater veneror Horamque Quirini,* et quod *Horam Quirini* Gellius quoque (XIII 23, 2) memorat, id non est quod aut ad Ennium aut ad Nonium pertinere credatur; p. 150, 6 (cf. 154, 30) *E. annalium lib. VI* [XVII], pulchra sententia tribus versibus exposita; p. 116, 7 *E. lib. VII* [XVI]; p. 150, 16 *E. annali lib. VIII* [VII], cf. p. 156, 31 eadem glossa sine Ennii versu; p. 151, 24 *E. lib. VIII an-*

nalium [vii fr. x]; p. 95, 32 *E. lib. viiii* [xvi]; p. 110, 7 *E. lib. viiii* [viii] pleniore oratione quam opus erat; p. 149, 31 *E. lib. xi annalis* [v]; 114, 7 *E. lib. xv* [ii], ubi Pauli glossa p. 63, 7 nihil ad Nonium; p. 134, 19 *E. lib. xvii* [viii et ix]. His a solo Nonio, uti dixi, servatis et certo annalium libro adscriptis accedunt p. 106, 30 *E. annali lib. vii* [xiii], quod a Gellio (xviii 5, 6) petitum esse vel negligentia probatur qua praeter Nonii morem Ennii verba adscribuntur; p. 155, 21 *E. annali* [vi fr. viii], item satis neglegenter ex Gellio (xvi 10) descriptum; p. 158, 20 *Ennius* [vii fr. iv] ex Festo p. 324, 17 ne id quidem accuratius redditum; p. 134, 13 *Ennius* [i fr. xliv]; p. 134, 29 *Ennius* [ann. 538 sq.], quae postrema duo licet dubitare quam recte referantur ad Pauli glossas p. 83, 21 et p. 85, 1, quae si ad Ennium redeunt, certe sua forma a Nonio discrepant. Sed quidquid de ea re iudicatur, apertum est quanta pars versuum annalium uni Nonio accepta feratur et ab eo ex ipso Ennii carmine decerpta sit.

Restant saturae, quae paene totae Nonio debentur, p. 147, 9 *E. satyrarum lib. ii* [ii]; p. 139, 13 *E. satyrarum lib. iii* [i]; idem supra p. 33, 7, sed alio lemmate. Quibus ab uno Nonio citatis additur p. 140, 25 versus satirarum [sat. 63], quem apertum est Nonium ex Gellio (vi 9, 2) petiisse, cuius rei hic quoque indicio est incuria afferendi.

Denique ne in hoc quidem libro desunt glossae quas Nonius sibi explicandas sumpsit sine Ennii exemplo, quamquam eaedem voces etiam apud Ennium exstant et ab aliis grammaticis explanatae sunt, velut (neque enim attinet enumerare cuncta) p. 91, 21 *concubia nocte* (cf. ann. iv fr. v); 189, 21 *viere* (cf. Sot. i); p. 92, 26 *catus* (cf. ann. 331); et inprimis *gluma,* quam vocem Nonius p. 118, 4 ex Varrone (rer. rust.) affert et explanat, quamquam Varro ipse ibi testatur, eam legi solum apud Ennium in Euhemeri libris versis (Euhem. xiii); quo magis probabile fit Nonium Ennii Euhemerum non novisse.

Liber iii *de indiscretis generibus per litteras* (p. 190—232 M.) argumenti causa satis a superioribus duobus distat. Perpauca ex tragoediis affert, paulo plura ex annalibus, sed ut bona pars nulli certo libro adscripta sit. Ac tragoedias has habeto: p. 222, 32 *Ennius lytris* [xxi]; p. 223, 24 *E. Hecuba* [ii]; p. 224, 7 *E. Hecuba* [vi]; quae a solo Nonio afferuntur, tertium ita ut duobus praeterea locis (466, 26; 504, 6) sed diversis lemmatis citetur. His adiungendi sunt pauci versus, item sola Nonii fide citati, quos scenicos esse metrum declarat, sed cuius tragoediae sint, quia Nonius non dixit, nescitur: p. 196, 29 *Ennius* [scen. inc. vii]; cf. p. 91, 33 *caementa*; p. 198, 2 *Ennius* [scen. inc. ix]; p. 205, 28 *Ennius* [scen. inc. vi]; denique p. 224, 18 quae sunt Alcmeonis [26] tamquam Tulliana de fin. v (11, 31) laudat ea forma qua leguntur apud Ciceronem.

Ex annalium libris certis citantur haec, in quibus sunt quae potuit Nonius ex alieno fonte mutuatus esse: p. 226, 30 *E. annalium*

lib. v [vi fr. iv], cf. Festus p. 454, 30; p. 217, 11 *E. lib. viii annalium* [x] . . . *E. lib. viiii* [x], quorum utrumque ad unum auctorem Nonium redit; p. 195, 12 *E. annali lib. xi* [iv], cf. Festus p. 138, 24, qui glossam habet, Ennium non memorat; p. 195, 20 *E. lib. xiii* [iv], quae possunt ex Gellio (vi 2) ducta esse, nisi probabilius sit Nonium eundem adiisse Caesellium a quo reprehendendo Gellius proficiscitur: nam Nonius quoque duos versus affert, qui tres sunt apud Gellium; p. 219, 12 *E. lib. xvi* [xv], quae apparet unius Nonii esse; p. 222, 33 *E. annalium lib. xvii* [ii], cf. Festus p. 510, 30. Ad annales referenda sunt nullo annalium libro notato: p. 211, 9 *Ennius* [ann. 553], quod soli Nonio debetur; p. 214, 10 *Ennius* [ann. 549], cf. Festus p. 402, 15; p. 215, 7 *Ennius* [ann. 55], cf. Festus l. c.; p. 216, 28 *Ennius* [ann. 28]; p. 221, 8 *Ennius* [ann. iv fr. i], iam citatum sed alio lemmate p. 64, 31; p. 223, 30 *Ennius* [ann. 508]; p. 230, 15 *Ennius* [ann. 464], et hi quattuor versus quos postremos recensui non habent auctorem nisi Nonium. Quibus accedat p. 190, 20 *Ennius* [ann. 598], si quidem recte annalibus adscribitur; ceterum conf. Paulus Festi p. 3, 25. *Incertis* (xii et xiii) adscripsi quae Nonius habet p. 192, 13 et 194, 23. Iam si quis hunc ordinem Nonianum respexerit: p. 215 *Ilia dia nepos;* 217 *lib. viii lib. viiii;* 219 *lib. xvi*, non credet, opinor, quod ibi medium (216) legitur *Cum saevo obsidio magnus Titanu' premebat* (ann. 28), non ex annalibus sed ex Euhemero Ennii petitum esse, cuius nullum est apud Nonium vestigium (vide quae supra de *gluma* dixi), quod eo minus probabile, quo certius est a Nonio in eodem libro (p. 197, 9) citatum *Saturno Quem Caelus genuit* (ann. i fr. xxi) in annalibus locum habuisse. Porro *ostrea* quod p. 216, 5 multis exemplis, nullo Enniano, explanatur, indicio esse potest, ne Nonium quidem *hedyphagetica* legisse, quae praeter Apuleium nemini videntur nota fuisse. Etiam in aliis glossis praeteriit, quo uti poterat, Ennium, velut p. 222, 6 *rastros* (cf. ann. ix fr. xiii), quamquam versum ipsum sed ob aliam vocem (p. 66, 27) citavit.

Liber iv qui est *de varia significatione sermonum per litteras* (p. 232—421 M.), satis a tertio discretus, multa praebet de tragoediis, pauca de annalibus, praeterea de nullo scripto Ennii, et quae ex illis afferuntur, omnia suis titulis aut librorum numeris afferuntur, et ut exceptis perpaucis haec omnia testem non habent nisi unum Nonium, ita in eo quoque origo Noniana se prodere videtur, quod quae parcius afferri poterant maluit plenius integris sententiis perscribere. Tragoediae igitur hae nominantur: p. 277, 21 *Ennius Achille* [iv]; p. 393, 13 *E. Aiace* [i]; p. 292, 8 *E. Andromache aechmaloto* [vii]; p. 402, 2 *E. Andromacha aechmaloto* [ii], et hoc loco et rursus p. 515, 13 sub alio lemmate compariter duo versus afferuntur; p. 384, 33 *E. Andromeda* [iv], cf. p. 165, 11 ubi idem versus alio lemmate citatur; p. 290, 17 *E. Erechtheo* [ii]: hunc locum Nonius, qui praeterea hanc tragoediam non nominat, ex Gellio (vii 16, 9) vi-

detur sumpsisse; p. 292, 15 *E. Eumenidibus* [III], eodem lemmate sed diversae significationis quo p. 292, 8 Andromachae versus [VII]; p. 306, 28 *E. Eumenidibus* [V]; p. 355, 15 *E. Hectoris lytris* [II]; p. 399, 8 *E. Hectoris lytris* [XIX]; p. 407, 21 *E. Hectoris lytris* [XX], qui tres versus documento esse possunt, quam non parce perscribat Nonius quae ex Ennio prompsit; p. 342, 23 *E. Hecuba* [X]; p. 261, 18 *E. Medea exule* [V] '*nam ter sub armis*' eqs, sed eosdem versus eodem loco p. 261, 8 ex Varronis gerontodidascalo, ubi Ennius citatur, laudat, et licet eosdem Varro ipse de l. L. VI 81 perscribat, tamen certum est Nonium superiora illa non ex Varrone sed ex Ennio repetiisse; p. 292, 17 *E. Medea exule* [II], cf. p. 39, 3 eosdem duos versus; p. 297, 18 *E. Medea* [XII]; p. 246, 11 *E. Melanippa* [II]; p. 245, 27 *E. Phoenice* [IV]; p. 232, 24 *E. Telepho* [VII]; p. 342, 14 *E. Telepho* [IV]; p. 255, 24 *E. Thyeste* [II]; 261, 13 [VI]; 268, 11 [XII]; 369, 25 [I]. Ex eodem Thyeste p. 405, 3 versum 363, quo praeterea Nonius non utitur, ex Lucilii lib. XIX citavit.

Annalium haec sunt: p. 306, 23 *E. annalibus lib. I* [XXXIV]; ex Pauli glossa nihil confici potest; p. 378, 15 *E. annali lib. I* [XXIX]... *idem in eodem* [XLIII], quae testimonia duo habent eam quam saepe dico abundantiam citandi; non minus quod insequitur p. 385, 15 *E. annali lib. VII* [XVII]; p. 370, 22 *E. annalium lib. X* [XIII]. Verbo moneo p. 408, 3 et p. 418, 8 sub Varronis nomine legi quae ad annales referenda sunt.

Quae inde a libro V ad XX sequuntur breviter uno conspectu complectar, quorum IX et XV—XVIII et XX nihil Ennianorum versuum continent, reliqui sine magno discrimine eam proprietatem prae se ferunt, quam adhuc perspeximus, quorum locupletior paulo ceteris est septimus, omnes autem tragoediarum versibus multo quam annalium divitiores; accedunt comoediae et saturae, quae paene solius Nonii regna sunt, et omnino longe maxima pars horum versuum, ut in iis quos adhuc recensuimus, non alium testem quam Nonium habent. Tragoediae igitur afferuntur hae: p. 472, 30 *E. Achille* [III]; p. 504, 15 *E. Andromacha* [IV]; 515, 26 [IX]; 505, 9 *E. Andromacha aechmaloto* [XI]; 515, 13 [II], quem eundem versum sed diverso lemmate p. 402, 2 compariter et compari titulo affert; ceterum 515, 13 et 515, 26 *Andromacha aechmalotos* et *Andromacha* se excipiunt, ne quis de discrimine tragoediarum cogitet; p. 471, 9 *E. Cresphonte* [I]; p. 475, 3 *E. Eumenidibus* [II], quae qui respexerit intelliget quid sit, quam saepe dico, in Nonio ubertas afferendi; p. 505, 18 *E. Eumenidibus* [IV]; p. 467, 31 *E. Hectoris lytris* [XVI]; 469, 26 [XI]; 472, 27 [XVII]; 489, 28 et 490, 7 [I duobus testimoniis coniunctis]; 504, 32 [XIII]; 511, 8 [XII]; 518, 18 [XIV], ne haec quidem de una voce nimis anguste data; p. 466, 26 *E. Hecuba* [VI], quem eundem versum p. 224, 7 et 504, 6 non eodem lemmate citavit; 474, 30 [IV]; 494, 3 [VII], item alio lemmate p. 507, 18 pariter sed non parce allatum;

p. 507, 22 *E. Phoenice* [vii]; 511, 5 [vi]; 512, 6 [v], quem versum Ennii, quod Charisius p. 197, 25 K. testatur, (Helenius) Acro ad Terentii adelph. 45 adscripsit, sed nemo sanus arbitrabitur, Nonium hunc unum versum eius tragoediae, quam toties laudat, non inde unde ceteros sed ex Acrone mutuatum esse; p. 475, 24 *E. Telamone* [vii]; 504, 4 [i], iam 172, 19 ob aliam vocem citatum; 505, 33 [iii]; p. 429, 4 *E. Telepho* [iii]; 490, 12 [vi]; 537, 25 [i], qui versus apud Festum p. 487, 6 fuisse sed de alio nomine citatus videtur, ut Nonius inde petiisse credi non possit; 537, 27 [viii]. Sequitur p. 469, 24 *E. Ambracia* [iii]; 471, 18 [iv]; p. 506, 3 *E. pancratiastis* [i]; 513, 11 [ii]; 517, 14 [iii]. Porro ex saturarum libris p. 474, 22 *E. satirarum lib. i* [i]; 510, 10 [ii]; p. 470, 15 *E. satirarum lib. iii* [ii]. Ex annalibus autem hi libri citantur; p. 516, 15 *E. lib. i* [xlvi]; p. 556, 24 *E. lib. v* [vii]; p. 472, 7 *E. lib. viiii* [i]; p. 483, 3 *E. lib. xi* [x fr. xv]. Qui vero versus annalium libro non memorato afferuntur, ilico oritur dubitatio de auctore: p. 435, 12 (ann. 295), quae eadem habentur apud Gellium x 1, sed ita ut uterque Varronis verbis de disciplinarum quinto utatur, unde ambigas Noniusne sua ex Gellio an ex Varrone mutuatus sit; p. 555, 16 (ann. 544): eadem glossa *(falarica)* apud Paulum Festi p. 63, 4 habetur sed nullo exemplo adiecto, ut non satis certum sit, Ennii versum apud Festum fuisse; p. 530, 3 (ann. 537), ex Gellio x 29 ut videtur sumptum; p. 536, 31 (ann. 325); cf. Gellium vi 12, 7.

De ordine titulorum non possum memorare nisi quod p. 513. 514 et p. 517. 518 *Pancratiastes Phoenix* se excipiunt.

Quod si colligimus ex hac longa serie testimoniorum quod effici videatur, intelligimus Nonium saturarum libros paene solum, Ambraciae et comoediarum pancratiastae et cupunculae quidquid superstes est solum servasse, nec Euhemerum nec hedyphagetica, fortasse ne Sotam quidem cognita habuisse, ex tragoediis nec Alexandrum nec Iphigeniam tractasse, generatim autem tragoedias multo quam annales diligentius ad usum vocasse, id quod in Festi opere contra fuisse vidimus. Atqui negari non potest quin nonnulla Nonius, si ad summam testimoniorum referas perpauca, ex grammaticis, Festo inprimis et Gellio, Varrone fortasse, delibaverit; tamen nihil futilius est (de Ennio loquor) quam credere velle Nonium ad grammaticos et huius generis scriptores potissimum excerpendos se dedisse. Qui si hoc volebat, de Ennii Alexandro et Iphigenia multa discere ex Festo, de Iphigenia multa ex Gellio potuit. Sed ego Nonii operam in hac quidem parte ita animo informavi, ut ex Ennii carminibus versus selegerit de quibus agere vellet, et quoniam versus unus saepe plura verba habet interpretis indigentia, excerptos versus in diversas operis sui partes distribuerit; atque putabam, multisque exemplis patefeci, Nonium aliter afferre quae ipse ex Ennio sumpserit, aliter si quae ex alio fonte hauserit. Quodsi qui tamen affirmare malent Nonium

maximam partem glossarum cum exemplis ex nescio quibus glossariis abstulisse, nonne mirum esset, non alios quoque grammaticos sive priores Nonio sive posteriores eosdem fontes adiisse ex iisque hausisse? Quod quia factum non esse apparet, maneat hoc Nonium Ennii carmina et libros studiose pertractasse, hoc est ad eum modum quem veteres omnino huic rei operam dare consueverunt.

Qui tempore succedunt re et utilitate longe Nonio inferiores sunt. Quid enim afferimus Atilium Fortunatianum aut Marium Victorinum aut Maximum Victorinum, quos idem saeculum vidit, grammaticos exigua doctrina scholastico usui accommodata, qui Ennianorum carminum vix quicquam viderunt: apocopen vel diaeresin vel nescio quid explicantes unum vel duo versus Ennianos aliunde cognitos, non ex poeta sumptos, plerumque ne nomine quidem poetae addito in artes suas rettulerunt.

Ne Donatus quidem, etsi illis superior, cum Nonii fructuosa copia ullo modo conferri potest: qui quae in commentario Terentii de Ennio memoravit, ea supra p. XXIV sq. disceptavi et quae ex iis ad ipsum redire Terentium viderentur significavi. Quae restant non multa sunt nec magni pretii. *Ennius* '*memini me fieri*' *pavum* (ann. 15) ter memoratum; *Ennius* '*o pietas animi*' (ann. 8) a Cicerone ante allatum; *Ennius* '*o Tite si quid ego te adiuto*' (ann. 335), aut *Ennius in Medea* [I] '*utinam ne in nemore Pelio*', quo nihil erat veteribus notius, vel *Ennius* '*exin Tarquinium*' (ann. 155). Sed sunt quidam annalium versus quos nemo nisi Donatus memoriae prodidit, ann. 348 *Ennius x* '*regni versatum summam venere columnam*'; 550 *Ennius* '*optima cum pulcris animis R. iuventus*'; 204 *Ennius in sexto* '*sed ego hic animo lamentor*'; 470 *Ennius* '*omnes corde patrem debent*' eqs. Quibus adde inc. 9 *Ennius* '*nec dico nec facio mu.*'

Ex aliis scholiis in Terentium hoc memorandum est, Ennii ann. 566 in solis scholiis codicis Bembini servatum esse, praeterea ann. 626 in lexico Terentiano Barthii fide edito afferri.

Minus quam commentum Terentianum de Ennio Donati ars grammatica meruit, quae quos affert Ennii versus, hexametros omnes et annalibus adscribendos, figurarum explicandarum, diaereseos, parhomoei, homoeoptoti, homoeoteleuti, aliarum gratia affert, plerumque ne Ennio quidem nominato, quem tamen auctorem esse fere aliunde constat. Cum Donato conspirant in plerisque qui illius artem sibi commentandam sumpserunt; explanationes dico in Donati artem, Pompeii commentum; qui vix ullum Ennii versum memorarunt, quem non apud illum citatum invenerunt.

His adnecti possint etiam nonnulli de incertis grammaticis, quibus difficile est suum locum ex temporum ratione assignare; et plerumque non afferunt nisi quae alibi allata offenderunt; sed dignum quod memoretur est quod inc. 11 *hae nives* unus grammaticus de dub. nom., et ann. 3 *nam latos populos* eqs solus Probus qui dicitur de ultimis syllabis perhibuerunt.

Aurelii Victoris nomine, quoniam alio non licet, temporum ratione suadente hoc loco colloco duos libellos, 'de viris illustribus' alterum, alterum 'origo gentis Romanae' inscriptum, quorum ille quae de M. Catonis in Sardinia cum Ennio consuetudine (47, 1) et de Ennio M. Fulvii Nobilioris in bello Aetolico comite (52, 3) tradidit supra in vita Ennii adhibita sunt; quibus tertio loco accedit (35, 2) oraculum Pyrrho datum (ann. 179) *aio te Aeacida* eqs, quem Ennianum versum esse ne memoratur quidem. Origo autem bis Ennium, incertum quo auctore, laudat, cum (4, 5) versum notissimum et a multis citatum (ann. 214) *versibus quos olim Fauni vatesque* eqs affert et (20, 3) quae de lupa gemellos nutriente narravit *Ennium scribere libro primo* [XLI. XLIII] affirmat.

Quae vero in panegyrico genethliaco Maximiani leguntur (16) *etenim quod ait ille Romani carminis primus auctor 'a sole exoriente ad usque Maeotis paludes'* (epigr. IV 1), *id nunc longius longiusque protendere licet* eqs, sive eam orationem editores iure Claudio Mamertino Iuliani aequali adscribunt, sive rectius alii superioris aetatis tribuitur, quod mihi licebit in medio relinquere, tantum iis patefactum est hunc oratorem etiamtum quandam Ennii poetae memoriam habuisse (cf. Birtus *Zwei politische Satiren* p. 67).

Superiorum aetati paene coniuncti fuerunt grammatici duo, quorum tempora accuratius circumscribi non possunt, Charisius et Diomedes, qui hoc inter se commune habent ut ex alienis rivis sua arva aridioris artis grammaticae irrigaverint. Et Charisio quidem supra dixi Plinii Secundi libros sermonis dubii et C. Iulii Romani ἀφορμῶν potissimos fontes fuisse ex quibus cum praeceptis exempla duxerit. Quod quale fuerit, quamquam hoc a meo instituto alienum est, vel haec patefaciant quae scribit in libro I p. 116, 29 K. *XVII de analogia ut ait Romanus,* ubi postquam p. 117, 5 haec praemisit *cuius rei rectam rationem interim differamus, contenti paucis quae exempli gratia C. Iulius Romanus sub eodem titulo exposuit* eqs toto capite usque ad p. 147, 16 multas nominum formas similitudinis vel dissimilitudinis causa recenset et pertractat, eodemque nomine praescripto in libro secundo a p. 194, 22 (cf. 190, 8) ad p. 224, 22 adverbiorum, a p. 239, 1 ad 242, 12 interiectionum seriem perscribit. In his igitur partibus, quas se a Romano repetiisse Charisius fatetur, quae leguntur exempla Enniana satis multa, perspicuum est non a Charisio sublata esse ex Ennio sed ex Romani copiis repetita, nisi quod quia aliorum quoque auctorum in his partibus mentio fit, saepissime Plinii de dubio sermone, Varronis, Helenii Acronis, ambiguum est, utrum Romanus, qui certe doctus erat homo, omnia exempla ab illis, inprimis a Plinio mutuatus sit, an quaedam ab illis, alia ipse addiderit de suo. Sed hoc utut est, certum est ad Charisium nihil omnino Ennianorum redire; neque enim dubitari potest quin quae ante p. 116 in parte priore operis leguntur, non aliam rationem habeant quam quae inse-

quuntur (cf. p. 53, 12). Itaque nos, quoniam Romano aut Plinio sua restituere non possumus, versus Ennianos necesse est recenseamus sic ut apud Charisium hodie leguntur. Et in primo quidem libro quae habentur verba aut versus Ennii paucis exceptis ad annales referenda sunt, nihil ad scenica. Itaque p. 130, 29 *Ennius annalium lib. VII* [XXIII] '*russescunt frundes*'; p. 132, 6 *hebem. Ennius XVI* [XVI]; et haec quidem duo uno Charisio teste; p. 19, 1 '*terrai frugiferai*' *E. in annalibus* [489]. Reliqua poetae nomine nulla carminis mentione addita afferuntur: p. 72, 13 *Ennius* '*quem Caelus genuit*' [ann. 27]; 72, 15 *item* [ann. 546] '*quamquam caelus profundus*', quae duo plenius citavit Nonius; p. 83, 22 *E.* '*equitatus ut celerissimus*' [ann. 591]; p. 90, 26 *E.* '*Ilia dia nepos quas aerumnas tetulisti*' [ann. 55]; p. 98, 4 *E.* '*memini me fieri pavum*' [ann. 15]; p. 105, 18 *E.* '*sagus caerulus*' [ann. 509]; p. 128, 31 *E.* '*fici dulciferae lactantes ubere toto*' [ann. 264]; p. 141, 25 *E.* '*iamque fere quattuor partum*' [ann. 593]; p. 147, 15 *E.* '*volturus in spinis*' eqs [ann. 138]. Ex quibus quae sunt p. 83, 105, 128, 141 apud neminem praeter Charisium leguntur, et qui quae p. 128, 129, 6 sq., 130, 131, 8 sqq., 141, 27 testatur Charisius propius consideraverit, intelliget haec ad ultimum auctorem Plinium redire. Haec de annalibus. Praeterea p. 54, 19 *Ennius in protreptico* '*pannibus*', qui titulus libri hoc uno loco apparuit. Quod p. 124, 12 scribit *Cretum Cicero . . . Cretenses Ennius ut Varro libro I de sermone Latino scribit* fortasse non recte annalium incertis (CXXVII) adscripsi; nam cum *Cretensium* in Euhemeri fragmentis (V) habeatur et Varronem ipso teste (Euh. XIII) constet hunc librum paucis notum legisse, haud scio an eo referri praestet. Denique cum p. 98 haec se excipiant v. 4 *pavus Ennius* '*memini m. f. p.*' et paucis interiectis v. 12 *erumnam Ennius ait per e solum scribi posse, quod mentem eruat, et per a et e, quod maerorem nutriat,* parum probabile mihi videtur, alium Ennium dici quam poetam, qui sive in illo versu qui apud eundem Charisium affertur p. 90, 26 *Ilia dia nepos quas aerumnas tetulisti* sive nescio qua alia occasione usus (nam saepius nomen apud eum recurrit) non ut grammaticum decet sed sua oratione vim nominis indicarit; de quo genere supra p. LXXXI dixi. Postremo ut recte iudicetur quo usu Ennius apud Charisium fuerit, ne hoc quidem negligendum est, nonnumquam voces, quae etiam apud Ennium leguntur, explicari nulla Ennii mentione facta, velut p. 122, 13 *aplustre,* 109, 17 *stirps,* 90, 20 *sanguis* et *sanguen,* aut habita quidem Ennii ratione sed non eo loco ubi primum memorantur; vide *duriter* p. 79, 13 et 197, 25; *fici* p. 95, 22 et 128, 31; *vulturus* p. 98, 3 et 147, 15.

Paucos versus Ennianos habet etiam secundus Charisii liber, ex annalibus hos: p. 196, 16 *Ennius annalium libro I* [LVII]; p. 200, 22 *E. annalium libro* [inc. XXXIX]; p. 240, 6 *Ennius quoque annalium libro* [V fr. III] '*[euax] aquast aspersa Latinis*', quorum primus et tertius non habet alium testem quam Charisium, medius poterat ex

Festo vel Verrio depromi (cf. ann. 356); neque erat quod quia bis dicit *annalium libro* numerum libri librarii vitio extritum esse statueretur: sic certe etiam *Lucilius saturarum libro* p. 240, 8 et similiter alibi citavit. Annalibus puto recte adscriptum est quamvis sine testimonio p. 201, 15 *Ennius 'tibi vita seu mors in mundo est'* (ann. 467 sq.)

Tragoediae memorantur duae, p. 197, 22 *'duriter' Terentius in adelphis . . . ubi Acron secundum antiquorum, inquit, consuetudinem: nam et Ennius in Phoenice* [v] *'quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit.'* Hunc igitur tragoediae versum, quem Nonius quoque affert, cuius supra Charisius p. 79, 13 in eadem voce mentionem non fecerat, ex Helenii Acronis (cf. p. 200, 15) commentario Terentiano videmus nescio qua via in Charisii artem migrasse. Et p. 241, 6 *'euhoe' Maro* VII . . . *Ennius in Athamante 'his erat in ore Bromius'* eqs. Cuius tragoediae memoriam et eius hos quinque versus perpulchros unius Charisii testimonium servavit, qui, quoniam *Maro* (non *Vergilius*) simul citatur, hoc indicio arguitur hos versus Ennii a Romano sumpsisse.

Restat, quoniam libri tertius et quintus nihil habent Enniani, de quarto ut breviter admoneatur, qui seorsum a primi et secundi ratione quam vidimus Ennii nomen nusquam commemoravit, sed tamen quosdam versus, maximam partem hexametros, affert, qui alieno testimonio aut probabili coniectura ad Ennium et ad annales maxime relati sunt: p. 267, 7 *vosque Lares tectum nostrum qui funditus curant* [ann. 620]; p. 271, 28 *aio te Aeacida* eqs [ann. 179]; p. 272, 27 *cumque gubernator magna contorsit equos vi* [ann. 486]; p. 278, 24 *endo suam do* [ann. 576]. Quorum secundi et quarti fidem Ennianam testimonium praestat; primus non habet nisi Charisium testem, sed ut et hic et tertius (de quo vide ad ann. 486) non sine aliqua probabilitate ad annales adscripti sint. Quibus addendum est fortasse p. 278, 11 *induperator pro imperator:* certe eam formam a Vergilio alienam habet Ennius aliquoties. Porro p. 282 figurarum rhetoricarum notissima exempla componuntur: *Marsa manus, Peligna cohors* eqs [ann. 276]; *o Tite tute Tati* eqs [ann. 109]; *hos reduci quam relinqui, devehi quam deseri* [scen. 390]; *maerentes flentes lacrimantes* eqs [ann. 103]; quorum nulli alicubi testimonium originis Ennianae deest. Denique ab uno Charisio (p. 284, 9 et 286, 7) allatos versus *non commemoro quod draconis* eqs et *non quod domui vim* eqs., quia accurate expressi sunt ex versibus Medeae Euripideae, non dubitavi Ennio adscribere et in eius Medea collocare (IX). Postremo ne quid omittatur, in extrema parte libri IV quae est de numero Saturnio p. 288, 15 haec afferuntur '. . *vel quales in tragoediis nonnumquam incidere veteribus solent ut Ennii Acciique,* sed deinde Accii, non Ennii exempla ponuntur.

Cum Charisio oportet Diomedis ars coniungatur; inter quos grammaticos quae ratio intercedat H. Keilius p. L praefationis dilucide exposuit. Enniana quae essent apud Diomedem et qua ratione

afferrentur, non ita pridem in relat. acad. 1899 p. 270sqq. eo consilio exposui ut quae p. 400, 27 citantur *Ennius 'an aliquid quod dono illi morare sed accipite'* falso ad annales trahi hoc modo correcta *Ennius annali 'quid quod'* eqs probarem, simul ut occasione usus exemplum eius rei proponerem quam nunc instituo, ita ratus utile esse suum cuiusque grammatici usum penitus cognitum habuisse. Itaque testimonia l. c. p. 272sq. perscripta breviter licebit huc transcribere. Sunt autem haec: p. 382, 11 *ut Ennius octavo annalium* [VIII] '*certare abnueo, metuo*' eqs; p. 373, 5 *ut Ennius decimo annalium* [XIV] '*pinsunt terram genibus*'; p. 382, 22 *ut Ennius sexto decimo annalium* [XXII] '*prandere iubet horiturque'; idem in decimo* [XI] '*horitur induperator*'; p. 345, 3 *Ennius in lustris* (h. e. in Hectoris lytris) [XV] '*sublime iter quadrupedantes*' eqs; p. 387, 30 *ita ut Ennius in lustris* [III] '*nos quiescere aequum est*' eqs; p. 382, 14 *idem in Telamone* [IX] '*abnuebunt*'. Et haec quidem omnia quae suis titulis ac numeris recensentur sciendum est seorsum a Charisio a solo Diomede exhiberi, ut eo quoque nomine constet Diomedem minime omnia ex Charisio repetiisse, sed suos potius fontes adiisse, in quibus vix dubium est quin partem certe Ennianorum expositam offenderit. Accedunt nonnulla mero Ennii nomine insignita: 1) p. 383, 5 *ut apud Ennium* [ann. 10] '*ova parire solent*'; 2) p. 385, 29 *item potestur apud Ennium* [ann. 611] *reperimus 'nec retrahi potestur imperiis'*; 3) ibid., 32 *ut apud eundem Ennium* [ann. 174] '*quis potis ingentis oras*' eqs; 4) p. 447, 17 *ut Ennius* [ann. 103] '*maerentes flentes*' eqs; 5) p. 447, 6 *apud Ennium* [inc. scen. XI] '*eos reduci . . devehi quam deseri malui*'; 6) p. 345, 1 *ut Ennius* [inc. scen. XXXIX] '*ad eum aditavere*'; 7) p. 400, 27 *Ennius* [inc. scen. XXXVIII] '*an aliquid quod dono illi morare sed accipite.*' Ex quibus 4 et 5 Diomedi cum Charisio communia sunt, 2 et 6 et 7 uni Diomedi accepta referuntur. Intelligitur autem quam temere egerint qui extremum testimonium illo modo quem dixi mutatum ierint, quod ne nunc quidem dubito quin a me recte restitutum in hanc formam *Ennius 'an aliquid quod do nil morares? accipe* et ad scenicas reliquias relatum sit. Restant nonnulla, quae nullo auctore a Diomede allata partim aliis testibus, alia verisimili opinione Ennio tributa sunt, omnia, utpote heroica, ex annalibus petita: p. 450, 3 *ut* [ann. 179] '*aio te Aeacida*' eqs a plurimis citata, quorum Cicero Ennium auctorem dixit; p. 441, 34 *ut* [ann. 576] '*endo suam do*', quod Diomedes cum Charisio aliisque attulit, Ennii esse Ausonius testis est; p. 446, 26 *ut* [ann. 276] '*Marsa manus, Peligna*' eqs; p. 457, 29 *ut* [ann. 486] '*cumque gubernator magna*' eqs, quos versus duos Diomedes una cum Charisio laudavit, quem vide supra p. XCIX; p. 447, 4 *ut* [ann. 621] *machina multa minax minitatur maxima muris,* quem non habet nisi Diomedes.

Ausonii, cuius vita paene ad extremum saeculum p. Chr. quartum extenditur, unum est carmen quod expressam Ennii memoriam

continet, technopaegnion 13 p. 139 Schenkelii (ann. lib. inc. XCIX. C. CI. CII p. 106): cuius carminis principium, quod habet aliquid dubii propter codicum scripturam, sic nisi fallor recte scribitur et distinguitur:

Frivola condemnas; nequam [cur] cum pretio est mers,
Ennius ut memorat, replet te laetificum gau,
Livida mens hominum concretum felle coquat pus?

in quibus quae addidit *Ennius ut memorat* h. e. *E. ut dicit* non ad sententiam sed tantum verba *laetificum gau* pertinere arbitror. Rursus a v. 17 haec Enniana connectit:

Unde Rudinus ait 'divum domus altisonum cael'
Et cuius de more quod adstruit 'endo suam do'
Aut de fronde loquens cur dicit 'populea frus'?

Quorum primum et secundum Ausonio indicante apud Ennium inter se connexa fuerunt poterantque in eodem consilio deorum dicta esse ad eum modum quem in adn. significavi. Ceterum haec dictionum Ennianarum exempla, haud dubie ex annalibus petita, unus Ausonius exhibuit praeter *endo suam do,* quod quos praeterea testes habeat (cf. supra p. C) suo loco indicatum est.

Praeterea pauca sunt, neque ea plane certa, in quibus Ausonius Ennii memor fuisse videatur, velut in Mosella 245 quae scribit *ast hic tranquillo qua labitur agmine flumen* ex Vergilii versu (Aen. II 782) *leni fluit agmine Thybris* potius expressa credas quam ex Enniano (ann. 173) *quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen,* quem cum illo Macrobius composuit. Neque quod est in epitaphio 12 (p. 74 Schenkelii)

Cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum.
Quae? caelum et tellus et mare et ora virum

certius ad Ennii epigramma sepulcrale (II) refertur, in quo est *volito vivos per ora virum,* cum in promptu sint similia Vergiliana, quae vide in adn. Unum tamen est in quo se Ennii reminiscentem probat Ausonius perioch. Iliad. IV (p. 229 Schenkelii)

Iuppiter interea cum dis genitalibus una
Concilium cogit superum de rebus Achivis,

quae cum versu Ennii (ann. 115) *Romulus in caelo cum dis genitalibus aevum degit* Bentleius contendit eo loco quem in adn. laudavi. — De sententia contuli Ausoniana ad sat. lib. I fr. II.

Tempora sequenti (nec saeculum quartum iam egressi sumus) proximus est C. Iulius Victor rhetor, qui de Ennio bene meritus dicendus est, non quod Medeae principium *Utinam ne in nemore Pelio* eqs multis memoratum et ipse orationis carpendae causa ascivit, sed quia sententiam Ennii nemini praeterea cognitam servavit *cum spolia generis detraxeritis, quam inscriptionem dabitis* (nam versus fortasse ne voluit quidem afferre, nec pleni sunt), quae est oratio acerba (vide similia in adn. allata) Sabinarum inter pugnantes patres et maritos

intercedentium, quam ego sumptam arbitrabar ex quadam Ennii Sabinarum praetexta (scen. 370).

Non secus qui cum Victore aetate coniunctus est Iulius Rufinianus habet quod laudetur, qui Iphigeniae Ennianae reliquias duobus fragmentis locupletavit (v. VI), quorum primum ipse ex Ennii Iphigenia promptum esse testatus est, *Menelaus me obiurgat: id meis rebus regimen restitat,* alterum tribus versibus compositum, quoniam ad eadem Atridarum iurgia pertinet, eiusdem et poetae et tragoediae esse et cum priore coniunctum fuisse iure colligitur.

Contra illorum aequales Q. Aurelius Symmachus et Ammianus Marcellinus vix digni sunt qui commemorentur. Quorum ille de Ennio quod sciam non perhibuit nisi quod supra p. XIV allatum est de chlamyde ex manubiis Aetolicis a Fulvio poetae donata, quae unde propagata sit memoria latet, eamque quod Symmachus tradit, non iam credemus eum ullam partem poesis Ennianae cognitam habuisse. Ammianum autem Marcellinum qui magis putabimus Ennii peritum fuisse, quod Enniani oraculi Pyrrho dati (ann. 179) toties et tam a multis citati '*aio te Aeacida*' eqs ne Ennii quidem nomine adiecto mentionem fecerit.

Hos excipit suppari paene aetate unus e locupletissimis de Ennio auctoribus, Servii commentarius in Vergilii carmina. Qui ut est grammaticus conservandae et propagandae Ennii memoriae cum paucis utilissimus, ita multo etiam utilior esse potuit, si quae interpreti Vergiliano non poterant non in promptu esse exponere omnia voluisset. Sed notum est hos grammaticos Latinos raro poetarum quorum exemplis utuntur materiam omnem exhaustam habere, verum saepe unum quod casu offertur adhibere, similia et quae in proximo legebantur praetermittere, velut ut pauca afferam, de *quianam* particula Enniana Servius alio versu (ann. 127), alio Festus utitur (ann. 259), formam superlativi *celerissimus* uno versu (ann. 460) Priscianus confirmat, altero (ann. 591) Charisius, et *metus* Ennium feminino genere ponere Nonius (ann. 549) non eodem quo Festus (scen. 407) exemplo docet. Sed interpres Vergilii, quem usquequaque Ennii vestigia legere constat, dici vix potest quam multa quae observare potuerit de Ennio neglexerit; quae si quis colligere omnia vellet, verendum esset ne praetermissorum copia maior exiret quam eorum quae Servio accepta ferimus; qui vel versus Ennianos omnes, quos Macrobius diligentissime cum Vergilianis composuit, neque ei pauci sunt neque viles, reticuit, et in ceteris Enniana multa, quorum memoria aliis testibus constat, licet invitante Vergilii oratione non tetigit. De illis dicam cum de Macrobio agetur, ex ceteris pauca exempli causa afferam. Servius in Aen. I 646 '*stat*': . . *plenum est ut* (XII 407) '*iam pulvere caelum stare vident*', cf. VI 22; sed nullo eorum loco Enniani versus (ann. 608) '*stant pulvere campi*' mentio fit. In Aen. II 77 '*fuerit quodcumque:* . . . (Danielin.) *sane* '*quodcumque*' *vetusta voce mortem significari Luci-*

lius docet in xii (371 Lachm.) '*hunc si quid pueris nobis me et fratre fuisset*' *hoc est si mors vel me vel fratrem oppressisset.* Non minus recte quam Lucilio licebat Ennio uti (ann. 125) '*si quid me fuerit humanitus.*' ii 271 '*visus adesse*': *bene visus, quia somnio videntur tantum, non sunt naturaliter vera.* Ennium non memorari qui dicit (ann. 6) '*visus Homerus adesse poeta*' eo magis mirere quia 274 ex eadem scena '*ei mihi*': *Ennii versus* laudatur. ii 156 (Daniel.) *hostia vero victima et dicta quod dii per illam hostiantur id est aequi et propitii reddantur, unde hostimentum aequationem.* Utrumque et *hostire* et *hostimentum* apud Ennium legitur (scen. 133. 178) et simili modo explicatur ab aliis. iv 295 *iussa facessunt* et ix 44 *praecepta facessunt*: neutro loco Ennius laudatur, cuius versum (ann. 59) *dicta facessunt* Nonius affert. iv 424 (Dan.) *inde nostri hostes pro hospitibus dixerunt: nam inimici perduelles dicebantur.* Ennius praeteritur; ad cuius versum (scen. 396) grammaticorum testimonia de nominibus *hostis* et *perduellis* adscripta sunt. v 628 '*per mare magnum*': *procellosum. Lucretius* (ii 1) '*suave mari magno.*' Sed et Ennius (ann. 445) '*indu mari magno fluctus extollere certant*' et alibi similiter. vi 15 (Dan.) '*praepetibus pennis*': . . . *praepetes tradunt non tantum aves dici quae prosperius praevolant sed etiam locos quos capiunt.* Utrumque apud Ennium (ann. 91 et 94) habetur. vi 238 *scrupea lapillosa* eqs. Versus Ennii (scen. 115) *scrupeo investita saxo* eqs a Festo et Paulo (p. 495) propter eam vocem citatur. viii 90 '*rumore secundo*': *hoc est bona fama.* Nonius Ennii versum (ann. 255) cum eodem versu Vergilii copulavit. ix 702 '*falarica venit*': multa apud Servium de falarica disseruntur, Ennii versum (ann. 544) non Servius sed Nonius et una quidem cum illo Vergilii versu attulit. x 727 '*lavit*' *ab eo quod est lavo lavis.* Ubi Horatius quidem et Plautus citantur, non Ennius, cuius versus (non enim unus est) ad scen. 202 Nonius perscripsit. xii 136 (Daniel.) '*aspectabat*': *amat usurpare antiquitatem: nam potuit* '*spectabat*' *dicere.* Et potuit Enniani versus (ann. 343) mentio haberi *aspectabat virtutem legionis.* Haec pauca sunt de multis selecta, neque enim inutile est huius testis rationes cognovisse; quae ut plene perspiciantur, hoc quoque addendum est, ubi Ennius memoratur, non semper primo quo poterat loco, nedum omnibus quibus poterat aut debebat afferri.

In commentario ad Aeneidem, quem Servius primum conscripsit et quem seorsum recognoscimus, pleraque pars versuum Ennianorum ex annalibus petita est: appellantur quidem *annales* semel tantum (iii 333 Dan.), semel *in primo* additum legitur (ix 420 Dan.); praeterea mero poetae nomine defungitur, non una citandi forma usus sed variis, de quibus infra dicetur. Parva pars est versuum scenicorum in iisque semel *Iphigenia* (i 52 p. 34, 14 Thil. Dan.) nominatur, plerumque in his quoque nihil amplius quam Ennii nomen poni solet. Ex aliis titulis semel *saturarum ii* (xii 121 p. 589, 21 Dan.) citatur.

In iis autem testimoniis Servianis, quae non possunt nisi ad annales referri, ea multo sunt ceteris graviora quae non versibus singulis citandis continentur, sed quaedam generatim afferunt ad res ab Ennio compositas pertinentia. Eaque omnia quae huius generis sunt unius Servii beneficio nituntur. Dico talia: Aen. I 20 *'audierat' a Iove aut a fatis . . . et perite 'audierat': in Ennio enim inducitur Iuppiter promittens Romanis excidium Carthaginis.* (Cf. quae ad Aen. I 234 memorantur sententia non plane eadem). Versus Ennii non attulit, sed significat quid actum sit apud Ennium in concilio deorum, quaeque ibi Iuppiter promiserit, ea vult Iunonem Vergilianam audivisse, hoc eo modo de quo in altera parte huius praefationis ad ann. 65 plenius disserui. Cum illo testimonio coniungi oportet, utpote ad easdem Iunonis Ennianae partes pertinens, quod idem Servius scribit Aen. I 281 *'consilia in melius referet', quia bello Punico secundo, ut ait Ennius, placata Iuno coepit favere Romanis*; qui ne nunc quidem versum Ennii afferre voluit, sed sententiam indicare, quae fortasse pluribus verbis exposita erat. Videmus Servium attendere si quid est in Ennii annalibus quod convertere ad interpretandam Vergilii compositionem liceat. Eiusdem generis haec sunt. Aen. I 273 p. 102, 21 Thil. pluribus enarratis de conditore urbis, de quo varii testes varia affirmant, haec subiicit: *Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt* (Daniel.): quibuscum rursus coniungenda sunt, quae in similem sententiam in Aen. VI 777 traduntur: *'quin et avo comitem sese Mavortius addet Romulus': . . . ergo 'avo se addet comitem' aut avito se iunget imperio aut certe secundum Ennium referetur inter deos cum Aenea: dicit namque Iliam fuisse filiam Aeneae, quod si est Aeneas avus est Romuli; unde etiam addidit 'Assaraci quem sanguinis' . . . nam Assaracus pater est Capyos, Capys Anchisae, Anchises Aeneae*; quam genealogiam saepius a Servio commemoratam idem Ennius (ann. 30 sq.) refert. Sed Servius, etsi quae propria fuerit Ennii (et Naevii) memoria dicit, ipse nisi tralaticias de geminis et urbis primordiis fabulas non sequitur (velut VI 777 et rursus 779 et alibi). Addo alia quae cognatum genus prae se ferunt: ad XI 608 adnotatur *'intra iactum teli': unde possit hasta emissa in hostem venire . . . et Enniana est omnis haec ambitiosa descriptio.* Omissis versibus Ennii partem quandam narrationis Ennianae indicat, quam pluribus imitatus sit Vergilius. Qua ex imitatione quantum cognosci posset ad ann. lib. inc. LXVII (librum enim annalium non prodidit Servius) sic ut licuit significavi. Similiter ad VIII 631 *'procubuisse lupam, geminos huic': . . . sane totus hic locus Ennianus est.* Saepius ita loquitur Servius, velut X 104 *'accipite ergo animis': totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro,* et cavendum est ne nimium orationi tribuamus (cf. ad XI 483. 492), sed de lupa geminos nutricata, quam Vergilius in Aeneae clipeo expressam depinxit, nonnulla hodie apud Ennium leguntur (ann. I fr. XLI. XLIII). Quae qui consideraverit, dabit fortasse

etiam haec, quae aliunde tralata esse dicit Servius, etiamsi nulla est expressa Ennii mentio, ad Ennium redire: II 486 '*at domus interior*': *de Albano excidio translatus est locus;* et ad eandem partem (II 313) '*clangorque tubarum*': *morem tetigit expugnationis, plerumque enim ad tubam evertuntur civitates, sicut Albam Tullus Hostilius iussit everti.* Hanc enim Tulli Hostilii et excidii Albani memoriam, nisi me fallit opinio, non ex 'historia' Servius quam dicere solet sed ex Ennii narratione prompsit. Similemque rationem agnoscere videor etiam V 114: *Punico bello primum naumachias ad exercitium instituere Romani . . . ad quam rem in hoc certamine plurimum adludit poeta:* hoc est ad ea quae Ennius de his exercitiis rettulit, quem vide VII fr. X. XI. XII et quae ad X adnotavi. Denique Ennium ipsum appellat versibus praetermissis VII 691 '*at Messapus equum domitor*': . . . *ab hoc Ennius dicit se originem ducere; unde nunc et cantantes* (698) *inducit eius socios.* Quae pro veris accipienda sunt, h. e. Ennium narrasse se a Messapo rege originem ducere (ann. XII fr. VII), quidquid de Vergilii consilio quod Servius dicit iudicandum est. Cf. vita Ennii p. VIII.

Quos vero Ennii nomine versus hexametros affert non paucos, eorum plerosque non alii auctori quam Servii commentario acceptos ferimus et persaepe ei parti eius quae Danielis nomine secerni solet. Quos qui attulit, non hoc egit ut plenos versus laudaret sed hoc potius ut plenas sententias, sive eas uno versu comprehensas, velut XI 326 '*textrina*': *Ennius dicit* '*idem campus habet textrinam navibus longis*' (ann. 477); IX 641 p. 367, 7 Thil. '*mactus*' ... *ut Ennius* '*Livius inde redit magno mactatus triumpho*' (ann. 301), sive pluribus, ut I 254 '*subridens*':... *Ennius* '*Iuppiter hic risit tempestatesque serenae Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis*' (ann. 457 sq.); cf. VI 763 (ann. 115 sq.), et aut manco uno aut plus uno dimidiato utroque, velut IX 327 '*temere*': . . *Ennius* '*quo tam temere itis?*' (ann. 554); V 37 '*in iaculis*' *in hastis: Ennius* '*levesque secuntur in hastis*' (ann. 506); I 123 *Ennius imbrem pro aqua marina:* '*ratibusque fremebat Imber Neptuni*' (ann. 497 sq.); I 81 '*in latus*' *pro latus accipiunt. Ennius* '*nam me gravis impetus Orci Percutit in latus*' (ann. 551). Haec quidem omnia quae exempli causa selegi et uni Servio et Servio Danielis debentur. Ac plerumque Enniana quae citantur, quoad nobis iudicare licet, recte citantur, quamquam Servius non est singulari diligentia in afferendis versibus, qui saepe Plautina, Terentiana, alia, de quibus existimare possumus*), non satis memori mente aut sententiae tantum causa metri

---

*) Lucretiana quoque, de quibus Lachmannus ad IV 126 p. 222, tum rectius de negligentia Servii iudicans quam olim in Propertio p. XX. Eius incuriae perpauca de plurimis exempla afferam, tantum ut admoneam eos si qui volent in eam rem studiosius inquirere. Itaque scribit in Aen. I 232 *Pan . . Panos, ut* '*Arcadici dictum Panos de more Lycaei*', sed Vergilius (Aen. VIII 344) *Parrhasio* ait *dictum.* Ibid. 233 (Dan.) *Plautus in milite* '*nunc scio mihi ob oculos caliginem obstitisse*', at Plautus (m. gl. II 4, 51) *nunc de-*

incuriosus citavit; in Ennianis raro peccavit, velut VI 219 *versus Ennii qui ait 'Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit'* (ann. 155). Donato enim teste constat Ennium scripsisse *Exin Tarquinium b. f.*, Servium autem apparet Vergilio inducente qui scribit *corpusque lavant frigentis* in illam formam aberrasse. Item VI 845 *ille est de quo ait Ennius 'unus qui nobis cunctando restituit rem'* pronomen unde ortum sit (nam Ennius scripsit *'unus homo nobis'* eqs ann. 370) Vergilii versus patefacit, qui requirebat *unus qui .. restituis.* Difficile iudicatur de VI 595 *'vultur' . . . Ennius 'vulturus in campo miserum mandebat homonem'* (ann. 138), ubi *campo* non recte scriptum videtur, sed variant testes et variant ipsius Servii libri scripti. Contra VI 685 quod legitur *licet Ennius dixerit 'aestatem autumnus, post acer hiemps it'* (ann. 424), errore non Servii sed librariorum eius desideratur *sequitur* quod habet Priscianus.

In his quae adhuc recensui Servius uno Ennii nomine posito verba aut versum subiicit. Sed sunt variae formae quibus in afferendis Ennii versibus uti solet, quae cavendum est ne utentem in errorem inducant. Quod genus II 274 scribit *'ei mihi': Ennii versus*; sed versus Vergilii cum sit *ei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore,* apparet hunc totum ab Ennio sumptum non esse, sed partem tantum: posui (ann. 7) *ei mihi, qualis erat* et rettuli haec ad aspectum Homeri de inferis ascendentis. Idem cadit in hunc scenicum versum II 241 *'o patria': versus Ennianus.* Vergilii versus hic est *o patria, o divum domus Ilium, et incluta bello m. D.* Ennianum autem quem dicit aliis testibus constat hanc formam habuisse (scen. 92) *o pater, o patria, o Priami domus,* similitudine ut apparet non nimis grandi. XI 27 *'quem non virtutis egentem': Ennii versus est* (ann. 599); totusne an ex parte, quis hoc dirimet? Cf. ad VI 219 adscripta quae supra attuli, ubi his praemissis *versus Ennii qui ait* versum subiicit non plane gemellum Vergiliano. XII 115 *'lucemque elatis naribus efflant': Ennianus versus est ordine commutato: ille enim ait 'funduntque elatis naribus lucem'* (ann. 600). De parte loquitur, quamquam probabile est etiam apud Ennium *Solis equi* in principio versus fuisse. Vergilius qua re ordinem mutaverit, patefaciet versus ann. 594 ab eodem Servio ad I 51 adscriptus. Non praeteribo XI 601 *('late ferreus hastis) horret ager': terribilis est. Est autem versus Ennianus vituperatus a Lucilio dicente per inrisionem debuisse eum dicere 'horret et alget'.* Quis enim non crediderit, Ennianum versum quem Lucilius reprehenderit esse Vergilianum istum, sed fuit is quem Macrobius ex

---

mum experior mihi eqs. Aen. I 6 (Dan.) *Terentius vetuste ad personam transtulit 'sed eccum Syrum incedere video: hinc iam scibo quid siet.'* Ille autem (adelph. III 3, 7) *ire video* et *iam hinc scibo ubi siet.* Aen. IV 137 *quod ipse ait in bucolicis 'alba nec Assyrio fucatur lana veneno'.* Quae leguntur scilicet in georgicis (II 465). Cumque scribit Aen. VII 378 *turbo: Catullus 'hoc turben' dicit* dubitamusne eum Catullum appellasse pro Tibullo?

Scipione (VIII) attulit *sparsis hastis longis campus splendet et horret,* quem Servius haud dubie in mente habuit et cum Vergiliano conferendum duxit. Et quo magis perspicuum fiat in hoc genere Servius quid probaverit, uno exemplo utar alieno: V 591 '*frangeret*': *deciperet falleret. Est autem versus Catulli.* Dicit versum carminis LXIV 115 *tecti frustraretur inobservabilis error,* Vergilii autem versus est *frangeret (falleret) indeprensus et inremeabilis error.* Apparet quam tenuis sit amborum similitudo.

Alibi Servius sic loquitur IV 404 '*it nigrum campis agmen*' . . . *et est hemistichium Ennii de elefantis dictum* (ann. 474); IX 163 '*vertunt crateras aenos*': *potantes exhauriunt. Et est hemistichium Ennianum* (ann. 511); XII 552 '*summa nituntur opum vi*': *hemistichium est Ennianum.* Et hoc verum est quippe aliis testibus confirmatum (ann. 161. 412); de duobus superioribus una Servii fide nitentibus est quod ambigas. Apertius rem significavit IX 501 '*at tuba terribilem sonitum*': *hemistichium Ennii, nam sequentia iste mutavit: ille enim ad exprimendum tubae sonum ait 'taratantara dixit'. Et multa huius modi Vergilius cum aspera invenerit mutat: bene tamen hic* (Ennius, puto) *electis verbis imitatur sonum tubarum* (ann. 140). De vitata a Vergilio asperitate Ennii Servius XII 115 et I 51 quae supra attuli admonuit.

Nondum exhausi citandorum versuum Ennianorum formas Servianas, loquitur enim etiam ita: VIII 500 '*flos veterum*': *Ennianum.* Quid? *Flos veterum*? Immo, ut puto, *flos delibatus populi* (ann. 308). Alibi addit ipsum quod Ennianum esse vult. IX 37 '*hostis adest*': *hic distinguendum, ut 'heia' militum sit properantium clamor; et est Ennianum, qui ait 'heia machaeras'* (ann. 597); IX 526 '*oras evolvite belli*': . . *narrate non tantum initia sed etiam extrema bellorum* . . . add. Daniel. *est autem Ennianum 'qui potis ingentis oras evolvere belli'* (ann. 174). IX 653 (Daniel.) '*cetera*': *id est in ceterum. est autem Ennianum 'cetera quos peperisti ne cures'* (ann. 56). IX 744 (Daniel.) '*versat*': *librat, iactat: et est Ennianum 'versat mucronem'* (inc. 3). Denique X 5 '*bipatentibus*': *physice dixit . . . est autem sermo Ennianus* (ann. 61). X 6 '*quianam*': *cur, quare. Ennianus sermo est*: add. Daniel. '*quianam legiones caedimus ferro*' (ann. 127). XII 605 '*flavos Lavinia crines*': *antiqua lectio 'floros' habuit, id est florulentos . . et est sermo Ennianus* (inc. 24). VI 748 '*rotam volvere per annos*': *exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem. est autem sermo Ennii.* Haec ad ann. 558 *inde patefecit radiis rota candida caelum* adscripsi et putavi ad solam vocem *rota* pertinere; de qua re Bellingius recte iudicavit, qui nuper contra dixit R. Helmius meus erravit: *sermonem* enim Servium vocem singularem dicere cum illis exemplis quae supra Ennii causa composui tum aliis pluribus probatur, velut IX 225 *est Lucilii versus uno tantum sermone mutato (regni* pro *hominum)* et XI 4 *in hoc sermone (eous) prima syllaba naturaliter longa est,* aliis.

Non raro Servius mera vocabula vel vocabulorum formas et

usum ex Ennii carminibus afferre variis modis solet; velut I 26 '*repostos*' *et* '*porgite*' *de Ennio transtulit* (inc. 23); II 651 '*nos contra*': *praepositiones et adverbia in a exeuntia modo producunt ultimam litteram . . . apud Ennium et Pacuvium brevia sunt* (inc. 30), cf. V 19 p. 591, 14 Thil.; VI 779 '*viden*': *den naturaliter longa est: brevem tamen eam posuit secutus Ennium* (inc. 28); VII 568 '*hic specus horrendum*':... *Ennius feminino posuit* (ann. 440); VII 683 '*Anienem*': . . . *Ennius Anionem dixit iuxta regulam* (ann. 603); VII 804 '*florentes aere catervas*': *Ennius et Lucretius florere dicunt omne quod nitidum est* (ann. 323); II 173 '*salsus sudor*': *bene addidit salsus* . . . add. Dan. *Probo sane displicet salsus sudor et supervacue positum videtur. hoc autem Ennius de lamis dixit* (ann. 606); X 532 '*gnatis parce tuis*': . . . *parce autem est secundum antiquos serva, ut apud Lucilium et Ennium invenitur* (ann. 199. 200); XII 298 '*torrem*': *erit nominativus hic torris* ... *nam illud Ennii et Pacuvii penitus de usu recessit, ut* '*hic torrus*' '*huius torri*' *dicamus* (inc. 27); aliaque plura, quae singillatim recensere nihil opus est. Horum pauca licuit ad suos versus alibi servatos referre, et ad annales pertinent tantum non omnia; pleraque vero non poterant nisi in incertis collocari.

Tantum de annalibus. Scenica non multa esse dixi quae Servius tradiderit. Eorum nonnulla ad suas tragoedias sive testimoniis sive certis rationibus revocari possunt: Iphigeniam, quam Servius ipse appellat Aen. I 52 (p. 34, 14) *vasto pro desolato veteres ponebant. Ennius Iphigenia* [X] '*quae nunc abs te viduae et vastae virgines sunt.*' Erechtheum II 62 *occumbere morti novae locutionis figura et penitus remota: Ennius* '*ut nos nostri liberi defendant, pro nostra vita morti occumbant obviam*' [I]. Hectoris lytra III 241 *foedare cruentare. Ennius* '*ferro foedati iacent*' [VI]. Atque haec tria ad unum Servium auctorem et supplementa quidem Danielina redeunt. Hecubam VII 320 *Cisseis: regina Hecuba filia secundum Euripidem Cissei, quem Ennius et Pacuvius et Vergilius sequuntur* [I]. Andromacham I 224 *velivolum duas res significat, et quod velis volatur ut hoc loco, et quod velis volat ut Ennius* '*naves velivolas*' *qui et proprie dixit.* Videtur enim Servius versum quem Macrobius plenum ex Andromacha [I] attulit *rapit ex alto naves velivolas* dicere eamque ob causam *naves velivolas* accusativo casu posuisse: nam ann. 388 *navibus velivolis* legitur. Ex eadem tragoedia (95) sumpta sunt quae in supplementis Danielinis I 726 (p. 203, 1 Thil.) ad *laquearibus* adduntur: *legitur et* '*lacuaribus*'. *Cicero Tusculanarum* '*tectis caelatis lacuatis*', quemadmodum Nonium quoque vidimus nonnumquam quae Ennii sunt Ciceronis nomine illa afferentis citare. Incerta scenica, quae et ipsa ad unum Servium testem redeunt, sunt haec: I 4 *saevam dicebant veteres magnam: sic Ennius* '*induta fuit saeva stola*' [XXVI]; IX 253 '*integer aevi*' *integri aevi figurate: id est adulescens cui aetas integra superest; unde Ennius* '*deos aevi integros*' *dicit, quibus multum aevi superest* [XXIX]; puto autem

hoc quoque loco Servium, ut supra I 224 in Andromachae versu, accusativum *deos aevi integros* ex Ennii versu retinuisse. Cf. inc. 6. Porro IX 399 *Ennius 'festivum festinant diem'* [XL] et VI 686 *Ennius de dormiente 'inprimitque genae genam'* [XLI]; postremo X 10 *Ennius 'quis te persuasit'* [inc. 4], quem utrum scenici versus an hexametri partem dicas incertum est.

Commentarius ad bucolica duo frustula Enniana sustulit, 9, 23 *inter agendum . . . Ennius 'inter ponendum'* [inc. 2] et 10, 10 *Ennius ait 'indignas turres' id est magnas* [inc. 6], poteratque quod 3, 69 interpretatur *congessere nidificavere* exemplo Enniano de saturis 23 confirmare. Quod vero 8, 12 narrat (Lemov.) *hedera ideo coronantur poetae, quoniam poetas saepe vino plurimo manifestum est uti, sicut et de Ennio ait Horatius* (ep. I 19, 7) *et lyrici omnes in suis carminibus loquuntur* Horatium propius quam Ennium attingit.

Longe uberior est commentarius in georgica qui et affert Enniana non pauca et affert ratione a commentario Aeneidos haud leviter diversa. Etenim ex annalibus petita, quorum est pars minima, quamquam nonnulla solo Ennii nomine afferuntur, pleraque librorum numeros additos habent. Quae breviter hoc ordine recenseo. IV 59 (Vat.) *nare pro volare apud Ennium in primo* [XVI] *'transnavit cita per teneras caliginis auras.'* Qui versus hoc tantum loco legitur: de usu verbi *tranare* Servius in Aen. IV 245 loquitur hoc versu georgicorum ascito, de Ennio nihil. II 449 (Vat.) *buxum lignum, non arborem dicit, quamvis Ennii exemplo et arborem potuerit dicere neutro genere: ille enim sic in septimo* [XXIV] *'longique cupressi stant sectis foliis et amore corpore buxum.'* De *buxi* genere Servius etiam alibi (Aen. IX 616), Ennii versus non memoratur nisi hoc loco. III 116 (Vat.) *hic equitem sine dubio equum dicit, maxime cum inferat 'insultare solo'. Ennius annalium septimo* [XIII] *'denique vi magna quadrupes eques'* eqs, quem versum cum Gellio Macrobius affert. IV 188 (Vat.) *'mussant' murmurant. Ennius in X* [X] *sic ait 'aspectabat virtutem legionis sive spectans si mussaret dubitaretque'* eqs. Quos versus quamvis ex parte depravatos nemo nisi Servius hoc loco servavit. IV 230 (Vat.) *'ore fave' cum religione ac silentio accede: in XVI* [XXV] *Ennius 'hic insidiantes vigilant . . . sub scutis ore faventes.'* Uno hoc loco hi duo versus traditi, nisi quod *Ennius 'ore faventes'* apud eundem legitur georg. I 18. IV 230 (Vat.) *ore fave . . . ponitur eadem vox et pro velle; apud eundem Ennium in XVI* [IX] *'matronae moeros complent spectare faventes' id est volentes.* Eundem versum quem nemo praeter Servium exhibuit idem georg. I 18 sed mero Ennii nomine laudavit. IV 188 (Vat.) *'mussant' hic murmurant, quae vox ponitur et in tacendi significatione, ut apud Ennium in XVII* [VI] *'non possunt mussare boni qui factam labore enixi militiam peperere.'* Hoc totum non legitur nisi hoc loco, partem versus solo Ennii nomine Paulus Festi attulit; *mussandi* significationes sed sine Ennio Servius in Aen. XI 345 recenset;

Aen. XII 657 tantum *Ennius mussare pro tacere posuit* nullo versu adscripto. Et haec suis libris reddita fragmenta: praeterea solo Ennii nomine addito citantur II 424 '*gravidas cum vomere fruges': 'cum' abundat... Ennius 'effudit voces proprio cum pectore sancto' id est proprio pectore* [ann. 540]. Qui versus est una Servii fide traditus. III 35 (Vat.) *per Assaracum Troianos dicit, nam Assaracus avus Anchisae. Ennius 'Assaraco natus Capys optimus isque pium ex se Anchisen generat'* [ann. 30 sq.]. Genealogia ista saepe a Servio (etiam a Probo ad eundem versum georgicorum) memoratur, versus Ennii nusquam nisi hoc loco afferuntur. III 76 '*mollia crura reponit': Ennius de gruibus 'perque fabam repunt et mollia crura reponunt'* [ann. 556]. Versum solus Servius exhibuit, scholia Bernensia non afferunt nisi *mollia flexibilia, et Ennius de gruibus dicit.* His subiicio I 12 (Lemov.) '*frementem fudit aquam' legunt, quod veteres murmura aquae fremitum dicebant. Ennius* [scen. 384] '*ager oppletus imbrium fremitu', et denuo* [ann. 497] '*ratibusque fremebat imber Neptuni.*' Scenicus versus nisi illo loco non memoratur, hexametrum habet Servius (Daniel.) etiam in Aen. XI 299. Et huic scenico alter tantummodo addendus est vel pars alterius IV 170 (Vat.) '*fulmina properant' vetuste ait, ut Plautus .. et Ennius 'festinant diem'* [scen. 426]. Quem versum plenius cum eodem Plautino Servius in Aen. IX 399 (Dan.) apposuit. Postremo I 75 (Lem.) '*tristisque lupini': amari*: truncatus versus affertur quem integrum ex saturarum quarto Macrobius perscripsit.

His expositis apertum est quam bene interpres georgicorum de Ennii reliquiis meritus sit: verum tamen ne in hoc quidem commentario desunt, quae cum possint nullam Ennii notitiam habent, velut I 11 *Fauni*, I 94 *hos rastros*, I 207 *haec ostrea*, I 322 *agmen aquarum*. II 42 '*non ego cuncta meis': Lucretii versus, sed ille 'aerea vox' ait, non 'ferrea'*: ad quem versum vel proximum cum schol. Bern. tum plenius schol. Paris. similem Ennii versum (ann. 561 sq.) perhibuerunt; aliaque plura afferri possunt quibus Ennius cum memorari potuerit non memoratur.

Cum Servio oportet connectamus scholia in Vergilium quae exstant cum Bernensia tum Veronensia, quamquam illa tempore inferiora sunt non solum Servio sed etiam Macrobio, horum aetas quod sciam certius definiri non potest. Sed de Ennio utrumque corpusculum habet quod eorum proprium sit et conservandis Ennii reliquiis profuerit. Id quid sit quam brevissime potero significabo. Ac Bernensia quidem ab H. Hageno diligenter edita iam supra ad Servium in georg. II 43 et III 76 memoranda fuerunt. Sed iis solis primum testimonia duo accepta referuntur, alterum (ann. I fr. LI) de Romulo in honorem Iovis Feretrii ludos instituente, alterum (ann. X fr. IV) de Gniphone annalium Ennianorum commentatore et de acantho sive arbore sive urbe ab eo explicata. Ex versibus autem, quorum notitia ad haec scholia sola redit, digni sunt qui afferantur, *tibia musarum pangit*

melos, quae verba ex octavo annalium (xxv) citata putabam ad Marcelli triumphum a. 543 referri posse, et ex ann. lib. inc. xxiii *cum a carcere fusi Currus cum sonitu magno permittere certant,* qui versus pulcher cum altero (xxiv) coniunctus cui usui apud Ennium inservierit collatis Vergilianis in adn. declarare studui. Quibus accedunt eadem fide tradita verba Ennii (ann. lib. inc. cxxxv) *ab laeva rite probatum.*

Veronensia scholia dolendum est quod ne Herrmanni quidem diligentia contigit ut hic illic plenius aut certius legi potuerint: nunc nimis saepe sublesta fide nitimur. Sed videamus singula, quae multa non sunt. Unum in bucolicis 5, 88 *pedum autem est baculum recurvum quo pastores utuntur — — aut adminiculum pedum sit, ut ait Ennius in Ifigenia* [i] '*gradum proferre pedum, nitere, cessas o fide*' — — *pastores pedes ovium retrahere soleant.* Apparet hunc interpretem versum Ennii tam prave interpretari quam Verrium Flaccum, cuius errorem Festus castigavit. In adnotationibus ad georgica nihil est quod ad Ennium pertineat. Reliqua habet commentarius Aeneidos, omnia ex annalibus petita. Ex quibus quod ii 173 de *salso sudore* disseritur, etsi nomen Ennii abest, non praetereundum est propter eas rationes quas huic scholio intercedere voluerunt cum Servii adnotatione ad eundem versum adscripta: de qua re vide ad ann. lib. inc. cxxix a me exposita. Aen. ii 687 *peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse — — ssunt Naeu(ius) — / qui ita de eo ait* '*doctus Anchisa Venus quem pulcherrima diu fata docet divinum ut pectus haberet*' (i fr. xiv), quae cum eisdem versibus a Probo traditis ita discrepant, ut difficile internoscatur in utra parte verum sit. Aen. v 241 *Ennius* '*atque manu magna Romanos inpulit amnis*' (ann. 569), quem versum, ex quo Vergilii versus *et pater ipse manu magna Portunus euntem impulit* expressus est, alium auctorem quam hunc interpretem non habet. Eiusdem interpretis beneficio eique soli debentur quae ad Aen. v 473 adscripta sunt valde lacera et incerta, ex quibus haec forma versus *Ennii in vi* [xv] '*aut animos superant atque asp — rima . . . era belli spernunt*' emergit, cuius sententiam, quae vix est obscura, explicare studui, orationis formam certius restituere non licuit. Ad Aen. x 1 *panditur interea domus omnipotentis Olympi* haec quaestio adscribitur, *utrum sic domum dicit aperiri quomodo et Homerus* χαλκοβατὲς δῶ (Il. i 426 al.) . . . *et Ennius non tantum domum sed etiam* '*cenaculum caeli.*' Quem Tertulliano teste scimus *caenacula maxima caeli* (ann. 60) dixisse primum, et de *domo caeli* quod dixerit cogitantur qualia sunt ann. 575. 576. Denique ad Aen. x 8 quae ex editorum fide adscripta sunt *(abnueram: E) nnius anna(lium) — — haec abnu* ad annales Ennii quod referatur indicant, sed utrum is versus fuerit, quem Diomedus tradidit (279), an alius licet addubitare.

Tertio loco, ne quid commentariorum Vergilianorum desideretur, paucis perstringam, qui M. Valerii Probi nomine in bucolica et ge-

orgica traditus est commentarius. Qui sive a Berytio sive a nescio quo alio Probo scriptus est, quam quaestionem nunc non attingo, certum consilium a principio ad finem exsequitur; non enim singulos versus perpetua enarratione comitatur, sed res fabulosas historicas geographicas astronomicas, cuiuscumque generis res suis locis exponit, plerumque breviter, sed ut hic illic occasione arrepta ampliore disputatione vagetur, velut ad buc. 6, 31 p. 10—21 Keilii de quattuor elementis vel ad georg. I 233 p. 38—43 K. de quinque zonis. In illa igitur disputatione, quae est pererudita, cum alios testes Latinos Graecos adhibuerit tum nonnulla etiam Enniana aut solus aut cum paucis ascivit: p. 11, 10 *et Ennius 'aspice hoc sublime candens quem vocant omnes Iovem'*, quem versum Festo teste ex Thyeste Enniano (V) sumptum esse constat quemque Cicero de natura deorum semel et iterum citavit, sed Probum, qui eo libro Tulliano saepius usus est, inde versum istum mutuatum esse, credibile non est propterea quod quae cum eo connexuit illinc mutuari non potuit. In eodem excursu p. 14 *cur ibi Anchisen* (Aen. VI 724 sqq.) *facit disputantem quod hic* (ecl. 6) *Silenum deum? Nisi quod poeta Ennius Anchisen augurii ac per hoc divini quiddam habuisse praesumit sic: 'doctusque Anchisesque Venus quem pulchra dearum Fari donavit, divinum pectus habere'. Naevius belli Punici libro tertio sic: 'postquam avem aspexit in templo Anchisa'* eqs. Versus etiam scholia Veronensia (ad Aen. II 687) habere dixi ea forma quae ab illa non leviter discedit, ut difficile sit diiudicare utra a primitiva propius absit, sed certe neutrum eorum interpretem ab altero pendere apertum est. Porro p. 16, 2 *similiter et Ennius in Medea exule* [XVI] *in his versibus* (scil. quattuor elementorum mentionem fecit)

Iuppiter tuque adeo summe Sol qui res omnis spicis
Quique tuo cum lumine mare terram caelum contines,
Inspice hoc facinus, priusquam fiat prohibessis scelus.

Quorum versuum nullus praeter Probum testis exstat. Et p. 18, 13 *hoc illud et Ennius appellavit in annalibus* [521 sq.]

Corpore tartareo prognata Paluda virago,
Cui par imber et ignis, spiritus et gravis terra.

Primum horum versum etiam Varro citavit, ambos unus Probus, qui iis ut ceteris ad stabiliendam suam de quattuor elementis sententiam utitur. Non secus p. 19, 10 *ad quod argumentum* (scil. pro aere ventos accipi) *collegimus Ennii exemplum de annalium tertio* [II] *'et densis aquila pennis obnixa volabat Vento quem perhibent Graium genus aera lingua:* et hos quidem duos rursus qui attulerit nemo inventus est nisi Probus. Denique p. 20, 20 quod scribit *trinam esse mundi originem et Lucretius confitetur dicens* (V 92) *'principio maria ac terras'* eqs *et alio loco 'omnia per sonitus arcet terram mare caelum'*, dubium non est, quin eundem versum dicat cuius partem Servius citavit qui Ennii esse testatur *'qui fulmine claro omnia per sonitus*

arcet' (ann. 542 sq.). Unde Ennio certe haec reddenda erant *qui fulmine claro omnia per sonitus arcet terram mare caelum.* Utrum autem Lucretio eadem adscribenda sint cum Lachmanno an versus tantum relinquendus quem ei Probus aperte tribuit, qui multa Lucretiana habet, ambigere licet. Atque haec omnia in una illa adnotatione ad buc. 6, 31 habentur. Ex adnotationibus in georgica unum est Ennianum quod Probo debetur, qui ad II 506 p. 53, 21 K. *Sarrano dormiat ostro* adnotat *Tyriam purpuram vult intellegi Sarranum ostrum. Tyron enim Sarram appellatam Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur auctorem cum dicit Poenos Sarra oriundos* (ann. 220). Et de Sarra quidem nomine Tyri Servius quoque ad eundem versum admonuit Enniani versus non memor.

Propero ad Macrobium, quem temporum ratione non proximum a Servio tamen ab eo segregare nolui propter eam quae est inter eos de Vergilio necessitudo. Cuius copiae Ennianae longe istis interpretibus Vergilianis superiores non indignae sunt quae diligentius exponantur. Initium autem facio a testimoniis quibusdam quibus indicatur Enniana iam videri duriora quam quae illi saeculo placere possint. Itaque (Sat. I 4, 17) Servius, qui suas quasdam in eo colloquio partes habet, cum Ennium citaturus est, praemittit haec *Ennius, nisi cui videtur inter nostrae aetatis politiores munditias respuendus,* et rursus VI 3, 9 ubi Enniana cum Vergilianis composuit *nemo ex hoc viles putet veteres poetas, quod versus eorum scabri nobis videntur: ille enim stilus Enniani saeculi auribus solus placebat et diu laboravit aetas secuta ut magis huic molliori filo adquiesceretur*; denique Servius qui quaerenti Avieno (VI 7 in.) responsurus est VI 9, 9 *de incuria veteris lectionis* conqueritur: *nam quia saeculum nostrum ab Ennio et omni bibliotheca vetere descivit, multa ignoramus quae non laterent si veterum lectio nobis esset familiaris.*

Enniana autem apud Macrobium ita distributa sunt, ut in prioribus Saturnalium libris pauca sparsim proponantur, velut I 4, 17 duos versus Ennii de forma *noctu* exhibet solus (nam Osbernus sua ex Macrobio excerpsit), cum ita scribit *Ennius 'noctu concubia' dixit his versibus 'qua Galli furtim'* eqs; *quo in loco* ait *animadvertendum est non solum quod 'noctu concubia' sed quod etiam 'qua noctu' dixerit* (quod verum non esse ad versus ipsos adnotavi), *et hoc posuit in annalium septimo* (*quarto* [v] ut mihi visum est), *in quorum tertio* [VI] *clarius idem dixit 'hac noctu filo'* eqs. Et III 12, 8 cum de *festra* voce a Gniphone explicata dicit hoc addit *eo verbo etiam Ennius usus est* (inc. 29); denique eodem libro 13, 13 cum inter edulia *porcum Troianum* recenset, quem quo nominis ratio constet ita describit *aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Troianus equus 'gravidus armatis' fuit,* sciens ad eum versum Alexandri [x] Ennianae adludit, quem ipse alibi (VI 2, 25) plenum perscripsit '*nam maximo saltu superabit gravidus armatis equus*' eqs. Quae vero V 17, 5 scribit *ita pro vero per*

ora omnium volitet Enniani epigrammatis memor scribit, cum is [II] de se dicat *volito vivos per ora virum.* Haec igitur sparsim ut dixi: a sexto autem Saturnalium libro totum *θύλακον* versuum Ennianorum excutere coepit. Quemadmodum enim in quinto ex Homeri carminibus quid quantumque Vergilius suum fecerit exemplis propositis docet, ita in sexto quanta pars carminum Vergilii ad scriptores Romanos superioris aevi redeat explanare studet. Inter quos Ennius principem locum obtinet. In qua re ex eo proficiscitur (VI 1), ut Vergilii causam agat, quod in carminibus suis totiens alienis usus sit, id enim cum alios fecisse tum Afranium, qui id se fecisse fassus sit, Vergilium autem nonnulla in opus suum quod aeterno mansurum sit transferendo effecisse ne omnino memoria veterum deleretur, *quos non solum* inquit *neglectui verum etiam risui habere iam coepimus*: quae extrema maxime Ennium tangere videntur. Largam autem materiam ita distribuit, ut (VI 1, 7) *dicat primum quos* (Vergilius) *ab aliis traxit vel ex dimidio sui versus vel paene solidos, post hoc locos integros cum parva quadam immutatione translatos sensusve ita transcriptos, ut unde essent eluceret, immutatos alios, ut tamen origo eorum non ignoraretur, post haec quaedam de his, quae ab Homero sumpta sunt, ostendat non ipsum ab Homero tulisse sed prius alios inde sumpsisse, et hunc ab illis, quos sine dubio legerat, transtulisse.* His praemissis initium facit ab Ennii versibus, quorum cuique nulla disputatione adiecta suum praemittit exemplum Vergilianum; et in hac prima parte (ab 8 ad 24) tantum annalium versus cum Vergilianis componit, integros semper aut unum aut duos etiam ut sententia appareret, nec umquam nisi adscripto annalium libro velut 8 *vertitur interea caelum et ruit oceano nox* (Aen. II 250). *Ennius in libro sexto* [XVIII] '*vertitur interea caelum cum ingentibus signis.*' Certus ordo librorum Ennianorum non agnoscitur, quamquam ubi uni versui Vergilii plures Enniani subiiciuntur, hi sua serie se excipiunt, velut 9 *axem humero torquet stellis ardentibus aptum* (Aen. IV 482). *Ennius in primo . . . et in tertio . . . in decimo,* aut ex eodem annalium libro deinceps plures versus ponuntur, ut *Ennius in primo* quinquies (11. 12. 13. 14. 15) repetitur, vel se libri suo ordine excipiunt, ut 16 *Ennius in tertio* . . 17 *E. in quarto* . . (cui adhaeret *et in sexto decimo* . .). 18 *E. in sexto* . . 19 *E. in septimo* . . 20 *E. in octavo* . . 21 *E. in septimo decimo* . . . Sed alia refragantur nec possunt omnia ad unum ordinem revocari. Sumpta autem sunt haec exempla ex his annalium libris, primo sex, tertio duo, quarto unum, sexto quattuor, septimo unum, octavo duo, decimo et duodecimo singula, decimo sexto et septimo bina. Atque horum versuum longe maximam partem uni Macrobio acceptam ferimus, cum Servius vel in apertissima similitudine Ennianorum exemplorum immemor fuerit. Velut ad Aen. III 587 *et lunam in nimbo nox intempesta tenebat* Ennii versum ex primo [LIII] *cum superum lumen nox intempesta teneret* solus Macrobius (14) adscripsit,

licet *nox intempesta* saepe apud Servium memoretur. Unus Macrobius (15) duo versus citavit ex primo [L] *non pol homo quisquam faciet impune animatus hoc nisi tu, nam mi calido das sanguine poenas.* Servius ad eundem Vergilii locum (IX 420) partem tantum alterius *nam mi calido* eqs attulit. Ad Vergilii XII 552 *summa nituntur opum vi* Macrobius (17) integrum versum Ennii ex quarto [II] *Romani scalis: summa nituntur opum vi,* Servius ad eadem Vergilii hoc tantum *hemistichium Ennianum* adnotavit. Alibi in versibus qui a pluribus citantur Macrobius unus annalium librum addidit, velut quem ille e sexto [I] attulit (18) *quis potis ingentis* eqs, in eo Quintilianus quidem indicium libri fecit, sed eum nec Servius nec Diomedes memorarunt. Et ad versum certatim a multis citatum *unus homo nobis* eqs unus Macrobius hoc amplius addidit (23) ut e duodecimo esse [II] testaretur. Post Ennium eodem capite primo libri VI a 25 ad 49 varii poetae, Lucretius in primis, Furius, Varius, Catullus, alii eundem in modum excerpuntur: a 50 redit Ennius, et 50. 51. 52. 53. 54 *Ennius in sexto decimo* . . *E. in quarto decimo* . . *E. in octavo* . . *E. in sexto decimo* . . *E. in sexto* . . hoc ordine citatur et cum Vergilii versibus componitur. Quorum memoriam non modo non Servius sed nemo praeter Macrobium servavit. A 55 ad 59 Accii versus semper adiectis tragoediarum titulis ad similes Vergilianos adscripti leguntur. Postremo a 60 tertio ad Ennium rediens Macrobius haec affert *Ennius in undecimo* [III] *cum de Pergamis loqueretur* '*quae neque Dardaniis* . . *Nec cum capta capi*' eqs, ubi quae addidit *cum de Pergamis loqueretur* sententiae aperiendae causa addidit, quia hoc e versibus citatis cognosci non potuit. 62 *Ennius in septimo* [XIX]; et medium inter duo (61) *Ennius in Alexandro* [III] hoc unum inter tot annalium versus tragoediae exemplum, sed ut haec quoque tria, ut cetera pleraque omnia, unus perhibuerit Macrobius.

Tantum de primo genere comparationum quod se velle instituere Macrobius indicaverat; in capite altero eiusdem libri ad genus alterum accedit his praemissis: *post versus ab aliis vel ex integro vel ex parte translatos vel quaedam immutando verba tamquam fuco alio tinctos, nunc locos locis componere sedet animo, ut unde formati sint quasi de speculo cognoscas.* In qua parte post multa Lucretiana tractata quaedam Ennii afferuntur, partim deinceps partim aliis mixta, et ex annalibus nonnulla, alia ex tragoediis et ex Scipione. Itaque haec leguntur 16 *Ennius in octavo* [XVI] '*multa dies in bello*' eqs (287. 288. 289); 18 *E. in Alexandro* [IX] '*o lux Troiae*' eqs quattuor versus eo modo dispositi quem verum habui; 21 *E. in Cresphonte* [IV] '*neque terram iniicere*' eqs; 25 *E. in Alexandro* [X] '*nam maximo saltu*' eqs; 26 *E. in Scipione* [VI] '*mundus caeli vastus*' eqs quattuor quadrati perpulchri; 27 *E. in sexto* [X] '*incedunt arbusta per alta*' eqs quinque versus; 28 *E. in septimo decimo* [V] '*concurrunt veluti venti*' eqs tres versus. Quae periodi sunt, uti indicavi, duorum vel trium

vel quattuor vel adeo quinque versuum, ut locos componere cum locis instituit, et quae hoc consilio attulit, ea quoque omnia nemo grammaticorum nisi Macrobius ad nostram memoriam propagavit. Denique quod ad eandem partem pertinet, in extremo capite (a 30) omissis versibus, quos ut nimis multos afferre longum esset, argumenta quaedam carminis breviter significavit, quae Vergilio cum aliis poetis communia essent. Ex quibus Ennii sunt haec quae scribit 32: *item de Pandaro et Bitia aperientibus portas* (Aen. IX 669 sqq.) *locus acceptus est ex libro quinto decimo* [IV] *Ennii, qui induxit Histros duos in obsidione erupisse porta et stragem de obsidente hoste fecisse.* Haec quoque unius Macrobii fide nituntur, qui quosdam versus Ennianos ex hac parte annalium promptos paulo post alia de causa perscripsit. Etenim ex ea partitione rerum quam iniit capite tertio versus disceptat quos Vergilius videri poterat ex Homeri carminibus expressisse, sed quos ante eum superiores poetae Romani transtulerint ex Graeco. Quorum Ennius est; de quo haec habet Macrobius (2 sqq.) *Homerus de Aiacis forti pugna ait* (Il. XVI 102 sqq.) *Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμιμνε* eqs. *hunc locum Ennius in quinto decimo* [VI] *ad pugnam Caelii tribuni his versibus transfert* '*undique conveniunt*' eqs. *hinc Vergilius eundem locum de incluso Turno gratia elegantiore composuit* (Aen. IX 803 sqq). Haec enim quae nunc *de incluso Turno* dicit non diversa aut disiuncta sunt ab iis quae supra *de Pandaro et Bitia aperientibus portas* (Aen. IX 669 sqq.) significarat, et ut haec ita versus Ennii ipsos nisi Macrobius nemo memoriae prodidit. Alterum eiusdem generis exemplum additur 7 sq. *Homerica descriptio est equi fugientis in haec verba* (Il. VI 506) *ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος* eqs. *Ennius hinc traxit* '*et tum sicut equus*' eqs. *Vergilius* (Aen. XI 492) '*qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis*' *et cetera.* Haec quoque testem non habent nisi unum Macrobium, qui semel praeter consuetudinem annalium librum non addidit; quare hi versus ferri non possunt nisi in annalium libris incertis [L].

Non relinquam hoc caput tertium, quin verbo dicam, ne Macrobium quidem, quamquam apertum est quanta et quam pretiosa pars reliquiarum Ennianarum per unius industriam superstes sit, Enniana omnia quae poterat expiscatum esse. Etenim (5) quae affert Homerica *ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε* eqs (Il. XIII 131), iis Furii versum de quarto annali '*pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir*' et Vergilii (Aen. x 360) '*haeret pede pes densusque viro vir*' subscripsit, similis Enniani non meminit (ann. 572) '*pes premitur pede et armis arma teruntur*', non magis hercle quam (6) cum Homeri versui (Il. II 489) *οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι* eqs Hostium poetam *in libro secundo belli Histrici* similiter dicentem '*non si mihi linguae centum*' eqs et Vergilium (VI 625) contulit '*non mihi si linguae centum*' eqs, Ennii versum (ann. 561) '*non si lingua loqui saperet*' eqs memor sustulit.

Aliud genus est eorum quae cap. 4 tractantur: agitur enim de

quorundam verborum elegantia non a Vergilio inventa sed ad priorum poetarum exemplum conformata. Itaque Ennius praeivit Vergilio quod scribit (3) *vomit undam* in versu (georg. II 462) '*mane salutantum totis vomit aedibus undam*', *nam Ennius ait* '*et Tiberis flumen vomit in mare salsum*'. Versui Ennii, quem in secundo [XX] posui, Macrobius, qui solus affert, raro exemplo numerum libri non adiecit, quem tamen nunc non difficile erat agnoscere. (4) *agmen pro actu et ductu* quod habet Vergilius in versu (Aen. II 782) *leni fluit agmine Thybris* prius Ennius in quinto [VIII] dixit *quod per amoenam urbem* eqs. (6) *hastis horret ager* (Aen. XI 601), cuius usus Macrobius tria Ennii affert exempla et ea quidem, ut assolet, solus: *in quarto decimo* [VII] '*horrescit telis exercitus*' eqs *et in Erechtheo* [IV] '*arma arrigunt, horrescunt tela*' *et in Scipione* [VIII] '*sparsis hastis longis campus splendet et horret:*' nam huius quoque versus auctor est unus Macrobius, Servius enim ad l. c. licet eundem dicat verba non citavit. (7) '*tremulum lumen*' (Aen. VII 9) *de imagine rei ipsius expressum est,* ut ait Macrobius, *sed prior Ennius in Melanippe* [III] '*lumine sic tremulo*' eqs. Porro (17) Vergilius et Graeca verba operi suo inseruit, *sed non primus hoc ausus,* verum *auctorum veterum audaciam secutus*: (18) *lychni* (Aen. I 726), *sicut Ennius in nono* [XV] '*lychnorum lumina bis sex*'; (19) *aethra* (Aen. III 585): *Ennius in sexto decimo* [XXIV] '*interea fax occidit*' eqs. Quae ut Macrobius testatur, nemo praeterea, ita idem (20) cum *daedalam Circen* (Aen. VII 282) et *daedalam tellurem* Lucretii (I 7. 228) memorasset, Ennium neglexit quem *daedalam Minervam* dixisse testimonio constat (inc. 46). Quod autem (22) universe veteres hac licentia largius usos et *pausam* et *machaeram* et *asotiam* et *malacen* dixisse affirmat, *pausam* (ann. 586 var. 10) et *machaeram* (scen. 178 ann. 400 et 597) saepius Ennius, et si *malacen* hodie non legitur, certe *malaci* non dubitavit ponere in versu (var. 25). In capite 5 Macrobius epitheta multa esse apud Vergilium non ab ipso ficta sed tracta a veteribus probat. Quod genus (5) *tristis* pro amaro, quod est apud Vergilium (georg. I 75), Ennius *in libro satirarum quarto* posuit '*neque triste quaeritat*' eqs, quem versum ad eundem locum Servius quoque sed dimidiatum et sine libri nota adscripsit; (10) *velivolum* a Vergilio (Aen. I 224) positum bis Ennius adhibuit: *in quarto decimo* [III] '*cum procul aspiciunt... navibus velivolis*'; *idem in Andromache* [I] '*rapit ex alto naves velivolas*', et hoc alterum exemplum sed sine titulo Servius ad Vergilii versum adnotavit. Capite 6 Servius Macrobianus figuras persequitur quas Vergilius a veteribus acceperit: in quibus etsi sunt quae referre ad Ennium licebat, velut quod (7) *ferreus imber* inter alia a poeta pulchre inventa ponitur, quod idem VI 1, 52 ab Ennio translatum dicitur, aut quae (11) de orationis forma *Iuturnam misero succurrere fratri suasi* pro *Iuturnae suasi,* aut (16) de poetica indignatione *pro Iuppiter* afferuntur, tamen nihil est in hoc capite quod Ennianis ver-

sibus declaretur. Non secus capite 9, cum idem Servius controversias quasdam singulares de elocutione Vergiliana disceptat, de Ennio nihil affertur praeter unum (8 sqq.), idque a multis ante, Gellio, Nonio, Servio tractatum, *equitem*ne pro *equo* tam Vergilius (georg. III 116) quam Ennius posuerit, cuius hic quoque ex *libro annalium septimo* [XIII] citantur verba saepe laudata '*denique vi magna quadrupes eques*' eqs.

Haec ex Saturnalibus Macrobii, satis multa, opinor, ut Macrobium inter meritissimos de Ennii memoria grammaticos referri par sit. Excerpta quaedam grammatica Macrobii (nam commentarius eius in Ciceronis somnium Scipionis nihil habet Enniani) perpauca afferunt de Ennio sed ea non indigna quae memorentur: ann. 379 *contempsit fontes quibus exerugit aquae vis,* in utroque excerpto et Bobiensi et Parisino sed his solis servatus. Item ann. 137 *tractatus per aequora campi* non exstat nisi in excerpto Bobiensi. Quod Ennii ex X annalium [XVII] excerpta Bobiensia testantur *fiere* formam, hoc exemplum huius formae non alio testimonio constat, alterum eiusdem formae (ann. 15), neque enim dubitari potest, negligitur.

Ennii nomen legitur etiam apud Claudium Claudianum poetam Arcadii et Honorii imperatorum (a. 395—408) aequalem, ut ne tum quidem plane oblivione obrutum fuisse intelligatur. Qui tamen habeatne revera in carminibus suis quod ad Ennii poesim redire dicas difficile diiudicatur. Certa quidem imitationis Ennianae indicia Th. Birtus sibi visus est detexisse, quae is in libello exposuit quem de saturis duabus politicis (Marpurgi a. 1888) edidit. Ad cuius mentem postea discipulus Birti Ernestus Stoeckerus, cum 'de Claudiani poetae veterum rerum Romanarum scientia' (Marpurgi a. 1889) ageret, bonam partem earum rerum Claudianum ex Ennii annalibus potissimum repetiisse docere studuit. Denique Birtus ipse a. 1892 Claudiano in monumentis Germaniae historicis edito cum in praefatione (p. CCI) summatim exempla, quibus Claudiano quae esset cum Ennio necessitudo patefieret, indicavit, tum passim in adnotatione ad versus ipsos quae crederet originem Ennianam prae se ferre significavit. Quibus locis vix dubitari potest quin quaecumque in oratione Claudiani vel tenue similitudinis Ennianae vestigium prodere videantur protracta et in sua luce posita sint. Sed ego me fateor a doctorum hominum sententia longius discedere, qui in Claudiani carminibus non offenderim quo reliquias Ennianas locupletari aut explanari posse existimarem, nisi quod ad ann. 559 *hos pestis necuit, pars occidit illa duellis* cum alia adnotarem ad rem pertinentia comparabilem esse scripsi etiam Claudiani orationem VIII 467 *metitur pellita iuventus: pars morbo, pars ense perit*, nam eiusdem gigantomach. (c. m. LIII) 113, quae scilicet Birtus cum Stoeckero contenderant, diversa esse. Quae vero Claudianus (XXIII praef. 11 sqq.) de Ennio poeta perpetuo Scipionis Africani maioris in proeliis et pugnis comite narraverit, ea mihi videri lusu poetico procreata p. XIII breviter dixi. In quo me sensu ac

iudicio alter nostrae aetatis editor Claudiani, Lud. Ieepius, non leviter confirmavit, qui quam alteri volumini Claudiani sui praemisit locupletissimam a se et Gramlewiczio compositam enumerationem eorum quae Claudianus ab aliis poetis, Vergilio, Horatio, Ovidio, Statio, tot aliis deprompserit (p. LXXVI—CXLV), in ea nusquam Ennio locum concessit. Qui ab eo conspectu profectus universe de hoc genere similitudinum inter poetas Romanos indagatarum ea exponit, quae non possum non valde probare, qui quod negat ex quavis similitudine dicendi, quae saepe necessariae sunt Latine loquenti et versus facienti, quicquam de exemplo et imitatione colligere licere, iure negare mihi videtur. Certe de origine ut iudicetur, sententiae quaedam cognatio necesse est accedat ad comparabilem orationis colorem, neque in mero tinnitu vocabulorum credas hoc constare, quod alter ab altero pendere existimetur. Sed in ea re miror et aegre fero, quod Birtum, meritissimum Claudiani editorem, approbante et adiuvante Stoeckero plane aliter sentire video, qui ut hoc utar quod Claudianus dicit r. P. I (XXXIII) 107 *tibi tanta creandi Copia,* his verbis versum Ennii (ann. 109) subscribit *(o Tite tute) Tati tibi tanta (tyranne tulisti),* vel quae sunt apud Claudianum c. m. XXVI 58 *nullo cum strepitu madidis infecta favillis Despumat niveum fistula cana salem,* iis conferenda ducit Enniana (ann. 385) *(caeruleum) spumat sale (conferta rate pulsum).* Quodsi haec probe statuuntur, quid vetat credere, quod Claudianus scribit XXIV 73 *validis fuso qui viribus hoste* et ibid. 80 *amissas vires et regna recepit,* aut quod XXVIII 254 versum orditur *Consequitur vanoque fremens clamore retentat,* haec eum Ennii memorem scripsisse, qui haec habet ann. 300 *validis cum viribus luctant,* 141 *isque dies post aut marcus quam regna recepit,* et 277 *Consequitur. summo sonitu quatit ungula terram.* Et possunt his similia alia multa promi. Non probabilius, opinor, Birtus Claudiani verba XXIV 174 *Hanc tu cum superis . . tueris* conferri cum Ennianis (ann. 201) *doque volentibus cum magnis dis* iussit. Sunt quaedam quae specie decipere possunt sed tamen propius temptata in vanum recidunt. Claudiani sententiae (XXVIII 248) *nulla est victoria maior quam quae confessos animo quoque subiugat hostes* non dissimilis est, quam Birtus comparandam duxit, Ennii oratio (ann. 493) *qui vincit non est victor, nisi victus fatetur.* Sed si quis contulerit quae ad eum versum ex Livio adnotavi, ex quibus hoc unum nunc affero *eius demum animum in perpetuum vinci cui confessio expressa sit se . . . iusto ac pio esse bello superatum,* fatebitur Claudiano, si tamen auctoris indigebat, ad Ennium certe non fuisse quod rediret. Alia quae Claudianum ex Ennio prompsisse voluerunt, habent auctorem quo neminem Claudianus frequentius expressit, Vergilium, velut XXI 257 ut advenientium multitudinem depingat cum ita dicit *stipantur Numidae campi, stant pulvere Syrtes Gaetulae, Poenus iaculis obtexitur aer,* cur Ennium potius, cuius haec tantum exstant (ann. 608) *stant pulvere campi,* quam

Vergilium sequi videatur qui Aen. XII 407 sqq. ita scribit (nam plenius afferenda sunt quo magis similitudo appareat) *iam pulvere caelum Stare vident, subeuntque equites et spicula castris densa cadunt mediis.* Cf. Ieepius l. c. p. CXIV. Ut omittam *rumore secundo* (Claudian. c. m. XXV 63), *fusum crebris hastilibus imbrem* (XXI 352), *'fors iuvat audentes' prisci sententia vatis* (c. m. XLI 9), *non, mihi centenis pateant si vocibus ora* (I 55), quae dubitari non debebat quin Vergiliana essent, non Enniana (nam Vergilius est priscus iste quem appellat vates), quae leguntur V 410 *hi vultus avidos et adhuc spirantia vellunt lumina, truncatos alii rapuere lacertos,* iis qui recte contulerit Ennii versus (ann. 472 sq.) et quos ibi adscripsi Vergilianos, intelliget quod illis proprii est alienum esse a Claudiano nec quod hic scripserit potuisse ab illis duci. Non magis comparatio constabit haec (XV 28) *si mea mansuris meruerunt moenia nasci, Iuppiter, auguriis, si stant immota Sibyllae carmina* conferenti cum Ennii versibus (ann. 501 sq.) *septingenti sunt . . anni, augusto augurio postquam inclita condita Roma est,* vel si mavis cum 96. An augurio conditam Romam esse, hoc quoque Claudianus ab Ennio discere debuit? Illa vero quae Claudianus (c. m. XXX) Alcestidis Graeca fabula indicata pergens scribit (15) *Hoc Grai memorant. Latiis movet ora Camenis praescia fatorum Tanaquil* qui comparabit cum Ennii versu (ann. 2) *Grai*] *Musas quas memorant, nosce nos esse Camenas* [*dicere* (sic enim versum scribendum duxi, Birtus sequitur eos qui in his nescio quid Naeviani augurantur), dabit similitudinis aliquid in verbis, nullam in sententia conspici, nedum ut ea quae Claudianus deinceps ex fabulis Romanis affert ab Ennio duci concedat. Sententiae cognationem nullam esse ne in his quidem apparet quae r. P. III (XXXVI) 37 Iuppiter a Natura incusatus dicit *parcumque Iovem se divite clamat, Qui campos horrere situ dumisque repleri Rura velim* cum Ennii versu quem adscribunt. Qui in Scipione (VIII) cum scribit *sparsis hastis longis campus splendet et horret,* quis non videt, hanc plane diversam esse *horrendi* significationem et usum. Denique Claudianum cum (XXII 163 sqq.) Stilichonis sui mores ita describit, ut pauca seligam, *non inter pocula sermo captatur, pura sed libertate loquendi Seria quisque iocis nulla formidine miscet . . . te doctus prisca loquentem, Te matura senex audit, te fortia miles Aspersis salibus, quibus haud Amphiona quisquam Praeferat,* eius picturae colores ex iis versibus duxisse quibus Ennius naturam et ingenium amici nescio cuius Gemini Servilii descripsit in annalium septimo (XIV) qui credimus cum si quid forte similis est sententiae (nam totus tenor et consilium descriptionis diversa sunt), in oratione nullam esse similitudinem intelligimus. Confer sis quae Cato Tullianus (4, 12) de Fabio Maximo dicit, ne talia nisi apud Ennium non exstare credas.

Tandem deventum est ad Claudiani versus, quorum causa haec omnis disputatio iam nimis prolixa instituta est, eos dico quibus Ennium cum Scipione familiariter vixisse vividioribus coloribus depin-

gitur; qui quoniam Ennii nomen habent, plane praeteriri non poterant. Sic igitur Claudianus (XXIII) cecinit ut illustre esset exemplum suae cum Stilichone familiaritatis coniunctae.

Maior Scipiades, Italis qui solus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non sine Pieriis exercuit artibus arma.
Semper erat vatum maxima cura duci.
Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas:
Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.
Ergo seu patriis primaevus manibus ultor
Subderet Hispanum legibus Oceanum,
Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires
Inferret Libyco signa tremenda mari:
Haerebat doctus lateri castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius *ire tubas.*
Illi post lituos pedites favere canenti
Laudavitque nova caede cruentus eques.
Cumque triumpharet gemina Carthagine victa
Hanc vindex patri vicerat, hanc patriae,
Cum longi Libyam tandem post funera belli
Ante suas maestam cogeret ire rotas,
Advexit reduces secum Victoria Musas
Et sertum vati Martia laurus erat.

Hos versus qui vel obiter consideraverit, admirabitur fortasse artem Claudiano non indignam, sed simul agnoscet verissimam libertatem fingendi, quae poetam decet, similem illi qua usum esse item in Ennio Silium Italicum (p. LXXVI) vidimus. Quod artificium inveniendi ut penitus perspiciatur ne est quidem quod eamus per singula, sed unde ansam petiverit si quaeritur respondebimus ex eo quod Cicero verbis expressit *carus fuit Africano superiori noster Ennius* (ann. XII fr. IV), vel si plus apposcet, ex iis quae Horatius cecinit IV 8 iis versibus qui supra p. XII sq. allati sunt. Itaque sic statuendum est, nomen Ennii poetae eiusque cum Africano maiore consuetudinem toties a scriptoribus posterioris aetatis memoratam ne Claudianum quidem praeteriisse; carmina eius volutasse et ex iis sumpsisse quibus in suis carminibus uteretur probari non posse. Nam quod Stoeckerus inprimis et cum eo consentiens Birtus existimant etiam res Romanas Claudianum ex Ennii annalibus petiisse et ad eorum conformationem se composuisse, tantum dico breviter, ne diutius morer in Claudiano, primum quas ab Ennio sumptas volunt res esse notissimas, quas nemo nesciebat et nimirum Ennius quoque in annalibus cecinerat, quamquam easdem nonnumquam apud Claudianum mirifice mixtas cum aliis ab Ennio alienissimis; qualia (XXVI 124—132, XXIV 30 sqq.) de Curio qui Pyrrhum pepulit, quem quod *Aeaciden . . Pyrrhum* (125) non posse nisi ex Ennii versu (ann. 275 *Aeacida Pyrrhus*) nominari

putant, Cicero (ad ann. 179) paene eodem versiculo et Pyrrhum et Aeacidam appellavit (cf. Serv. in Aen. VI 839), de Marcello qui Hannibalem vinci posse docuit, de Fabio qui a cunctando nomen invenit (XXVI 138—144); deinde doctos homines hic illic Claudiani verba cupidius quam cautius interpretari, velut *Unus* (XXVI 142 sq.) falso ad Ennium refertur; denique Claudianum ipsum subinde indicare quod genus fontium potissimum adierit, qui ita dicit XXIV 183 *si volvere priscos annales libeat, quotiens hic* (populus R.) *proelia sumpsit pro sociis*; XXVI 104 *quamquam, si veterum certamina rite recordor, tunc etiam, pulchra cum libertate vigerent* eqs; XXVI 506 *referunt si vera parentes* — 509 *iactata procul dicuntur in hostem fulmina* (non ab Ennio dicuntur sed a parentibus); XXVI 124 *sublimi certe Curium canit ore vetustas* (nam vetustas canit non ut Ennius poeta sed ut Fama canit).

Subsequi iubeo duo principes patrum ecclesiasticorum, Hieronymum et Augustinum, quos non magis a se seiungi volui quam a Servio Macrobium, nec tempora huic ordini officiunt. Illorum autem neuter non aliquid ad Ennium quod dignum esset memoria attulit. Ac Hieronymus quidem (a. 331—420) quae de Ennii vita tradidit (supra exposita p. VI) ex Suetonio sumpta esse nemo nescit. De Ennii carminibus quae affert, ea quae ad ann. I fr. XIX et ad Telam. II p. 178 adscripsi patefaciunt non ex Ennio, quem altero loco ne nominat quidem, sed ex Cicerone ibi simul citato deprompta esse. Idem cadit in Enniana duo sexcenties ab aliis laudata *utinam ne in nemore Pelio*, nobilissimum Medeae principium (scen. 246 p. 164), et *aio te Aeacida Romanos vincere posse* (ann. 179 p. 33), quorum Hieronymus neutrum videtur Ennio ipsi acceptum ferre sed illud fortasse ex Ciceronis Caeliana (8, 18) eadem verba, non plus, afferentis sumpsisse, alterum sine Ennii nomine ut saepe allatum, quoniam Croesi vaticinium cum Pyrrhi coniungit, a Cicerone de divin. (II 56, 116) petiisse qui item haec duo oracula connectit; nisi quod Hieronymus de Croeso non hexametrum Tullianum affert sed verba pedestria *Croesus transgressus Halym maxima regna perdet*, quae propius ad Ammiani Marcellini verba accedunt *post Halym flumen transmissum maximum regnum deiecturum*, qui et ipse haec duo oracula una memoravit. Sed hoc utut iudicatur, in his si nihil est quod ad Ennium ipsum redire affirmes, duo versus Ennii, quos laudat mero poetae nomine, *plebes in hoc regi antistat loco: licet lacrumare plebi, regi honeste non licet*, qui in Iphigenia (VII) collocandi erant utpote ex Euripidis Iphigenia Aulidensi translati, hodie nullum nisi Hieronymum auctorem habent, sed cf. adn.; idem (inc. 41) quod *simplices homines et cicures Ennianos* dicit, accipimus oblatum, quo maxime pertineant verba ignoramus.

Augustini (a. 354—430) beneficio, etsi non unius Augustini, quem acceptum legimus versum Ennii (ann. 500) *moribus antiquis res stat R. virisque,* eum ipse ait in Ciceronis de re publica quinto positum

fuisse. De *caelo* autem *palato* appellato (inc. 16) quae Varronem ut videtur secutus, non certo poeta laudato, exposuit, ea nos Cicerone teste ad Ennium pertinere scimus, qui *caeli palatum* dixerit. Ad alienos testes, non ad Ennium, referri credas tam quod Augustinus Pyrrhi vaticinium (ann. 179 p. 33), sed non Ennii versum, verum solutam metro sententiam, attulit, quam quod Ennium (inc. 50) sonum pedum *bombum pedum* appellavisse scribit, quamquam hoc quo auctore dicat incompertum. Qui vero uni Augustino acceptus fertur versus Ennii (ann. 560) *omnes mortales sese laudarier optant,* quem ille adeo bis laudavit, singularis est sententia nescio a quo primo ex Ennii carmine sublata, quae vel ei nota esse potuit qui Ennium non tetigerit. Ad Euhemerum Ennii quae pertinere putaverunt ex Augustini testimonio, ea cur ab Ennio aliena habeam alibi exposui: cf. p. 229.

Quo inferius in tempora descendimus, eo minus est de memoria Ennii referendum: quae tenuis est apud Martianum Capellam (a. 439), qui ab Apuleio relatum distichon Ennianum quod duodecim deorum nomina coartata continet (ann. 62 sq.) in sua fabula adhibuit et accedit testibus *o Tite tute Tati* (ann. 109) sed sine Ennii nomine testantibus, tenuis apud Orosium (a. 417), qui semel Medeae meminit *amore saevo sauciae* (scen. 254) et titulum a Pyrrho post pugnam Heracleensem in templo Iovis Tarentini adfixum (ann. 192 sq.) servavit, quem eundem historia miscella tenet; probabile enim est hos versus duos ex Ennii annalibus propagatos esse. Nec pluris faciendus nec tamen praetereundus est eiusdem saeculi Caelius Aurelianus medicus propter '*tragici poetae*' memoriam qui *sacram noctem i. e. magnam appellaverit* (adn. ad scen. 112 p. 136).

Hoc loco interpono Lutatium (Lactantium) Placidum Statii interpretem, quem cum Placido glossarum scriptore eundem esse putant. Sed de glossis, quod genus latius patet, infra agetur; quae vero commentarius Placidi habet, liceat, quamvis incerta opinione, hic inserere; habet autem non multa, reliqua cum aliis communia, solus duo quantivis pretii, unum versum (ann. 469) *cum sese exsiccat somno R. iuventus* et versus duos continuos (ann. 519 sq.) *cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit Et pereunte viro* eqs. Quibus addo item ex commentario Statiano unius Barthii fide servatum versiculum ann. 573.

Nec Consentium obliviscar, cuius ars de barbarismis et metaplasmis unum quidem versum Ennii (ann. 567) solus exhibuit sed eum graviter depravatum nec ulla probabili ratione ad integritatem revocatum.

Superest ut duo qui temporum ratione insequuntur verbo perstringam, Boethium (510) qui in commentario in Aristotelis περὶ ἑρμηνείας (ed. II p. 82, 14 Meiser.) *aio te Aeacida* eqs (ann. 179) toties memoratum memoravit, quod testimonium errore omissum ceteris addendum est, et Fulgentium (a. 496—523), cuius opuscula nunc R. Helmii mei beneficio sub eodem tegumento legi possunt, qui quod affert in ser-

monum antiquorum expositione 19 p. 117 H. *friguttire dicitur subtiliter adgarrire; unde et Plautus in Cassina ait . . . et Ennius in Telestide comedia sic ait 'haec anus admodum friguttit; nimirum sauciavit se flore Liberi'* in reliquiis Ennianis ponere nolui, sed hoc loco afferendum duxi ne plane desideraretur, si quidem quid in iis fictum, quantula pars vera sit, aegre poterit distingui.

Itaque veniamus ad Priscianum (a. 491—518), qui hac infima aetate de conservandis Ennii versibus cum meritissimis meritus est. Qui in libris institutionum grammaticarum duodeviginti exceptis II IV XI XIV XV XVI in reliquis et locupletius ceteris in V VI VII VIII VIIII X multa praeceptorum exempla ex Ennio sumpsit, longe plurima ex annalibus, nonnulla etiam ex tragoediis aliisque libris Ennianis. Atque ex annalibus allata aut ad annales referenda sunt haec, quae eo ordine recenseo non quo apud Priscianum leguntur sed quo a me edita sunt. *ut ait Ennius* (scen. 26)*; item in II annali* [I 112] *'o genitor o sanguen dis oriundum'*, quae a Cicerone peti poterant; *E. in II* [XI] *'ingens cura mis'* eqs; *E. in II* [XII] *'adnuit sese'* eqs; *E. in V annalium* [VI]; *E. in VII annalium* [VIII]; *E. in VIII annalium* [XIII]; *E. in VIII* [XVII] *'Poenos Didone oriundos'*; *E. in XVI annali* [XXI] . . *idem in VIIII* [IX]; *E. in VII annalium* [VIII] . . . *idem in VIIII* [XIV] *'Cyclopis venter velut olim turserat alte Carnibus humanis distentus*; *E. in X* [II] *'Leucatam campsant'*; *E. in X annalium* [VI] *'insignita fere tum milia militum octo Duxit delectos bellum tolerare potentes'*; *E. in XI annalium* [VI] bis sed a Prisciano solo affertur; *E. in annalium XI* [VII]; *E. in XVI* [XIV] . . . *idem in XII* [I] *'omnes mortales'* eqs, quos tres versus (367. 368. 369) item Priscianus bis sed solus citavit; *E. in XIIII annalium* [I 385] *'caeruleum spumat sale conferta rate pulsum'*, quae sumi poterant ex Gellio; *E. in XI annali* [VI] . . *idem in XIIII* [IV] *'litora lata sonunt'*; *E. in XIIII annalium* [VI] *'nunc est ille dies cum gloria maxima sese Nobis ostendat si vivimus sive morimur'*; *E. in XIIII* [VIII] *'infit o cives quae me fortuna ferocis Contudit indigno bello confecit acerbo'; idem in XVI* [V] . . . *idem in annalibus* [448 sq.]; *E. in XV* [III 398] *'occumbunt multi letum ferroque lapique'*; *E. in XV annali* [III] *'occumbunt . . lapique Aut intra muros aut extra praecipe casu*; *E. in XV annali* [VII]; *E. in XIIII* [VIII] . . . *idem in XVI* [V]; *E. in XVI* [XIV] . . *idem in XII* [I], quorum illud etiam Servius habet; *E. in XVI annali* [XXI] . . *idem in VIIII* [IX]; *E. in XVII annalium* [II] *'tum cava sub monte late specus intus patebat,'* quae a Nonio quoque afferuntur; *E. in XVII annali* [III] *'dux ipse vias'*. Atque haec quidem omnia suis annalium libris tributa sunt. Ex annalibus nullo libri numero haec afferuntur: *E. in annalibus* [I fr. XXVII]; *E. in XIIII* [VIII] . . . *idem in XVI* [V]*; idem in annalibus* [448] *'viresque valentes Contudit crudelis hiemps'*; *E. in annalibus* [inc. V]; *E. in annalibus* [inc. XXXIII]; *E. in annalibus* [inc. LXXXIII]. Mero Ennii nomine citantur, quae tamen dubium non est quin ad annales referenda

sint: *ut E.* [ann. 10] '*ova parire solet genus pennis condecoratum*', quae repeti poterant a Varrone; *ut E.* [ann. 17]; *E.* [ann. 109] '*o Tite tute*' eqs, quae a multis citata Priscianus ipse iterum in partitione XII versuum attulit; *E.* [ann. 138 sq.] '*vulturus in silvis miserum mandebat homonem. Heu quam crudeli condebat membra sepulcro*'; quorum priorem etiam alii, duo unus Priscianus attulit; *E.* [ann. 140] '*at tuba terribili sonitu taratantara dixit*', qui versus est etiam apud Servium, a quo tamen Priscianus suum non sumpsit; *ut E.* [ann. inc. XXIX]; *E.* [ann. inc. LXXXV]. Ne poetae quidem nomine addito nedum libri titulo duo annalium versus citantur, alter notissimus et a multis allatus [ann. 179] '*aio te Aeacida*' eqs; alter [ann. inc. II] '*o genitor noster Saturnie maxime divum*' ab uno Prisciano laudatus.

Haec habet Priscianus ex Ennii annalibus: qui saepe (quod indicare studui) in eadem re plura deinceps exempla Ennii recenset. Sunt autem maximam partem versus singulares (quos non perscripsi), plerumque plena sententia, exceptis II fr. XI *ingens cura mis cum concordibus aequiperare* et ann. inc. V *exin per terras postquam celerissimus rumor*. Sed ut affert sententia poscente nonnumquam duos vel tres versus continuos, ita est ubi brevicula sententia versu non integro defungatur: *dux ipse vias, Leucatam campsant, Poenos Didone oriundos.* Longe autem gravissimum est, hos versus omnes auctorem non habere nisi unum Priscianum praeter perpaucos quos significavi aliunde peti potuisse aut pervulgatos fuisse a multisque adhibitos.

Praeterea Enniana haec apud Priscianum leguntur: ex tragoediis *E. in Andromeda* [IX] '*filiis propter te obiecta sum innocens Nerei*'; *E. in Medea* [I 246. 247] '*utinam ne in nemore Pelio securibus caesa accedisset in terram abiegna trabes*'; quae nota sunt et a multis citata, a Prisciano ipso in libello de metr. Ter. non solum hi duo versus sed octo a 246 ad 253 afferuntur; *E. in Nemea* [I] '*pecudi dare vivam marito*'; denique *Cicero in Hortensio: ut ait Ennius* (Alcm. 26) '*refugiat timido sanguen atque exalbescat metu.*' Non Ciceronis nomine Priscianus affert verba Ennii, quod Nonium saepius et alios fecisse vidimus, sed Ciceronem laudat qui Ennii verba citaverat.

Ex aliis libris semel *praecepta* attulit, quo titulo nemo praeterea usus est: scribit autem *Ennius in praeceptis* [II], tribus versibus (31. 32. 33) additis qui non leguntur nisi apud Priscianum. Idem semel *Ennius in Epicharmo* [V] '*terra corpus est, at mentis ignis est*', cuius versiculi auctor solus est Priscianus. Restant duo versus Ennii qui quo referantur incertum est, *Ennius* '*adsectari se omnes cupiunt*' [inc. VIII]; et *Ennius* '*numquam poetor nisi podager*' [sat. inc. V]; qui versus ambo uni Prisciano debentur.

Apparet in haec quae praeter annales citantur idem cadere quod de annalium versibus dixi: ad unum haec testimonia tantum non omnia redeunt Priscianum. Qui generatim in Ennianis eam curam ac diligentiam praestitit ut quibus uteretur non solum poetae nomine

sed titulis ac numeris librorum afferret, versibus ipsis satis plene ut sententia patefieret et plerumque emendate scriptis. Quae omnia eo redeunt, ut cum fide videamur statuere posse, Priscianum carminum Ennianorum volumina ad suam aetatem propagata explicuisse ipsum et quidquid usui esset ex iis excerpsisse. Cui sententiae illud non iam adversatur, quod Priscianus nonnulla vocabula aut vocabulorum formas tractat, quae ne nunc quidem in Ennii reliquiis desiderantur, nulla Ennii mentione facta, velut *caepe, nauci, alacris, gratulor,* alia; communem enim hanc grammaticorum consuetudinem esse in Servio dixi, non ut ex suis auctoribus excerpant omnia quorum usus venire possit sed ut adhibeant quae in promptu sint: itaque Priscianus in Ennio ita videatur versatus esse ut cum multa studiose colligeret, nonnulla aliud agens praetermitteret. At Priscianus, qui artium scriptores Latinos saepe universe laudat, et singillatim multos affert, Charisium, Diomedem, Probum, Donatum, Caesellium Vindicem, Aruntium Celsum, Flavium Caprum, alios, ex iis possit videri cum doctrina etiam exempla hausisse, quibus vetustissimorum, ut dicere solet, usus confirmet; sed certe eorum qui nobis servati sunt nullus est quocum tot versus Ennianos communes habeat. Non negaverim Priscianum ex vetustiorum artibus non solum linguae praecepta sed etiam exempla usus sumpsisse: cuius generis non omittam haec quidem afferre quae scribit p. 209, 14 sqq. *in o productam desinentia Graeca . . . addita* '*nis*' *faciunt genetivum ut Dido Didonis. Accius* '*custodem adsiduum Ioni adposuit virgini.*' *Pacuvius* '*filios sibi procreasse dicitur eundem per Calypsonem autumant.*' *Plautus in aulularia . .* '*quem quondam Ioni Iuno custodem addidit.*' *Quod autem Ionis et Calypsonis et Didonis dicitur, ostendit hoc etiam Caesellius Vindex in stromateo his verbis:* '*Calypsonem. ita declinatum est apud antiquos. Livius* '*apud nympham Atlantis filiam Calypsonem.*' *Ennius in* VIII '*Poenos Didone oriundos*'. *Accius in Ione* '*custodem adsiduum Ioni instituit virgini.*' Videmus Priscianum, cuius rei exempla posuit, eiusdem denuo ex Caesellio Vindice exempla afferre, unum idem quod ante, cum Enniano quod nemo praeterea citavit. Cf. de eadem re Charisium p. 63, 20, qui nec Caesellium nec Ennium laudat. Similia Priscianus p. 212 de Flavio Capro. Sed tamen Caesellium et Caprum etiam alii grammatici testes adhibent, Gellius, Nonius, neque tamen in Ennianis versibus cum Prisciano conspirant, ut hunc ego non crediderim ex iisdem testibus, quos hic illic expresse se sequi fatetur, etiam non nominatis sua omnia prompsisse. Quocirca hoc retinendum censeo, quod dixi, Ennii quidem carmina Priscianum versasse ipsum eique soli hoc acceptum ferri quod tot egregii versus annalium aliorumque librorum hodie superstites sint.

Quae in duobus opusculis Prisciani leguntur Enniana, ea utpote cum institutionibus communia supra memoravi. Ex Prisciano autem fluxerunt ea quae habet ars anonyma ab Hageno in anecdotis Helveticis edita.

Priscianum excipiat Cassiodorius (a. 514), cuius liber de orthographia p. 207, 2 Keil. versum Ennii (ann. 565) habet, unum sed eum solus.

Agmen claudit scriptorum antiquitatis Isidorus Hispalensis (a. 570—636), qui in originum libris nonnulla de Ennio aut primus aut post alios memoriae prodidit, quae quam brevissime potero recensebo. Ac primum testimonia quaedam eius de Ennio afferenda sunt: I 21, 1 *vulgares notas Ennius primus mille et centum invenit.* Haec enim mihi adhuc credibile videtur de poeta Ennio dici, quamquam non nescio esse qui grammaticum Ennium quem Suetonius dicit (de gramm. p. 100 R.) intelligi malint, cui etiam alia quaedam apud Varronem et Charisium assignant quae poetae esse (inc. 48. 49) suis locis probare studui. Itaque Isidorus eundem Ennium dicere videtur quem saepe alibi, qui quidem alium Ennium omnino nusquam nisi quid me fugit aperte significavit. Neque illud improbabile quod Reifferscheidius statuit, haec de Ennio ex Suetonio ducta esse, ad cuius libros de viris illustribus et haec et quae deinceps Isidorus de earum notarum usu tradit referri iussit. Ceterum his initiis tachygraphicis me insinuare a mea opera alienum est, de quibus quaestionibus quae cognita habeo in adnotatione indicavi.*)

Idem orig. I in capite de metris 38 haec perhibet 6 *hexametros Latinos primum fecisse Ennius traditur eosque longos vocat*; et hoc quidem heroos versus Ennium *longos* appellasse Cicero de legibus II 27, 68 (inc. XX) praeivit idemque etiam alii memorarunt de quibus ad l. c. adnotavi. Ibidem 15 de elegiaco versu haec refert *hoc omnino vix constat a quo sit inventus, nisi quia apud nos Ennius eo prior usus est: nam apud Graecos sic adhuc lex grammaticorum pendet ut sub iudice res relegata sit.* Haec postrema Horatii memor (a. p. 75 sqq.) addidit, elegiacos autem versus composuisse Ennium cuivis vel ex Cicerone notum esse potuit; et hoc tantum quaeri oportet, ut cum Servio loquar, *quis ante hunc?* Ne quid omittam quod Ennii nomen habet, ex eodem capite addam 17 *hymnos primum David prophetam in laudem dei composuisse ac cecinisse manifestum est: deinde apud gentiles prima Memmia Phemonoe fecit in Apollinem et Musas, quae fuit temporibus E n n i i longe post David.* Quae quo referenda sint, nescio, nisi quod *Phemonoe* a Porphyrione ad Ennii versum (ann. 179 p. 33), et ab aliis grammaticis appellatur.

Ennii autem versus quos affert Isidorus plerique omnes hexametri sunt, ex annalibus petiti, sed affert poetae tantum nomine in-

---

*) Primum Ludovici Traubii egregiam disputationem editam a. 1901 *(Archiv f. Stenographie)* p. 191 sqq., qua is quae nexa sunt apud Isidorum de notis dissolvit et suo quaeque auctori retribuit, deinde scripta auctorum comitate ad me missa O. Morgensternii in *Magazin für Stenographie* Berol. a. 1885 p. 72 sqq. de Ennio maxime agentis et Guilelmi Weinbergeri in *Archiv f. Stenographie* a. 1902 p. 204 sqq. idem Isidori testimonium de notis disceptantis.

signitos nusquam titulo aut numero libri adiecto, saepe adeo nulli poetae addictos. Sed in his cum sint nonnulla quae nisi Isidori fide non tradantur, et utilitas vel huius testis agnoscitur et credibile fit Ennianorum carminum memoriam usque in hanc infimam aetatem permansisse. Affert autem haec: I 35, 14 *paromoeon . . quale est illud apud Ennium 'o Tite tute Tati'* eqs (ann. 109), *sed bene hoc temperat Virgilius dum non toto versu utitur hac figura ut Ennius*; x 270 *tetrum veteres pro fero, ut Ennius 'tetros elephantos'* (ann. 607); de quo versiculo, qui etiam alibi affertur, vide a me in relat. acad. a. 1896 p. 726 et in adn. ad versum exposita; XI 1, 109 *complicatum gigni formarique hominem ita ut genua sursum sint quibus oculi formantur . . . Ennius 'atque genua comprimit arta gena'* (inc. 14); quae non leguntur nisi apud Isidorum; XVII 9, 97 *scirpus quo tegetes texuntur sine nodo, de quo Ennius 'quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum'* (sat. 70), *et in proverbio 'qui inimicus est etiam in scirpo nodum quaerit;'* Ennii versum Isidorus ex Festo sumpsit; XVIII 36, 3 *rotis quadrigas currere dicunt . . . propter solem quia volubili ambitu rotat sicut ait Ennius* (ann. 558) *'inde patefecit radiis rota candida caelum;'* integrum versum unus Isidorus servavit: nam Servius qui eundem dicit (ad Aen. VI 748) verba non citavit. Quos versus I 25, 2 Ennii nomine praefixo affert *'quasi in choro pila'* eqs Naevii esse et ex Tarentilla promptos alio testimonio constat. Sed Isidorus quosdam versus Ennianos nullo auctore laudat: I 3, 8 de Θ quod est mortis signum: *de qua quidam ait 'o multum ante alias infelix littera theta'* (ann. 625); hunc 'quendam' Ennium esse aliunde compertum est; I 33, 13 *amphibologia ambigua dictio . . ut illud responsum Apollinis ad Pyrrhum 'aio te Aeacida'* eqs (ann. 179). Quo probabilius statuitur in iis quae I 35, 3 de zeugmate docentur *zeugma est clausula dum plures sensus uno verbo clauduntur, quae fit tribus modis: nam aut in primo aut in postremo aut in medio unum verbum ponitur quod sententias iungit: in primo ut 'vertitur oenophoris fundus, sententia nobis'; in medio ut 'Graecia Sulpicio sorti data, Gallia Cottae'; in postremo ut 'namque hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit'* tria exempla trium poetarum afferri et ut primum Lucilii, tertium Terentii esse constat, medium, quae verba in hexametrum coeunt, Ennii esse de annalibus (329), licet eo praeter Isidorum nemo scriptorum usus sit. Sed attulit alia Isidorus nulla Ennii mentione facta, quamquam facere licebat, ut in XVIII 4, 2 et 4 de buccinis et tuba, et ibid. 7, 8 de falarica. Quo pertinent etiam quae XI 1, 55 de *caeli palato* (inc. 16) maxime ad Augustinum se applicans Ennii non memor memoravit.

Longe autem gravissimum est quod in libri XIX capp. 1 et 2, quae sunt *de navibus* et *de partibus navium* complures versus Ennii ad naves et partes navium pertinentes afferuntur, quos versus nemo ante vel nemo praeter Isidorum tradidit: 1, 22 *celoces . . Ennius 'labitur uncta carina per aequora cana celocis'* (ann. 478); 2, 4

agea viae sunt vel loca in navi . . de qua Ennius 'multa foro ponit et agea longa repletur' (ann. 492); c. 2, 12 *clavus est . . de quo Ennius 'ut clavum rectum teneam navemque gubernem'* (ann. 483), cuius versus partem Quintilianus memorat, totum nemo nisi Isidorus; c. 2, 14 *tonsilla uncinus ferreus vel ligneus . . de quo Ennius 'tonsillas rapiunt, configunt litus, aduncas'* (ann. 499): neque hunc versum quisquam praeter Isidorum novit. Sed in hac quoque parte nonnulla afferuntur quae Ennii commemorationem non habent cum habere potuerint; dico c. 1, 9 *rates primum et antiquissimum genus navigii*; c. 2, 6 *tonsae remi a decutiendis fluctibus dicti,* quae verba Isidorus a Servio (in Aen. VII 28) mutuatus est. Utroque enim vocabulo semel et iterum Ennius usus est, et *tonsas* quidem alii grammatici similiter sed teste Ennio (ann. 230. 231) explicaverunt.

Praeter amplum Isidori opus originum sive etymologiarum perpauca Enniana supersunt tam in iis quae scripsit de differentiis verborum, quae tres versus scenicos (7—9) nusquam alibi memoratos tenent, quam in libro de natura rerum, qui versum annalium (545) et ipsum praeterea non cognitum tradidit.

Isidorianis ob cognationem quandam generis adiungo pauca de glossarum congerie, quae quidem Ennii nomen prae se ferunt. Ac primo loco pono in excerptis ex cod. Vatic. 1468 (C. Gl. L. v p. 498) servatum testimonium de Ennio quod ad ann. 15 adscribi debebat *Ennius nomen doctoris cui pavo per visionem in ore introivit et altera die surrexit grammaticus. fuit autem cultor idolorum.* Porro glossae codicis Cassin. 90 cum Ennii sententiam de Romulo conditore urbis (ann. 77 p. 14) tum versum eius (ann. 297) *ob Romam noctu legiones ducere coepit* ex Festo ductum tenent; duplex autem congeries et Cassinensis et Parisina cum Isidoro communem habet Ennii versiculum (ann. 607) *tetros elephantos.* Quae vero glossae Latino-Graecae exhibent Ennii vocabula *aplustria* (ann. 602) et *ambactus* (ann. 605), ex iis hoc ex Festo repeti potuit, illud uni glossarum scriptori acceptum fertur. Multa autem sine Ennii nomine in iisdem glossis traduntur quae incertum quibus gradibus ad eundem poetam videantur redire; sed ea nunc tractare nolo.

Ab Isidoro progredi licebat ad Aldhelmum (a. 675—709), qui bis memoratur ad ann. 17 et 623, sed quae affert eorum exstant auctores, ipse nihil proprii habet, non magis hercle quam Cynthius Cenetensis Vergilii Aeneidos interpres (saec. XV), de quo vide ad ann. 18. Neque meum esse putavi Ennii memoriam etiam per medii aevi quod vocatur tempora persequi. Ennii poetae nomen non sine honore appellatur in Nasonis (Muaduuini) ecloga saec. IX in. (Poet. Lat. aev. Carolin. ed. Duemmler tom. I p. 387) v. 79 sqq.

Carmina lusit item variis en maximus odis
Ennius, ingenuis scribens monimenta priorum;
Propterea in terris tenuit tum culmen honoris.

et in Theoduli egloga v. 285 sqq.

Silvae prata virent frondent, nunc omnia rident;
Huc Helicon Musas, huc Proteu mitte Napaeas;
Adsint praecipue qui curant florida Tempe,
Quos in distichii serie complecteris, Enni,

cuius mentionem feci ad ann. 62 sq. propterea quod Haasius *de medii aevi studiis philologicis* (a. 1856 p. 16 n.) hunc neglexisse crimini esse editoribus Ennii voluit; sed is quae dicit versu quarto a Martiano Capella mutuatus est, Ennium numquam vidit. Nil nisi nomen est poetae etiam in Anticlaudiano Alani ab Insulis (saec. xii), cum ita scribit (lib. i 5 v. 169)

Illic pannoso plebescit carmine noster
Ennius et Priami fortunas intonat: illic
Naevius eqs.

Haasium enim qui hunc Alanum integros annales Ennii cognitos habuisse censuit iure suo redarguit R. Foersterus (mus. Rhen. xxxvii p. 488).

Osbernus (circa a. 1150) in panormia h. e. thesauro novo Latinitatis Maii opera primum edito, de quo G. Meyerus Spirensis egit (in mus. Rhen. xxix p. 180 sqq., vide ad ann. 478), nonnulla Enniana attulit sed iis fontibus usus quos novimus; unum versum (ann. 595) ipse solus perhibuit: eundem postea Ugucio (a. 1190).

Sed medium aevum ne nihil profuisse reliquiis Ennianis dicas, tres Ennii versus singulares nemini ante memoratos in Orosii codice Sangallensi saec. x n. 621 suis locis adscripsit Ekkehartus iv abbas sancti Galli qui circa a. 1061 obiit. Quos versus praeclaros et quorum nullus non aliqua ex parte nostram poesis Ennianae cognitionem adiuvit, a me in annalibus collocatos (170. 222. 274) primus ex oblivione suscitavit Ernestus Duemmlerus, qui eos a. 1869 cum de Ekkeharto iv ageret in Hauptii ephemeride antiquitatis Germanicae n. s. ii p. 11 publici iuris fecit et me eius rei a. 1877 comiter certiorem fecit. Sed multis iam annis ante Carolus Zangemeisterus, cum Orosii causa quem in corpore scriptorum ecclesiasticorum Vindobonensi editurus erat eundem codicem excuteret, glossas istas Ennianas a se excerptas officiosissime ad me perscripsit, qui a Duemmlero non dissensit nisi quod tertium versum non ab Ekkeharto iv sed a nescio quo scriptore superioris aetatis exaratum affirmavit. His tribus Ennii versibus nuper accessit quartus non novus ille quidem sed a Cicerone traditus (ann. 194), ab eodem autem Ekkeharto iv hac forma adnotatus *mi pro michi sepe posuerunt poetae. unde pyrrus Romanis 'Non mi aurum posco neque mi precium dederitis'*, quam adnotationem a se ex codice Sangallensi 369 saec. xv excerptam Paulus de Winterfeld mecum per litteras, deinde in archiv. nov. hist. xxviii p. 71 n. cum pluribus communicavit.

Quod initium versus Enniani a Cicerone et Servio traditi (ann. 115) *Romulus in caelo* in pariete Pompeiano adpictum est (C. I. L. iv n. 3135)

pro indicio Ennii etiam tum cogniti haberi non potest; sed nuper in pavimento Africano (mus. Bard. n. 166) cum aliis versibus veterum poetarum ad navium picturas pertinentibus unus certe Ennianus (ann. 478) comparuit non ignotus sed alibi traditus, de quo vide quae adnotavi (cf. *arch. Anz.* 1898 p. 118). Denique ne hoc quidem ab hac historia Ennii abesse volui quod non ita pridem in opere musivo Treveris detecto inter veterum scriptorum picturas Ennii imago patefacta est: vide *Westdeutsche Zeitschr.* x (1891) p. 248 sqq. De qua quae praeterea exposita vidi omitto.

Vidimus qua via libri Enniani paulatim ut folia florum discerpti sint et quorum scriptorum beneficio quidquid eorum superest ad nos propagatum sit. Nunc a novo principio ordiendum est ut ostendatur quorum studiis factum sit ut quae discerpta erant in unum rursus collecta ad simulacrum quoddam integritatis revocarentur. Cuius rei laudabile initium fecisse constat Stephanos, Robertum patrem et Henricum filium, qui quidem suam operam non Ennium tantum continere sed multorum poetarum veterum Latinorum reliquias complecti voluerunt. Itaque a. 1564 librum ediderunt cui hunc indicem fecerunt *Fragmenta poetarum veterum Latinorum quorum opera non extant: Ennii Pacuvii Accii Afranii Lucilii Naevii Laberii Caecilii aliorumque multorum. Undique a Rob. Stephano summa diligentia olim congesta, nunc autem ab Henrico Stephano eius filio digesta et priscarum quae in illis sunt vocum expositione illustrata, additis etiam alicubi versibus Graecis quos interpretantur.* Horum igitur quos indicant et quorundam aliorum poetarum non ratione temporum sed litterarum serie ordinatorum versus superstites secundum carminum genera et ubi fieri potest libros carminum recensent, plerumque testium verbis qui tradiderunt adiectis, ut esset quod declarando sensui aut orationi poetatarum inserviret. Initia haec erant paucis contenta, et tamen, de Ennio ut dicam, vel ex his obiter collectis et illustratis intelligi poterat, quanta pars egregiorum versuum, dactylicorum et scenicorum, sive singularium sive complurium continuorum, quibus huius poetae virtus et amplitudo taxari posset, ex magna ruina suppeteret, unde spes excitaretur fore ut quae tot poetis simul impertita esset opera iam in singulos maiore cum contentione impenderetur. Ac de Ennio quidem primus post Stephanos praeclare meruit Hieronymus Columna edito libro cui inscripsit *Q. Ennii poetae vetustissimi quae supersunt fragmenta ab Hieronymo Columna conquisita disposita et explicata ad Ioannem filium. Neapoli* 1590. Quo libro, quem post patris obitum filius cui dicatus erat edendum curavit, in quattuor tomos dispertito praemissa vita Ennii annalium, variorum poematum, ut Scipionis Epicharmi aliorum, tragoediarum, denique Euhemeri et incertorum librorum reliquias diligenter collectas et probabili ratione digestas amplo et erudito commentario, ut erat homo Graecis Latinisque lit-

teris non leviter imbutus, explanavit. Sed quae Columna una opera principe poetarum perdigna complexus erat, ea accidit deinde ut partitis curis tractarentur. Ac tragoediarum quidem reliquias Ennianas non solas sed eas cum ceterorum poetarum tragicorum versibus coniunctas, Stephanorum magis exemplo, Martinus Antonius Delrius S. I. a se recognitas publicavit. Cuius *Syntagma tragoediae Latinae* a. 1593 editum et saepius repetitum, in tres partes distributum, secunda et tertia Senecae tragoedias et in eas commentarios, in prima praeter prolegomena quaedam *Fragmenta veterum tragicorum* et *Opinationes in eadem* continet, non inutiliter collocata opera sed ut in Ennianis quidem non multum novi aut ingeniosi afferretur. Ad annalium autem restitutionem solam Paulus Merula Batavus studiose incubuit, qui libro spisso, quem a. 1595 hac inscriptione insignitum edidit *Q. Enni poetae cum primis censendi annalium libb.* XVIII *quae apud varios auctores superant fragmenta conlecta composita inlustrata ab Paullo G. F. P. N. Merula qui eadem fixit dicavit sacravit S. P. Q. Dordraceno l. m. Lugduni Batavorum,* hoc praecipue egit, ut et fines librorum et in singulis versuum ordinem qui fuisset recuperaret eaque quae sibi visus est assecutus esse historica fide illustraret et confirmaret: cui rei inservit quod explicandis singulis *historiam* quam dicit, quasi quoddam versuum interpretandorum argumentum, praemittere solet. In qua operis parte ita versatus est, ut cum esset homo eruditus et acutus multa probe et egregie administraret, sed qua erat confidentia et coniectandi libidine non raro a vero longius aberraret et pro certis venditaret quae vix esse probabilia largiare.*) Qui proximi sunt mutatis partibus rursus in tragoedias sed non solum Ennii verum simul ceterorum tragicorum curam impenderunt: Petrus enim Scriverius *Collectanea veterum tragicorum L. Livii Andronici Q. Ennii Cn. Naevii M. Pacuvii L. Attii aliorumque fragmenta et circa ipsa notas breves* edidit Lugduni Batav. a. 1620, quibus additae sunt singulari libello *Castigationes et notae uberiores Gerardi Ioannis Vossii,* qui quasi commentarium criticum ad versus a Scriverio collectos et dispositos adiecit, is quidem eo successu, ut de emendandis versibus tragicis, inprimis Ennianis, optime meruisse censendus sit. Progrediente tempore non defuit qui Columnae opus Ennio soli sed toti dicatum prudenti consilio instauratum ex raritate qua erat denuo divulgaret. Quod

---

*) Versus annalium sola Merulae fide propagatos ne nunc quidem omisi, sed ut olim segregatos a ceteris ne cum veris miscerentur (p. 240 sq.) edidi. Versus enim non desii pro falsis et fictis habere, sed Merulam ipsum hanc fraudem peperisse probari non potest neque iniuria nuper hoc crimine liberare editorem studuit P. I. Blokius professor Leidensis qui et lingua Batava in *Bijdragen voor vaderlandsche geschiedenis* I 1 (1899) p. 116 *de geloofwaardigheid van Paullus Merula* confirmatum ivit et paulo post Latine Hartmano interprete in Mnemosyne bibliotheca philologica Batava n. s. XXVIII (1900) *de fragmentis Ennianis a Paullo Merula editis* disseruit.

suum esse meritum voluit Franciscus Hesselius, qui quid egerit inscriptione libri indicavit: *Q. Ennii poetae vetustissimi fragmenta quae supersunt ab Hieron. Columna conquisita disposita et explicata ad Ioannem filium. Nunc ad editionem Neapolitanam a. 1590 recusa accurante F. H. i. c. Accedunt praeter eruditorum virorum emendationes undique conquisitas M. A. Delrii opinationes nec non G. I. Vossii castigationes et notae in fragmenta tragoediarum Ennii ut et index omnium verborum Ennianorum. Amstelaedami a.* 1707. Addidit multa non inutiliter quae ad explicandas aut emendandas Ennii reliquias pertinerent, cum alia tum a Merula continuatum annalium contextum sed adnotatione eius omissa. In eo utentium commoditati consuluit quod Columnae commentarium particulatim dissectum et versuum partibus adnexum maluit perpetuum textui subiicere. Itaque doctis hominibus quibus Columnam consulere non liceret etiam saeculo duodevicesimo paratum erat unde haurire cum fide possent si qui Ennianae poesis studio aut delectatione ducerentur. Neque annalibus Ennii non erat qui prospiceret; qui Merulae librum iam rarescentem, ne oblivione periret, renovare instituit, item ut Hesselius iuris consultus, E. Spangenbergius. Is enim ei quem a. 1825 Lipsiae edidit libello haec inscripsit *Quinti Ennii annalium libb.* XVIII *fragmenta. Post Pauli Merulae curas iterum recensita auctiora reconcinnata et illustrata. Accedunt Cn. Naevii librorum de bello Punico fragmenta* eqs. *Opera et studio E. S.* Ac fassus est ipse editor, se paucis mutatis aut adiectis universe annalium conformationem a Merula invectam et confirmatam denuo exprimendam curasse: neque ab eius exemplo discessit nisi quod externa forma mutata legentium usui providit. Quem enim ille de more per partes textui adnexuit commentarium tam historicum quam grammaticum segregatum in adnotatione duplici versibus subiecit, ita ut in altera historiae narrationem continuaret qua maxime institutus ordo versuum niteretur, altera ex reliquis explanationibus Merulae potissima repeteret. Non multo post etiam altera pars reliquiarum Ennianarum nacta est qui a Delrio et Scriverio Vossioque in colligendis et emendandis tragicorum versibus instituta et inchoata continuaret et perficeret. Frid. enim Henr. Bothius *Poetarum Latii scenicorum* voluminibus quinto et sexto a. 1834 editis tam tragicorum quam comicorum poetarum Romanorum fragmenta, in quibus Ennii, a se conquisita et adnotationibus illustrata publicavit: qui quidem (de Ennio loquor) nec satis supellectile critica instructus erat et ea ratione edendi usus est qua vix satisfieri possit iudicare cupientibus, sed tamen in singulis multa recte et probabiliter constituit. Contra is qui a Merula exaedificatos annales sibi instaurandos sumpsit vix ulla in parte rem suam laudabiliter gessisse existimandus est, qui, ut omittam memorabilem in testibus afferendis incuriam, primum eo peccavit quod se Merulae mancipavit auctori minime probando in omnibus, deinde quod quae in Merulae rationibus maxime reiectanea

essent quodammodo exaggeravit et cumulavit, cum paene quidquid hexametrorum Ennianorum traditum esset suis locis in reconcinnato annalium contextu reponi posse sibi persuaderet: qua re fieri non poterat quin multa incredibilia et inepta procrearentur. Atque ob hanc quam sequitur rationem non sanam magis culpandus est quam laudandus quia in paucis, quod nemo negat, seorsum a Merula verum vidit. Haec autem unica erat editio ad quam per tot annos philologis redeundum erat si quis scire cuperet quid esset annalium poesis Enniana. Quam ob rem, ne princeps poetarum Romanorum non exstaret nisi in editionibus quae iam priscae essent ob vetustatem aut indigna socordia et pari imperitia praestarent Frid. Ritschelii consilio factum est ut acriora studia in hanc partem nimis diu iam desertam incitarentur. Eo enim auctore philosophorum ordo universitatis Fridericiae Guilelmiae Rhenanae in litterarum certaminibus in a. 1852 hanc quaestionem proposuerat *praemissa de Q. Ennii vita arte et scriptis disputatione eius annalium fragmenta disponerentur emendarentur illustrarentur.* Deque periculis factis die III m. Augusti a. 1852 sic iudicavit ordo (haec enim ut nunc referenda ducam habeo etiam privatas causas ex ipsa rei condicione natas, sed erit fortasse qui haec quae singularem vim et virtutem Ritschelii luculenter expressam tenent non invitus legat): *Quo de argumento dupliciter sibi satis factum esse ordo merito laetari potest. Duas enim commentationes accepit, alteram Horatiana sententia insignitam 'Est aliquo prodire tenus, si non datur ultra', alteram Lucretii versibus inscriptam 'Iudicio perpende, et si tibi vera videntur, Dede manus, aut si falsum est, accingere contra': utramque tot nominibus laudabilem, ut neutri, si in certamen sola commissa esset, non concedi praemium potuisset. Eximiae utraque industriae testis exstitit indefessaeque lectionis, doctrinae in reconditioribus litteris non vulgaris, iudicii ad indagandos errores sagacis, ad verum inveniendum feracis, ad credendum prudentis, item elegantiae cum in argumenti tractatione tum in oratione conspicuae, quamquam aliquanto etiam nitidioris in priore quam in altera scriptione. Itaque cum utriusque communis, si generatim iudicandum est, etiam ἀκρίβεια illa sit, quae imprimis decet philologum, rectaque omnino cum ratione et ex arte disputandi exercitatio, tamen quod plurimis in locis, eis potissimum qui ad singula fragmenta suis annalium libris distribuenda spectant, dispares atque adeo contrarias in partes discesserunt, nec esse mirum potest, ut in genere quod suapte natura in coniectura positum saepe probabilitatem potius quandam sequatur, quam necessitate argumentandi regatur, nec ad ipsam veritatem consequendam infructuosum videbitur. Ut, quando aliis in locis alteram altera propria virtute superat, in ipsas litteras non paullum utilitatis redundaturum esse videatur, si utravis, plus etiam, si utraque scriptio in publicam lucem prodeat, qua dignam esse utramque censemus. Quae cum ita essent, de praemio tamen alterutri adiudicando vix posse dubitari ordo intellexit, postquam alte-*

ram ab uno esse scriptam comperit, consociata duorum opera alteram effectam: id quod qui Lucretianos versus praescripserunt, omni candore in prooemio ipsi professi sunt. Quod quidem consilium, a singulari scriptorum condicione satis ordini excusatum, etsi ipsis nequaquam inhonorificum est, tamen non potest non plus praestitisse censeri, qui unus duorum coniunctam contentionem aequaverit. Nec mediocris laus in hoc ipso cernitur, quod hic statim a principio omnes argumenti partes tam certo consilio dimensus est tamque aequabili temperamento latissime patentem disputandi materiam partitus, ut et considerati iudicii studiorumque maturitatis insigne documentum ederet, nec temporis angustiis, ut concertatorum uterque, quominus incohatam operam ad finem feliciter perduceret, intercluderetur. Hinc igitur est, quod Horatiano sumbolo insignitam commentationem praemio ornandam ordo decrevit, alteram proxime accessisse ad victoriam iudicavit. Resignatis schedulis princeps apparuit Ioannes Vahlen Bonnensis, seminarii regii philologici senior, proximi ad principatum Fridericus Theodorus Hugo Ilberg Thuringus, Theodorus Hug Turicensis, eiusdem seminarii sodales ordinarii. Atque competitores mei extemplo se ad edendas Ilbergius primi libri annalium, Hugius septimi octavi noni reliquias dederunt, h. e. ad eas partes annalium, quae prae ceteris argumenti causa et ob copiam superstitum versuum allicere potuerant utpote in quibus maiore cum fructu elaborare liceret. Quorum libelli dd. VI et VII m. Augusti a. 1852 publici iuris facti sunt. Ego *quaestionibus Ennianis criticis* eodem mense et anno emissis editionem annalium (de qua tum sola cogitabatur) integram sicut potui praeparare institui. In quo opere difficultatis et dubitationis pleno dum sudans haereo, interim ab O. Ribbeckio egregia arte et magna diligentia collectae et recognitae tragicorum Romanorum reliquiae eduntur (a. 1852). Ex quo ut mihi exemplum sumendum esse sentiebam, ita tum demum natum est auctore maxime Ritschelio consilium non subsistendi in annalibus edendis, sed una cum tragoediarum versibus nunc cura Ribbeckii in propatulo positis reliqua Enniana omnia conquisita et emendata uno volumine complectendi: sic enim fieri posse, quod non uno nomine litterarum causa optabile erat, non solum ut integrum Ennium unus liber teneret sed etiam index unus huius poetae ceteris multo uberioris sermonem totum exponeret. Itaque hoc consilium labore non leviter adaucto strenue persecutus tandem a. 1854 *Ennianae poesis reliquias* a me recensitas prodire iussi. Quae editio diu exspectata primum non sine favore quodam excepta est (quamquam ob tragoediam receptam in Ribbeckii offensionem incideram invitus) nec displicuit quibusdam perdoctis hominibus quorum iudicium ego cum omnibus magni faciebam, posteriore demum tempore rationibus, quas aliis expendendas relinquo, in deteriores partes rapi coepta est. Sed ego non destiti semel editi Ennii rem et rationem variis commentationibus stabilire ut potui et adiuvare, in quibus non solum

annales et versus annalium, verum magis tragoedias retractabam, in quibus recognoscendis olim non tam iudicii errore quam modestia quadam et pudore nimis anxie ad Ribbeckii vestigia me applicaram. Quas scriptiones quamquam saepius suo loco in adnotationibus memoravi, tamen fortasse non inutile est earum hic conspectum dare. Editae igitur sunt in mus. Rhen. XIV (1859) p. 552—569; XVI (1861) p. 571—585; Herm. XII (1877) p. 253. 399; XV (1880) p. 260—265; in prooemiis indicum lectionum universitatis Fridericae Guilelmae a. 1877 de Medea; 1878 de Iphigenia; 1879/80 de versibus veterum poetarum a Cicerone citatis; 1880 de distinctione; (1886/87 p. 6); 1887/88 de Alcmaeone; 1888/89 de tragoediis compluribus; 1892/93 de annalibus; in relationibus academiae Berolinensis *(Sitzungsberichte)* a. 1888 *über einige Bruchstücke des Ennius*; 1894 *über das Stadtgründungsaugurium bei Ennius*; 1896 *über Ennius und Lucretius*; 1899 *Bemerkungen zum Ennius*; in actis maioribus academiae *(Abhandlungen)* a. 1886 *über die Annalen des Ennius.* Hoc modo cum his studiis instare pergerem sperabam me posse aliquando novam Ennii recensionem proferre quae et mihi et ceteris magis satisfaceret. Sed quo tempore exhaustis iam prioris exemplaribus altera editio a me postulabatur alii praeverterunt et me paene de meo consilio deiecerunt. Omitto quod iam a. 1874 Oxonii in *Fragments and Specimens of early Latin* editor John Wordsworth specimina quaedam Ennii tam ex annalibus quam ex tragoediis selecta recepit. Gravius erat quod a. 1884. 1885 L. Mueller Ennium sibi tamquam suam provinciam arrogavit. Is enim mihi iratus, quod a Lucilii editore non exspectatum Lachmanni Lucilium, eximium opus quamvis imperfectum, sicut erat edendum curavi, quamquam nulla re a me lacessitus, quomodo Ennius edendus fuerit et quam ego par non fuerim ei operi exsequendo duobus libris Germanos et exteros docere instituit, quorum alteri inscripsit *Quintus Ennius. Eine Einleitung in das Studium der römischen Poesie. St. Petersburg* 1884, alteri autem, qui versus superstites et commentarium continet, *Q. Ennii carminum reliquiae. Accedunt Cn. Naevi Belli Poenici quae supersunt. Emendavit et adnotavit L. M. Petropoli* 1885. In quibus libris quae reiectanea esse mihi persuasi silentio praeterii, quae probe inventa, ut par fuit, adhibui, sed multa non fuerunt. Iterum a. 1894 in I. P. Postgatii *Corpore poetarum Latinorum* vol. I, postquam a viro clarissimo mihi oblatam condicionem propterea quod editoris libertas nimis angustis finibus circumscripta erat non accipiendam duxi, idem Muellerus Ennium suum succincta admodum adnotatione auctum edidit. Post Muellerum eius discipulus et eadem mente praeditus sed ingeniosior illo, Aem. Baehrensius, cum *Fragmenta poetarum Romanorum* a se collecta et emendata a. 1886 ederet, ex Enniana poesi annales et reliqua recepit exceptis scenicis tam tragicis quam comicis reliquiis, quae in Ribbeckii libris prostarent. Cuius libellus, utpote qui multo-

rum usui habilis esset, perplacuit et probatus est, quamvis in Ennianis temeraria multa exhibeat et inprimis annalium reliquias non raro vanis inventis locupletaverit. Ribbeckius autem iam a. 1871 et 1873 tragicorum et comicorum fragmenta secundis curis recensuit, quaeque olim in *Quaestionibus scenicis* ad tragicorum fragmenta adiectis de tragoediarum argumentis et compositione egerat, in libro vernacule scripto cui inscripsit *Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik* a. 1875 latius explanavit. Et iam tertium scenicorum poetarum reliquias a. 1897. 98 repetitis studiis in usum maxime thesauri linguae Latinae retractavit. Quae postrema sero mea opera tantum non absoluta ad me allata sunt. Sed in his libris magis etiam quam in superioribus multa sunt quae mihi non magis probantur quam illi mea, et eo apertius factum est, de quo numquam dubitavi, nos in hoc genere rationibus uti non leviter inter se discrepantibus. Me vero non descivisse ab hoc opere et onere, quod mihi nescio quae sors iniqua imposuisse visa est, vel his extremis annis a me editae commentationes Ennianae quas supra significavi indicio esse poterant. Quod autem re vera hanc editionem diu praeparatam, saepe intermissam, numquam plane omissam tandem hac aetate et his negotiis et officiis oppresso contigit ut ad umbilicum adducerem, eius rei gratiam inire voluit Otto Plasbergius meus, qui adnotationem duplicem a me perscriptam et constituto textui applicatam revolutis auctoribus diligenter ita redegit ut si quae deesse viderentur suppleret, quae vero superesse resecaret, porro in conficiendis et corrigendis indicibus, denique in regenda typothetarum inscitia et licentia admirabiliter me adiuvit et omnino sua opera indefessa effecit ut mea opera qualiscumque non sine aliqua utilitate edi posse videretur.*)

Sed qua condicione litterarum ad renovandum hoc opus Ennianum accessi, ea quam diversa fuit ab illa qua olim in colligendis et recensendis his reliquiis tirocinium posui. Etenim eorum auctorum, quibus potissimum testibus utendum erat, tum vix unus et alter ita iam editus erat ut cum fide eorum testimoniis uti liceret, ac veren-

---

*) Non possum nisi in adnotatione memorare a Ludovico Valmaggi, cuius adnotationes quasdam de Ennio in *Boll. di filolog. class.* editas cognovi, a. 1900 mea versuum Ennii recensione iam prelo subiecta Ennii annalium fragmenta edita esse libello cui inscripsit *Q. Ennio i frammenti degli annali editi e illustrati da Luigi Valmaggi. Torino* 1900; qui testimonia quidem versuum breviter indicavit, ampliore autem commentario tam de sensu et loco eorum quam de scriptura et rebus grammaticis egit. Ex cuius praefatione quaedam a doctis Italis potissimum edita de Ennio me fugisse intellexi, doliturus si quid quod probe inventum sit me praeterierit. Eodem anno Carolus Pascal quae singillatim ante in *Rivista di filologia* de Ennii quibusdam carminibus disseruerat collecta et coniuncta cum iis quae de aliis poetis Romanis proposuerat denuo publici iuris fecit in libello *Studi sugli scrittori Latini, Ennio Plauto Cicerone* etc. De quo libro et inprimis de Ennianis iudicium fecit R. Helmius *(Berl. philol. Wochenschr.* 1901 p. 73 sqq.).

dum erat ne vana esset opera mea, nisi intercedente maxime Ritschelio contigisset, ut editores quos suorum auctorum causa excussissent codices eorum testimonia de Ennio mecum liberaliter communicarent: quorum nomina olim cum grati animi significatione recensui. Nunc contra paene non est eorundem scriptorum qui non suo instrumento critico auctus niteat et thesauros suos cuivis adeunti aperiat. Itaque primum Ciceronis tam orationes quam philosophiae scripta Baiteri Halmiique opera inde ab a. 1854 luculentis commentariis criticis instructa illi usui patent et satisfaciunt. Quod si quid tamen desideratur, mihi ne nunc quidem aliena defuit humanitas: et Vossianos quidem codices, quos in libris de divinatione olim ipse contuleram, Plasbergius per omnia scripta quae continent, quorum ille novam recensionem praeparatam habet et propediem editurus est, una cum Vindobonensi accuratissime excussit mihique quantum ad meam rem utile esset impertivit. Libenter usus sum iis quae Bastianus (non Christianus) Dahlius et S. G. de Vriesius ad Catonem mai. ex suis libris attulerunt in libellis quos ad ann. 202 significavi. In Tusculanis scripturae quaedam Vaticani cod. Ed. Stroebelii beneficio acceptae. Ad scripta rhetorica, quamquam novam editionem Orellianam Orellius ipse et Baiterus iam a. 1845 pararunt, nunc meliora in promptu sunt, rhetorica ad Herennium Friderici Marxii (a. 1894), orator F. Heerdegeni (a. 1884) cura editus, egregia utraque opera; librorum de oratore Th. Stangelii studiis optima recensio debetur, sed apparatus criticus quem promisit uberrimum cum nondum editus sit, vir humanissimus facile precibus meis motus est, ut ex codicibus potissimis quos contulit quae usui essent Ennii et mea causa excerperet, item ad schol. Gronov.

Varronis de lingua Latina Florentini codicis scripturae H. Keilii diligentia perscriptae olim Leonardi Spengelii beneficio a me usurpari poterant; nunc et eius et ceterorum librorum lectionis varietas accurate exposita habetur in nova editione qua a. 1885 Andreas Spengelius verba Varronis maxime ad patris sui mentem, partim etiam suis opinationibus emendata dedit. Ego nunc non usus sum nisi Florentini libri testimoniis, quibus solis fidem habendam esse Lachmanno credidi. Praeterea uti mihi licuit exemplari Varronis Spengeliano a. 1826, in cuius marginibus Lachmannus cum ea quae ipse edidit tum alia multa breviter et pertenui scriptura adnotavit. Commodaverat mihi pridem hunc librum Augusti Wilmannsii veteris amici benevolentia, cui viro optimo perdolendum est quod non contigit prohibente negotiorum et officiorum necessitate ut et filum in libello de Varronis libris grammaticis egregie inchoatum pertexeret et quod volebat et diu praeparaverat Varronem de lingua Latina suis rationibus recognitum ederet. Ex Lachmanni adnotationibus marginalibus quasdam ad Ennium aut ad Varronis verba Ennium citantis pertinentes memoravi. Sero mihi innotuit libellus cui auctor Iulius Antonibon inscripsit *Supplemento di lezioni varianti ai libri di lingua Latina di*

M. T. Varrone. Bassano 1899, quo is multis codicibus Varronis de l. L. congestis et collatis scripturas ex iis excerptas disceptat et hoc agit inprimis ut proavi sui Petri Canal merita de Varrone et his maxime libris eius in Germania contempta et neglecta patefaciat et extollat. Ex quo libello ad inc. 39 unum inventum Canali attuli mecum a Plasbergio communicatum (nam libellum ipsum postea demum vidi). Sed ubi verba Ennii iam a typothetis exscripta erant, eiusdem Wilmannsii comitate in meas manus venit ipsa editio Varronis Canali opera a. 1874 publicata (quam Antonibonus p. 6 eiusdem editionem a. 1846 nominat non cognovi). Illa autem quid actum sit index patefacit *M. Terenzio Varrone libri intorno alla lingua Latina riveduti tradotti annotati da P. Canal. Frammenti tradotti e annotati da Federico Ab. Brunetti. Venezia tipographia di Giuseppe Antonelli* 1874. Hunc igitur librum a. 1874 editum possum vere fateri Wilmannsium, hominem vigilantissimum tam quia praefectus est bibliothecae regiae Berolinensis quam quia Varroniana omnia singulari cura persequi solet, anno huius saeculi secundo a nescio quo ad se missum accepisse: unde intelligitur quam iniuste Antonibonus philologos quosdam Germaniae incusaverit quod multa quae a Canalo profecta sint sibi arrogaverint, qui cives suos incusare debuit quorum incuria fit ut libri suorum Alpes non transeant nec fines Germaniae nusquam non reclusos suo tempore intrent. Ego in hoc volumine versus Ennianos a Varrone citatos percurri ne si quid esset quod commemoratione dignum videretur negligerem. Sed praeter illud a me ad inc. 39 allatum pauca inveni quae afferenda ducerem.

In Festo quamquam O. Muelleri liber non plane destituebat eum qui scripturae fidem quaerebat, cum praesertim H. Keilii de codice Farnesiano adnotationes in promptu essent, et mihi de eodem codice nonnulla Rich. Reitzensteinii amicitia perhibuerat, tamen longe fidentius licet eius grammatici testimoniis uti, ex quo novam Festi editionem paravit Aemilius Thewrewk de Ponor, homo eruditissimus mihique amicissimus, qui etiam ante editum Festum quae de excussis a se Pauli codicibus commemoranda habebat comiter mecum communicavit. Is igitur omni genere subsidiorum instructus (a. 1889) ad hoc opus perficiendum ita accessit, non ut emendatum Festum exhiberet, quem nemo requirebat, sed ut eam formam et Festi et eius epitomatoris Pauli exprimendam curaret, quae certissima fide testium niteretur. Et codicis quidem Farnesiani folia quae servata sunt exemplo photographo repraesentata consilio et impensis academiae litterarum Hungaricae a. 1893 publici iuris fecit, sed et de ceteris Festi quae apographorum beneficio supersunt et de Pauli epitoma, licet apparatus criticus, quem se daturum pollicitus est, adhuc desideretur, dubitatio esse non potest quin quae edidit summa testium auctoritate praestentur et confirmentur. Accedit Festi codicis quaternio decimus sextus Mommseni cura editus a. 1864.

Quae condicio litterarum fuerit tum cum primum Ennii reliquias colligere conabar, nulla re magis conspicuum fit quam quod de artium scriptoribus, quibus mihi utendum fuit, unus Charisius recens editus exstabat, a. 1840 Friderici Lindemanni opera recognitus, qui *Corpus grammaticorum Latinorum veterum,* quod restituendum susceperat consilio non improbando sed viribus imparibus, non ultra voluminis quarti fasciculum primum, qui Charisium tenet, produxit. Nunc totum corpus grammaticorum Latinorum septem voluminibus ab a. 1857 ad 1880 Henrici Keilii singulari diligentia cum pari prudentia coniuncta absolutum prostat, accedente etiam H. Hageni supplemento.

Cuius corporis quas partem esse voluit Prisciani institutiones grammaticas, mihi olim praeter Putschium in Krehlii exemplo volvendas, Martinus Hertzius ad similes Keilio non plane compares rationes a. 1855. 1859 recensuit, idem separatim a corpore Gellii noctes Atticas, quas bis a. 1853 et 1886 nudas ab omni adnotatione vulgaverat, a. 1883. 1885 amplissimo apparatu critico cumulatas edidit: qui vir doctus hoc habuit, ut in exponendis copiis sibi vix satisfaceret et nonnumquam nimio citandi aut laudandi studio perspicuitati officeret, in verbis autem auctorum suorum constituendis saepe incerto iudicio vacillaret: ut Gellium mittam, de quo alibi dixi, ne in Prisciano quidem non saepe erravit, cuius, ut hoc utar exemplo, multas voces vel sententias explicandi causa per *id est* insertas resecari iussit, quas neminem fugere poterat plane esse de more huius magistri. Sed hoc utut est, copiae quibus opus est paratae sunt, et quas olim ex codicibus Gellii et Prisciani excerptas scripturas qua erat humanitate mecum communicavit, eae nunc in eius adnotationibus expositae leguntur.

Quid de Nonio Marcello dicam, de quo olim praeter Mercerum Basileenses (a. 1842) consulendi erant, nunc optio data est de tribus editoribus eligendi quem potissimum sequare, qui tamen in eo conspirant ut suum quisque Nonium quam emendatissimum exhibere studeant: id quod mihi ratione parum considerata fieri videtur. Neque enim Nonius is est grammaticus, quem quis oblectamenti causa legere cupiat, sed is potius cuius verba in hac immensa copia testimoniorum ex omni genere litterarum haustorum utenti semper acerrimo iudicio expendenda sint: in qua re non quaeritur quid Caio aut Titio in mentem venerit, verum quid recte aestimata librorum memoria tradat aut suadeat: quod si in textu positum est quamvis depravatum, id melius est, quam iudicium aliena opinione occupari. Quanto prudentius Thewrewkius versatus est in Festo. Sed videamus singulorum virtutes. Et Lud. Quicheratus quidem, qui Parisiis a. 1872 Nonium edidit, ut homo doctus et acutus et qui bonis codicibus uteretur (inprimis Parisiensi n. 7667), poterat huic muneri satisfacere, nisi pravis rationibus seductus esset, sed et in textu multa temere novavit, velut nonnumquam e Cicerone supplevit quae Nonius mutila ac lacera attulerat, et in adnotatione spissa librorum scriptorum et impressorum scripturas ita miscuit, ut

saepe difficile sit internoscere qua quidque fide citetur. I. H. Onions in eo Nonio quem a. 1889, quo anno mortuus est, manu scriptum reliquit, quemque amici eius a. 1895 Oxonii edendum curaverunt, tres libros primos de compendiosa doctrina multorum et bonorum codicum ope recensuit, quorum scripturae discrepantiam commoda ratione in adnotatione exposuit, ut dolendum sit hanc operam perutilem parti tantum Nonii, non integro profuisse. Sed is quoque in versibus potissimum allatis nimis saepe sibi sumpsit ut corrigeret vel suis vel alienis inventis quae depravata haberet: unde fieri non potuit quin multa prava et reiectanea suo textu reciperet. Tertius est Muelleri Nonius, quo edito vivi pervenimus ut quem olim unus liber modici ambitus tenebat nunc duobus voluminibus grandioris formae et fastidiosa luxuria vilis grammaticus impressus prostaret. Sed si quis non externo splendore oculos praestringi patiatur et hunc Nonium intus et in cute noverit, fatebitur, opinor, in summa rei hanc non esse nisi doctiorem inscitiam: nam quod unice rem continet novisse qualis sit iste Nonius librorum fide propagatus, non futilibus opinionibus doctorum deformatus, id non contingit ex his ambagibus nisi operoso labore.

Gratiore specie arridet Servius Thilonis, ei praesertim cui olim necesse erat cum Burmanno evolvere Lionem, h. e. eum editorem qui quid praestandum esset in hoc genere ne obiter quidem percepisset. Georgius Thilo, mihi ex studiorum communione Bonnensi notus et amicus, memini cum tirocinio exacto ut in maiore opera vires exerceret hoc consilium capiebat Servii commentarios Vergilianos sic uti par esset restituendi et praeparatis omnibus se ad itinera accingebat quibus quae opus essent colligerentur. Atque instructus omnibus quae videndum erat ne deessent coepit a. 1881 Servium edere iis rationibus quae hominem circumspectum et omnia litterarum usu metientem decebant: et inde ab hoc anno per sex annos proximos indefesso labore integros commentarios ad omnia Vergilii carmina qui Servii nomine ferebantur sua recensione exactos duobus voluminibus et tertio dimidiato publicavit. Quae restabat pars altera tertii voluminis ceteris commentariis Vergilianis, Bernensibus, Veronensibus, Probi nomen ferentibus destinata et Hermanni Hageni operae qui ab initio operis socius assumptus erat relicta, postquam ambo editores praematuram mortem obierunt, verendum est ne una cum indicibus totius operis pernecessariis frustra exspectetur.*) Quare nihil superest nisi ut his commentariis quales Keilii et Herrmanni et ipsius Hageni studiis editi sunt utamur.

*) Praeter exspectationem meam his pridem perscriptis accidit ut Servii voluminis tertii pars altera quae hunc proprium indicem fert *Appendix Serviana ceteros praeter Servium et scholia Bernensia Vergilii commentatores continens. Rec. H. Hagen. Lipsiae* 1902 post mortem editoris bibliopolae beneficio a doctis hominibus adiuti in lucem publicam prodiret.

Macrobii Saturnalia tum in eo erat ut a Ludovico Iano ad fidem librorum et amplis commentariis explanata ederentur (a. 1852), cum ego incipiebam Ennii reliquias undeunde colligere et ad suam formam revocare, et viri humanitas hoc facile concessit ut singulae plagulae prelo relicto ad me mitterentur. Ex eo tempore Macrobius bis a Francisco Eyssenhardto recognitus a. 1868 et 1893 vulgatus est, ita ut omissis ceteris in Parisiensi et Bambergensi codicibus suam edendi operam contineri vellet: quod etsi non inutiliter institutum est, tamen nec editoris diligentia magnopere laudatur et in Ennio mihi visum est non licere libros a Iano collatos prorsus praetermittere. Idem Eyssenhardtus a. 1866 multorum codicum fide adiutus Martiani Capellae editionem paravit, qua possis abstrusa eius doctrina frui, quae antea ex Grotii Koppiique voluminibus petenda erat.

Plura praeterii quae memorari poterant, quo magis condicio rerum quae tum esset et quae nunc est patefieret: in quibus Porphyrio, cuius commentum in Horatii carmina post Ennium a me editum quattuor editores nactum est, sed quorum duo tantum digni sunt qui laudentur, Gulielmus Meyerus, qui a. 1874 hunc commentarium unius sed probi codicis ope recensuit (cf. Herm. XII p. 190 sqq.), et A. Holderus, qui a. 1894 novo sed simili illius fundamento iacto suam recognitionem exegit.*)

Nec reticere possum Frontonem et Apuleium, quorum ille a. 1867 a S. A. Nabero schedis G. W. du Rieu adhibitis meliore certe cum fide editus est quam in iis quibus mihi olim necesse erat uti editionibus; atque in Naberiana nunc persistendum fuit, quoniam quae ab Edmundi Hauleri peritia exspectatur Frontonis instauratio nondum apparuit. Interim B. Kueblerus a me rogatus inspecto codice Ambrosiano rescripsit quae ad annalium v. 67 adnotavi. Apuleius quibus versibus Ennii usus est in apologia 39 (p. 218 sqq.), ad eos mihi olim in promptu fuerunt scripturae H. Keilii manu ex codice Laurentiano excerptae. Postea semel et iterum apologia eiusdem codicis auctoritate identidem et maiore semper cum cura collati edita est, a. 1864 a Gustavo Kruegero, nuper a. 1900 ab I. van der Vliet, nec ita multo post tertium R. Helmii cura edetur, qui interim ad versus Ennii scripturas ex eodem codice denuo excusso haustas mihi invidere noluit.

In Donati commentario ad Terentium qui sunt versus Enniani ad eos Ludovici Schopeni benevolentia mihi quorundam codicum scripturas perscripserat; qui quam supellectilem criticam collegerat,

---

*) Ex altera scholiorum Horatianorum congerie quae Acronis nomine fertur non poteram quae Ennio adhibenda erant et quae supra p. LXXXVII disceptavi nisi ex F. Hauthalii opere (a. 1864) repetere. Nunc ipsum, absolutis omnibus, affertur eorum scholiorum nova recensio multorum codicum fide excussa ab Ottone Kellero parata, qui volumini primo quod prodiit (Lips. 1902) scholia in carmina et epodos continenti inscripsit *Pseudacronis scholia in Horatium vetustiora*.

ea tum quidem etiam sperabat se aliquando usurum esse ad restituendum hunc commentarium in quo emendando tantam et tam diuturnam curam posuerat. Quae spes quoniam irrita facta est neque quisquam, licet multi voluerint, in eius locum successit, Paulum Wessnerum adii quem constabat omni ope subsidiorum collecta eiusdem commenti recensionem suscepisse: isque mihi ex suis codicibus ad versus Ennianos a Donato citatos quae usui essent liberaliter tradidit. Nuperrime vero postquam fragmenta Enniana a me edita iam pridem prelo defuncta sunt, etiam ipsum commentum Donati in Terentii duas quidem comoedias a Wessnero emendatum lucem vidit.

Denique verbo dicendum est de Isidori Hispalensis originum libris, qui, si ab Arevalo et vetustioribus recesseris, non exstant nisi in volumine tertio corporis grammaticorum Latinorum Lindemanniani, F. W. Ottonis cura, ut ait ille, emaculatus (a. 1833): cuius cura quam non satisfecerit huic muneri nemo ignorat, ac pridem multis de causis exoptandum erat, ut hoc opus insigni varietate rerum conspicuum aliquando sanis rationibus et ad fidem testium in pristinam formam restitueretur. Sed qui hoc consilium ceperat multosque iam codices in eum usum perquisiverat et contulerat (vide Mommseni ad Solinum praef.), Bernhardus Kueblerus, nuper postquam vocabularii iurisprudentiae grandi hercle operi et perutili perpetrando totum se dedit, Isidorum iuri condonans ab eo munere, cui par et paratus fuerat, recessit: tamen idem mihi ad reliquias Ennii quas Isidorus affert iam paratas codicum copias non invitus reclusit.

Enumerationem hanc subsidiorum quibus in recensendis Ennii versibus uti licuit non finiam nisi Georgii Goetzii benevolentia laudata, qua is *corporis glossariorum Latinorum,* in quod post Loewium tot annorum studium impendit, volumina, sic ut absoluta erant, ad me mittere voluit cum cetera tum inprimis sextum, quod est instar omnium, cuius partes duae (a. 1899 et 1900 editae) etsi eo tempore ad me venerunt quo reliquiae Ennianae a me perscriptae iam typothetarum manus exercebant, tamen si quae glossae indicium originis Ennianae paulo certius prae se ferebant, quantum eius fieri poterat, adiuvante me Plasbergio, excerptae et suis locis adnotatae sunt.

His subsidiis adiutus et benevolentia doctorum confirmatus hanc iteratam recensionem Ennianarum reliquiarum perficere ut potui conabar: in qua hanc mihi legem scripsi, primum ut testimonia veterum accurate et cum fide perscriberentur ita quidem ut et quo consilio versus Ennii afferrentur et qua forma a suis auctoribus allati essent satis certo appareret, non quo omnem scripturae discrepantiam ex editorum libris mihi repetendam censerem sed quia tantum afferendum duxi quantum opus esset ad rem iudicandam, deinde ut in altera adnotatione, in qua quae recte scripta et recepta essent cum auctoribus suis perhibenda erant (neque enim meum esse putavi quidquid a quocumque temptatum erat enumerare), non omitterem, quan-

tum possem, rationibus aut collectis exemplis confirmare ea quae emendate tradita aut probe correcta esse mihi persuaderem, atque omnino omnia in utraque adnotatione asciscerem quaecumque ad intelligendos sensus poetae et sermonem eius recte aestimandum conferre posse viderentur. Nam licet non dubitem quin de multis alii aliter iudicaturi sint, tamen nihil esse utilius reor ad rem controversam disceptandam quam cognitis alienis rationibus dimicare.

II. DE LIBRIS ENNIANIS

Quae in hac parte praefationis exposui non plane nova sunt neque vero prorsus eadem quae olim in *Quaestionibus Ennianis* quas praemiseram de argumentis et compositione annalium inprimis et reliquorum librorum praeter tragoedias disserui. Ac de tragoediis quidem et quibusdam aliis libris, in quibus adnotationes plerumque ferunt quae necessaria sunt aut utilia ad rem declarandam vel sensus patefaciendos, velut in tragoediis Graeca ad suos versus adscripta sunt omnia, hac generatim disputandi opera sine detrimento supersederi poterat. In annalibus alia res: quamquam enim progredientis narrationis itinera indiciis marginalibus, quod eius fieri poterat, significare temptavi, tamen multa sunt in restitutione magni operis de quibus fidem facere nisi testimoniis et argumentis expositis, praesertim controversia nata, non possis. Itaque sic statui tenorem narrationis, quem olim per singulos annalium libros, quoad per reliquias licebat, persecutus eram, retinendum et ad ordinem numerumque versuum qui nunc est, non plane idem cum superiore, accommodandum esse, sed ita ut in singulis quaedam resecarentur, alia corrigerentur, multa sive in textu sive in adnotatione adderentur. Maxime autem quasdam quaestiones latius patentes, in quibus aut a meis pristinis aut ab aliorum opinionibus mihi discedendum esse vidi, non detrectavi quominus prolixioribus disputationibus profligarem quae suis locis insererentur.

Quae ita nata sunt, dimidio saeculo intercedente, veteribus et novis varie inter se mixtis, nemo credat mihi valde placere, nec mirabor alios cum risu ea aspernaturos, sed quoniam haec plane abesse nolui, recens scribere non potui, tamen ita aliquo modo rei utilitati provisum iri putavi.

De tragoediis et ceteris libris quantum satis esset adieci.

cap. I Annales duodeviginti libris compositos fuisse constat, cum olim fuerint, quibus quadragesimum nimirum librum levicula Festi (p. 340, 22 Th. ann. XI fr. I) corruptela, quam pridem sustulit Ursinus, probaret. Rem conficit et grammaticorum silentium, quorum nemo librum ultra duodevicesimum citavit, et testimonium Diomedis (p. 484, 3 K.): *epos Latinum primus digne scripsit is qui res Romanorum decem et octo* (*quindecim* codd. in parte repetita) *conplexus est libris, qui et annales scribuntur, quod singulorum fere annorum actus con-*

tineant, sicut publici annales quos pontifices scribaeque conficiunt, vel Romanis), quod Romanorum res gestas declarant.* Haud dubie Ennium, quem non dicit nomine, significavit. Sed quod poetam singulorum fere annorum actus persecutum dicit, illud ne quem in errorem inducat animadverti velim non tam e carminis cognitione fluxisse, quam quo carminis indicem suo periculo explicare grammaticus temptaret. An inter maximos annales et Ennii poesim hoc tantum interfuisse putas, quod illi pedestri et satis arido stilo exarabantur, Ennius versus et curatiorem orationem adhibuit? Nec id me valde movet, quod vestigia quaedam notati anni et temporis in his fragmentis supersunt (ann. 163. 501 sq.). Immo Ennius communi tum temporis historiae significatione annales nominavit historici generis poesim et quae a primordiis urbis res Romanas repeteret.

Per libros carmen ipse poeta distribuit: quam rem quidam a Vargunteio grammatico institutam affirmant, bono teste ut sibi videntur Suetonio usi, qui (de gramm. 2 p. 101 R.) *hactenus tamen* ait *imitati, ut carmina parum adhuc divulgata . . . diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent; ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros; ut postea Q. Vargunteius annales Enni, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat; ut Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus Lucili saturas.* At a Suetonio nihil tale memorari concedet, qui verba et sententiae nexum propius aspexerit, cuius de ea re silentium mihi adeo pro diserto esse testimonio videtur. Verum alios duos prodire testes iubeo, qui quod ille tacendo docet aperte et ut absit dubitatio tradunt. Plinius enim haec in naturali historia (VII 101) refert (ann. XVI fr. I): *Q. Ennius T. Caecilium Teucrum fratremque eius praecipue miratus propter eos sextum decimum adiecit annalem.* Quae memoria hausta, ut videtur, ex vetustis alicuius grammatici commentariis difficultate quidem impedita est aliqua, quam suo loco proponam: hoc tamen apparet, ita nec Plinium nec eum cuius ille auctoritatem sequitur locuturos fuisse, nisi Ennium carmen per singulos libros conscripsisse pro comperto

---

*) *Romanis* libri, *Romais* reposuit Reifferscheidius (id quod iam ante I. Bernaysius cogitaverat mecumque communicaverat); quod si verum est, ut videtur, grammatici nescio cuius inventum esse probabile est; cuius praeterea nullum exstat vestigium, et ne Lucilius quidem cum scriberet (302 sq. L.) *tota Ilias una est, una θέσις sunt annales Enni,* aut Varro (Men. 398 B.) qui dicit *poesis est perpetuum argumentum e rhythmis ut Ilias Homeri et annales Enni* maluerunt *Iliadi Romaidem* coniungere quam *annales,* licet illud aptius fuerit, ut Diomedes ipse scribit (p. 483, 5) *species heroica, ut est Iliados et Aeneidos.* Quo minus credibile est hanc inscriptionem ad Ennium ipsum redire. Simile quid sed contra accidit Aeneidi, de qua Servius in VI 752 *unde etiam* inquit *in antiquis invenimus opus hoc appellatum esse non Aeneidem sed gesta populi Romani: quod ideo mutatum est quia nomen non a parte sed a toto debet dari.*

fuisset. Atque tertio ante obitum anno duodecimum annalem adiecisse eum alter quem provocavi testis Gellius (n. A. XVII 21, 43) affirmat cum ita dicit *Claudium et Tuditanum consules sequuntur Q. Valerius et C. Mamilius quibus natum esse Q. Ennium poetam M. Varro in primo de poetis libro scripsit eumque cum septimum et sexagesimum annum haberet duodecimum**) *annalem scripsisse idque ipsum Ennium in eodem libro dicere.*

De numero versuum, quot singuli libri continuerint, periculosum est aliquid velle statuere. Amplissimos fuisse libros tractandae materiae ubertas indicat, ac brevitatis studium alienum erat et a carminis genere et ut e longioribus quae supersunt fragmentis dispicitur a poeta. Verum tamen si licet in re obscura coniectura ludere, quae eam quam animo informavi carminis imaginem perficiat, cum unius libri mille et quingentos vel sescentos vel adeo octingentos versus fuisse assumam, non multum a vero numero videor declinare. Unde apparet, quantilla pars quanti carminis ad nos pervenerit, quoniam omnes versus versuumque particulae computatae vix tertiam partem unius ex duodeviginti libris adaequent. Larga materies ei qui Merulae exemplum imitatus e Livio, Dionysio, aliis rerum scriptoribus suo periculo explere immensa intervalla susceperit, in quibus versiculi ut apud Vergilium illi 'rari nantes in gurgite vasto' vagantur. Sed annales Romanos spiritu, si dis placet, Enniano conscribere aliis relinquo, ipse contentus si non infeliciter et fines argumentaque librorum et mediocris versuum partis nexum ac sensum indagare contigerit.

Fragmentorum numero reliquis facile praestat primus annalis, in quem non paucos versus opinatione intuli sive aliorum sive mea, nec si cui paulo hic liberius usus coniectura videor, id sine ratione factum. Nempe ex initiis potius quam e mediis et extremis carminibus grammatici depromere exempla solent, ut probabilior sit hoc nomine suspicio quae huic libro quam quae alii tribuat fragmenta.

Exordium (I—XII) Ennius Homerum imitatus capit ab invocatione Musarum sive Camenarum, quas Latini vocabant (I. II), quarum quod hic mentionem iniecit, ex more fecit poeta, qui inferre voces peregrinas in patrium sermonem fere nisi explicitas et cum vulgaribus compositas noluit: de quo more alibi plura expromam. Illud tantummodo mirum, quod vel in carminis prooemio et in Musarum appellatione grammaticum agit, quamquam vix aptiorem huic versui sedem quam in prima Musarum commemoratione reperias.**) Earum ope ut vide-

---

*) *duodecimum,* non *duodevicesimum,* libri Gelliani (cf. ann. XII fr. V); quod verum esse ad eum librum ipsum exposui; sed ita ut vel sic appareat Ennium ipsum suam poesim per libros distribuisse et distributam edidisse; id quod etiam exordio libri septimi confirmatur.

**) De utraque re contra sensit Ribbeckius qui a. 1856 in mus. Rhen. X p. 265 sqq. opusculi mei censuram fecit, sed ita ut nimis saepe, paene ipso fatente, levibus opinionibus indulgeret, quas refellere longum est et inu-

tur clarum carmen et immortale futurum auguratus a φιλαυτίᾳ scilicet non ita alienus poeta (III)*) nescio quibus gradibus et quo nexu sententiae ad illud celebre somnium pergit, unde diligens Ennii sectator Vergilius colores quosdam somnii Aeneae deprompsit. Cf. Aen. II 270 sqq. et Servius ad h. l.**). Species venientis Homeri quo fere modo depicta fuerit Lucretio duce et ascitis Vergilii versibus l. i. c. exposui. De materia somnii h. e. de iis quae Homerum aperientem facit, ex parte testimoniorum causa, cum olim tum nuper prave iudicatum est. Qua de re eandem quam olim sententiam argumentis accuratius expressis meliusque ordinatis defendere conabor. Incipiendum autem est ab interpretandis versibus Lucretianis, qui hoc patefacient, quos versus Ennii probabile sit in hac parte locum habuisse. Itaque Lucretius quae affert ex unis annalibus affert: cum enim Ennium ita designat (117 sqq.) *qui primus amoeno detulit ex Helicone perenni fronde coronam per gentes Italas hominum quae clara clueret,* cum somnii memor est quod is se somniasse in Helicone dixit, idque 'in principio annalium' fuisse fide testium constat, tum poetae 'in primo' magnifice suam famam futuram profitentis: nam versus (III) ne in ea quidem forma quam traditam servavi ab illa sententia discedit. Quapropter *Acherusia* quoque *templa,* quamquam eadem in Andromacha (XII) plane alia ratione appellantur et describuntur, Lucretius ex annalibus petiit,

---

tile. In hac quaestione hoc dico, Varronis testimonio declarari Ennium Musas ut Homerum priusquam ad rem accederet invocasse; Fronto autem quae scribit (IV) recte scribit, etiam si invocatio Musarum prior fuit somnio: εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ποιήσεως ait Dio Chrysost. XII 62 de extremo Iliadis libro primo. Musis invocatis quod Camenarum appellatio adiungitur nec fit praeter consuetudinem sive Ennianam sive Vergilianam, cuius poetae pauca ipse attulit Ribbeckius, et late hic usus patuit etiam apud scriptores, et quoniam Camenae a canendo dictae credebantur (praeter Varronem l. c. Paulus Festi p. 30, 34 Th. *Camenae Musae a carminibus sunt dictae, vel quod canunt antiquorum laudes* eqs), quod Odyssea dicit VIII 73 *Μοῦσ' ἄρ' ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν* et ib. 480 sq. et alibi, id Latino nomine apertius indicabatur; ac si nunc haec frustula sic nude iuxta posita sunt, quis effinxerit qua continuae orationis forma usus sit ingeniosus poeta, quem ille 'Musarum discipulum' vocavit.

*) Sententia sic fere suppleatur *nam latos populos res atque poemata nostra [Auguror esse audituros]*; de *cluebant* incertus haereo.

**) De qua re vide nunc quae a. 1896 exposui in relat. acad. p. 717 sqq. — Somnii Enniani ipsius exemplum Graecum fuisse Lehrsius (*popul. Aufs.* ed. 2 p. 129 n.) optavit magis quam divinavit. Id quale fuerit perdocta disputatione probavit C. Diltheius (de Callimachi Cydippa 1863 p. 15 sq.) qui epigrammatis *ἀδεσπότου* (anthol. Pal. VII 42) memor hoc testimonio docuit in exordio aetion Callimachi somnium enarratum fuisse quo poeta a Libya in Heliconem et inter medias Musas translatus ab iis heroum et deorum causas didicerit. Cf. O. Iahnius ad Pers. prol. 1. Quod multi poetarum Romanorum imitati sunt, in quibus princeps Ennius, nisi quod is in Helicone (Lucret. I 118, Propert. III 3, Parnasso Persius prol. 2) somnians non a Musis se sed ab Homero edoceri voluit. Quo magis haec separata esse a Musarum invocatione apparet.

in quibus Ennius non solum ex his Acherusiis templis Homeri speciem sibi exortam narravit, sed in ea templa ipsa affirmavit neque animas neque corpora nostra sed simulacra quaedam miris modis pallentia devenire. Etenim de natura animarum disserit Lucretius et de ea re quid Ennius senserit docueritve exponit. Qui quod corpora humana negavit in Acherontem deferri, in promptu sunt versus Ennii (x) *terraque corpus quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum*; quibuscum quod quadam tenus conspirant versus ad Epicharmum relati (iv) *terris gentis omnis peperit et resumit denuo* eqs, certius est in hoc metrorum discrimine hos Epicharmi, illos autem annalium esse. Porro inter diversas quae sint de animarum natura sententias cum Lucretius afferat (112 sq.) *ignoratur quae sit natura animai, nata sit, an contra nascentibus insinuetur,* intelligitur haec Enniana quae eandem prae se ferunt sententiam (ix) *ova parire solet genus pennis condecoratum non animam, et post inde venit divinitus pullis ipsa anima* in illa parte annalium posita fuisse. Neque de ea me opinione deiicient versus Epicharmi a Kaibelio in com. Graec. fragm. i p. 123 editi *καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος, αἰ λῇς καταμαθεῖν, ἀτενὲς οὐ τίκτει τέκνα ζῶντ᾽ ἀλλ᾽ ἐπῴζει καὶ ποιεῖ ψυχὰν ἔχειν*, quibus negari non potest non nihil similitudinis esse cum Ennianis. Sed duplex ratio quam inii, a Lucretio et ab annalium poeta petita, prohibet quominus his alia sedes assignetur. Quae sequuntur sententiae in illa enumeratione Lucretiana (115 sq.) *an tenebras Orci visat vastasque lacunas, an pecudes alias divinitus insinuet se, Ennius ut noster cecinit,* earum primam vidimus Ennium negare veram esse, qui Acherusia quidem templa esse 'aeternis versibus' edidit sed in ea neque animas neque corpora mortalium pervenire censuit; alteram autem, quam Ennii esse aperte dicit Lucretius, eam esse credas in qua explananda maxime commoratus sit Homerus Ennianus, ut post alias vicissitudines quas subierit denique suam animam in Ennii corpus translatam fateretur. Ex qua parte superest hodie versiculus (xi) *memini me fiere pavum,* cuius sensum et Persii verba de Ennio *postquam destertuit esse Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo* declarant et quae ibi interpres adnotavit aliique testes complures quos suo loco attuli: neque Goettlingius (*Gesamm. Abhandl.* ii p. 234 sqq.) aut Ennii versum aut Persii verba mirabilibus rationibus in alienam vim detorsisset, si saltem, ne de Lucretio dicam, Ennii *somnia Pythagorea* meminisset quae Horatius irrisit. Denique Lucretius cum Homerum dicat (126) *rerum naturam expandere dictis* coepisse, credibile fit eum naturam animarum altius et ab universa rerum natura repetivisse: quare me non paenituit versum (viii) *quae cava corpore caeruleo cortina receptat* huic loco vindicasse et sic ut olim emendatum edidisse: in quo *cortinam* 'medium caeli terraeque aera' ut Ovidius loquitur (met. v 644) dici et sententiam eam fere esse existimo quam Lucretius (v 275) expressit cum dicit *quodcumque fluit de rebus, id omne aeris in magnum fertur mare.*

Extremo somnio nunc ut olim fide Persii adieci versum (xii) *Lunai portum, est operae, cognoscite, cives.* Cum enim Persius praemisso hoc versu dicat *cor iubet hoc Enni postquam destertuit esse Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo,* h. e. postquam Ennius desiit esse Homerus qui sibi esse videbatur per somnium et suam veram naturam excusso somno repetiit, non possum intelligere Ennium nescio quot annis post id somnium finitum (quemadmodum Ribbeckius cumque eo alii interpretantur), sed eo ipso temporis puncto quo ex somno surrexit illo versu cives appellasse, nisi quis, cum Vergilius (vii 659) de Aventino dicat *quem Rhea sacerdos furtivum partu sub luminis edidit oras, mixta deo mulier, postquam Laurentia victor Geryone extincto Tirynthius attigit arva,* non tempus reditus sed posterius quoddam post reditum tempus designari arbitratur. Sed Persius, sicut par fuit, somnium appellat quo illum stertuisse dicit, intelligit narratum somnium, quam finitam narrationem excepit versus de Lunae portu, isque nobis fidem facit hunc pulcherrimum locum fuisse ex quo Ennius sibi per somnum in Heliconem esse tralatus videbatur. Vide quae in eandem sententiam de versu et de loco pluribus exposui a. 1886 in actis academ. *('Über die Annalen des Ennius')* p. 37 sq.

Ipsa narratio, cuius quasi capita et in actis academicis quae dixi p. 10 et notis marginalibus ad versus adiectis significavi, exorditur a rebus Aeneae, quibus qui tribuantur versus hodie duodeviginti superstites sunt (xiii—xxvii). Eorum agmen ducit is, quem et olim primum fuisse narrationis opinor (xiii), cuius ut plana est sententia, ita non diutius in Troiae ruina commoratum esse poetam ostendit. Ut narrationis Ennianae iter paene fuerit quale Vergilii est in tertio Aeneidos *Postquam res Asiae Priamique evertere gentem visum superis . ., diversa exilia et desertas quaerere terras auguriis agimur divum* eqs. Itaque Anchises a Venere edoctus patriam iubet relinqui (xiv), si quidem haec vis esse horum versuum videtur, cui sententiae favet fortasse quod Dionysius Halicarnassensis i 48, 2 de Sophoclis Laocoonte tradit, quantumvis ceteroquin ea tragoedia distet a memoria Ennii, *Σοφοκλῆς μὲν ὁ τραγῳδοποιὸς ἐν Λαοκόωντι δράματι μελλούσης ἁλίσκεσθαι τῆς πόλεως πεποίηκε τὸν Αἰνείαν ἀνασκευαζόμενον εἰς τὴν Ἴδην, κελευσθέντα ὑπὸ τοῦ πατρὸς Ἀγχίσου κατὰ τὴν μνήμην ὧν Ἀφροδίτη ἐπέσκηψε.* Anchises est etiam (xv) *pater* qui ut sibi pareatur orat et instat in versu ex i annalium citato. Quibus addatur ex incertis annalium i *sed sola terrarum postquam permensa parumper,* in quo versu *permensa* vi passiva accipiendum duco, nisi quis forte leni manu emendare *permensu'* malit. De Aeneae itineribus, quo modo apud Ennium exornata fuerint, nec fragmentis docemur nec e Vergilio certiori locus coniecturae est: quem magnam partem primi libri ad Naevii exemplar composuisse Macrobius testatur (Sat. vi 2, 31) *in principio Aeneidos tempestas describitur, et Venus apud Iovem queritur de periculis filii, et Iuppiter eam de futurorum prosperitate sola-*

tur. hic locus totus sumptus a Naevio est ex primo libro belli Punici. Neque tamen, quoniam non desunt in ea narratione Vergilii quaedam ab Ennio deprompta, ab hac parte omnino usus eius poetae alienus est. Vel hos versus *Iuppiter hic risit tempestatesque serenae Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis* (ann. lib. inc. III) quid impedit quominus simili nexu olim apud Ennium habitos existimemus, quo paulo politiores postea Vergilius intexuit Aen. I 254 sq. *olli subridens hominum sator atque deorum vultu, quo caelum tempestatesque serenat*? Cum praeterea e primo annali allati diserte versus (XVI. XVII) descendentem de Olympo Venerem designare viderentur, inde nata coniectura est, si non plane certa tamen haud improbabilis, et tempestatis, qua Aeneas apud Vergilium defertur, in annalibus quoque mentionem nec Veneris nullas in eo itinere partes fuisse. At potuit haec Ennii narratio multum differre ab eo, quem Vergilius secutus est, Naevio, ut ea suspicio propter Macrobium non evertatur omnino: velut de Didone, quae tota Naeviana est, Ennium puto nihil tradidisse; fragmentum quidem vel testimonium, quo eam rem evincas, non exstat, nisi quod *Poenos Didone oriundos* (290) appellat et historiam Carthaginis ab origine repetiit in septimo.

Advenit Aeneas in Italiam: designantur eius terrae situs et incolae pristinumque nomen adfertur (XVIII. XIX. XX. XXVII): quae quidem dubium est ab ipsone poeta dicantur an ab alio nescio quo quem loquentem inducat. In Aeneide I 530 Ilioneus Aeneae socius *est locus* inquit, *Hesperiam Grai cognomine dicunt, terra antiqua, potens armis atque ubere glebae, Oenotri coluere viri; nunc fama minores Italiam dixisse ducis de nomine gentem; hic cursus fuit*; similiter III 163 sqq. Hesperiam, priscam Italiae appellationem, Ennius a Graecis mutuatus videtur, velut Agathyllus poeta Arcas apud Dionysium Halic. I 49, 2 de Aenea scribit αὐτὸς δ' Ἑσπερίην ἔσυτο χθόνα.*) De priscis Latinis (XIX), quoniam non possum haec primordia urbis Romae enarrare plenius, satis sit memorasse Paulum Festi ita dicentem p. 282, 30 Th. *prisci Latini proprie appellati sunt hi qui prius quam conderetur Roma*

---

*) Vergilius etiam praeter illos supra citatos versus Hesperiam saepe appellavit, velut haec Didonis sunt Aen. I 569 *seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva sive Erycis fines regemque optatis Acesten,* et II 781 in Creusae vaticinio *et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva inter opima virum leni fluit agmine Thybris* (cf. ann. 173); et Anchises de Cassandrae vaticinio III 184 *nunc repeto haec generi portendere debita nostro et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare,* al. Itaque Ennius quoque *Hesperiam quam mortales perhibebant* dicere poterat: cf. ann. 409 *arcus . . mortalibus quae perhibentur.* Dicendi genus *Est locus* cum descriptione quae deinde pronomine *huc* vel *illic* excipitur, quod non semper recte iudicari video, frequens fuit tam apud Graecos vel inde ab Homericis carminibus (Od. IV 844 ἔστι δέ τις νῆσος . . . τῇ τόν γε μένον; Il. II 811 ἔστι δέ τις . . αἰπεῖα κολώνη . . . ἔνθα τότε; Aeschyl. Prom. 844) quam apud poetas Romanos (Ovid. fast. II 491 *est locus, antiqui Capreae dixere paludem: forte tuis illic . . iura dabas*).

fuerunt; et quae Vergilius habet Aen. v 596 *hunc morem cursus atque haec certamina primus Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam, rettulit et priscos docuit celebrare Latinos,* et is qui paene cum illo consentit Dionysius Halic. I 45, 2 *μείζονα περιβάλλονται πόλιν, ἣν Ἄλβαν ἐκάλεσαν, ἐξ ἧς ὁρμώμενοι πολλὰς καὶ ἄλλας πόλεις ἔκτισαν τῶν κληθέντων Πρίσκων Λατίνων.* Saturniam autem terram et eius nominis originem a Saturno rege pulso ex Olympo et in Italia exsulante ductam hoc tenore memorasse Ennium multa sunt quae probabile reddant, ex quibus haec afferam, Vergilii verba (Aen. I 569) supra allata *Hesperiam magnam Saturniaque arva,* et Dionysium Halic. I 35, 3 *τὰ δὲ πρὸ τούτων Ἕλληνες μὲν Ἑσπερίαν καὶ Αὐσονίαν αὐτὴν ἐκάλουν, οἱ δ' ἐπιχώριοι Σατορνίαν, ὡς εἴρηταί μοι πρότερον* h. e. c. 34, 1, ubi primum congruenter cum Varronis testimonio scribit *ὃς νῦν μὲν Καπιτωλῖνος ὀνομάζεται, ὑπὸ δὲ τῶν τότε ἀνθρώπων Σατόρνιος ἐλέγετο ὥσπερ ἂν εἴποι τις Ἑλλάδι φωνῇ Κρόνιος* et paulo post (5) *ὡς δ' ἐγὼ συμβαλλόμενος εὑρίσκω, καὶ πρὶν Ἡρακλέα ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν ἱερὸς ἦν ὁ τόπος τοῦ Κρόνου καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων Σατόρνιος, καὶ ἡ ἄλλη δὲ ἀκτὴ σύμπασα ἡ νῦν Ἰταλία καλουμένη τῷ θεῷ τούτῳ ἀνέκειτο, Σατορνία πρὸς τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη, ὡς ἔστιν εὑρεῖν ἔν τε Σιβυλλείοις τισὶ λογίοις καὶ ἄλλοις χρηστηρίοις κτλ.* Qui c. 36 ita pergit *Ἔστι δέ τις καὶ ἕτερος λόγος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων μυθολογούμενος, ὡς πρὸ τῆς Διὸς ἀρχῆς ὁ Κρόνος ἐν τῇ γῇ ταύτῃ δυναστεύσειε.* Denique Ovidium in fastis I 235 *hac ego Saturnum memini tellure receptum: caelitibus regnis a Iove pulsus erat; inde diu genti mansit Saturnia nomen* eqs et Vergilium Aen. VIII 319 *primus ab aetherio venit Saturnus Olympo arma Iovis fugiens et regnis exsul ademptis* ... (329) *saepius et nomen posuit Saturnia tellus.* Itaque videor mihi recte XX. XXI. XXII coniuncta hoc loco inseruisse: quamquam non ignoro fuisse qui XXI et XXII Ennii Euhemero adscribi mallent, et maxime hoc posterius *cum suo obsidio magnus Titanum premebat* a Nonio non indicato libro citatum comparatis verbis quae Lactantius ex eo libro affert *deinde Titan postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam se, seducit secum filios suos qui Titani vocantur, fratremque suum Saturnum atque Opem comprehendit eosque muro circumegit et custodiam his apponit* (Euh. IV) imprimis Geyza Némethy (Euhem. reliq. Budap. 1889 p. 19sq. 56), ut mittam alios, sic emendatum *cum sos* (h. e. Saturnum et Opem) *obsidio magnus Titanus premebat* Euhemeri reliquiis recipiendum esse confidenter posuit ex eaque re hunc librum Ennii heroicis versibus exaratum fuisse collegit. De hac quaestione nunc agendum non est, sed emendatio ista, si quid sentio, probabilis non est, ac licet versus vel ea forma quam recepi aliquid similitudinis habeat cum iis quae Lactantius attulit, tamen Nonium Ennii Euhemerum cognitum habuisse multum abest ut credibile sit: quem librum Varro (Euh. XIII) subindicat paucis notum fuisse, ac praeter Ciceronis commemorationem ab aliis repetitam,

qui reliquias ex eo libro servaverit unus inventus est Lactantius. Accedit quod XXI *Saturno quem Caelus genuit,* quem versum item nullo negotio Euhemeri reliquiis Lactantianis (I. II. VI) accommodes, annalibus vindicari videtur propterea quod is versus, quem simul afferunt grammatici, non poterat nisi ex annalibus depromptus esse. Cf. p. XCIII.

Cum Albano rege Aeneas congreditur (XXIII. XXIV. XXV. XXVI). Alba enim, ubi res, de quibus infra exponam, Iliae geruntur, apud Ennium multo ante Aeneae adventum exstructa; ut illum credibile sit confestim ad hunc regem perrexisse. Sciscitante igitur Albae rege de advenarum origine, inde a Iove gentis principia deducit, non aliter atque is, qui Ennio obversabatur, Homeri Aeneas Il. XX 215, quando his Graecis (239) *Ἀσσάρακος δὲ Κάπυν, ὁ δ᾽ ἄρ᾽ Ἀγχίσην τέκε παῖδα, αὐτὰρ ἔμ᾽ Ἀγχίσης* respondent fere ad verbum Enniana *Assaraco natus Capys optimus isque pium ex se Anchisen generat* (XXIV). De ea origine praeter grammaticorum testimonia ad ipsos versus adscripta dixerunt, ut paucos afferam, Ovidius fast. IV 34 sqq. Silius Italicus XI 292 sqq. et e Graecis Dionysius Halic. I 62 et Appianus I p. 15, 2 Mend. Ennium secutus est Vergilius (Aen. VIII 127 sqq.), qui Aeneam facit Euandro regi de origine generis enarrantem. Is cum Atlantem, 'aetherios umero qui sustinet orbes' (137) vel 'caeli qui sidera tollit' (141), inter gentis auctores designet atque hoc praeterea sermone Enniano utatur (150) *accipe daque fidem,* non sine probabilitate et fr. XXIII de Atlante intelligas, quem in proavorum numero Aeneas laudaverit, et fr. XXV eidem Aeneae amicitiam societatemque cum rege Albano iungenti attribuas. Non negaverim, id quod editores statuunt, versum Ennii (XXIII) etiam de Iove potuisse intelligi, de quo Vergilius (Aen. IX 92) dicit *torquet qui sidera mundi* et sim. Nam quod est apud Isidorum (de nat. rer. c. 14, 2) ex Ambrosio repetitum *cum et ipsi* (scil. *sapientes mundi*) *dicant volvi caeli orbem stellis ardentibus refulgentem,* non est quod ad Ennium referatur, si quidem vel Lucretius similiter locutus est (VI 357) *autumnoque magis stellis fulgentibus apta concutitur caeli domus.* Sed certe ad Enniani versus formam *qui caelum versat stellis fulgentibus aptum* nihil propius accedit quam quod Vergilius bis (Aen. IV 482 et VI 797) de Atlante dixit *maximus (caelifer) Atlas axem umero torquet stellis ardentibus aptum,* quem cum versu Enniano Macrobius composuit. Ceterum Atlantis apud Ennium mentionem fuisse Servii testimonia ad illum versum adscripta fidem faciunt, qui tradit Ennium dixisse Atlantem vocari Telamonem, id quod ex eo more, quem supra tetigi, probabile est in prima Atlantis appellatione additum fuisse. Quare quoniam Aeneas Vergilianus Atlantem inter proavos appellavit, maneat hic versus Aeneae et de Atlante dictus sit. Eidem Aeneae quod Vergilium secutus XXV tribui, concedo eadem Albano regi in eodem colloquio posse adscribi. Dionysius Halic. I 58, 5 Latinum cum Aenea congredientem facit in simillimam Enniano versui sententiam loqui *πίστεις τούτων ἀξιῶ δοῦναι καὶ λα-*

βεῖν, αἳ φυλάξουσιν ἡμῖν ἀδόλους τὰς ὁμολογίας. Ad congressum cum Aenea rettuli versum (xxvi), a quo responsum regis Albae longae initium capiebat, quamquam non nescio postea in rebus Iliae Albanorum regem Amulium memorari (vide ad xxx adnotata), ad quem haec non minus recte referri poterant. Denique 'homines quos Laurentis terra recepit' (xxvii) haud dubie Aeneas et comites eius dicuntur, quos primum Laurentum advenisse praeter ceteros Dionysius Halic. refert i 45, 1 *Τρῶες οἱ σὺν Αἰνείᾳ διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου .. κατέσχον εἰς Λωρεντὸν αἰγιαλὸν Ἀβοριγίνων ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενον οὐ πρόσω τῶν ἐκβολῶν τοῦ Τεβέριος,* idem i 53, 3 et Appianus vol. i p. 15, 5 Mend. Paulus Festi p. 559, 4 Th. *Troia .. dicitur et locus in agro Laurente, quo primum Italiae Aeneas cum suis constitit.* Sed Enniana non de adventu Aeneae et Troianorum verum de nescio quo posteriore tempore esse accipienda *quondam* particula testis est, velut, ut hoc utar, de nece Tatii a Laurentibus perpetrata (Livius i 14 Plutarch. Rom. c. 23. 24) cogitare liceat. Sed quia hoc incertum est, fragmentum, quod tamen ad res Aeneae pertinet, in extrema de Aenea narratione apposui. De obitu Aeneae quid Ennius tradiderit nescitur, nisi unum inter deos relatum Servii testimonio ad xxviii adscripto constat. Obiisse ante coeptam Iliae calamitatem ex eius somnio (44. 47 sqq.) colligitur.

Itaque devenit disputatio ad Iliam (xxviii—xxxiii), quam apud Ennium Aeneae natam fuisse non fallaci Servii testimonio constat ad xxviii allato *dicit namque* (Ennius) *Iliam fuisse filiam Aeneae; quod si est, Aeneas avus est Romuli.* De quo testimonio propter *quod si est* locutionem addubitavit Schweglerus (hist. Rom. i p. 407), an exploratam rem Servius prodat ac non potius illa ex ambiguo Ennii dicto suo periculo concluserit. Non iure, si quid video. Nam ut mittam concludendi formulam ad interpretandam vocem Vergilianam *(avo)* pertinere, etiamsi Ennius Aeneam, qui ante puerorum partum obierat, fortasse nusquam Romuli avum nominarit, hoc tamen non minus constat, alterum si verum est, Iliam fuisse Aeneae filiam: id quod Servius nec hoc loco nec altero, quem statim afferam, in suae cuiusdam conclusionis speciem tradit, cum praesertim ea memoria non Ennium tantum sed etiam Naevium attineat. Namque ita Servius eodem loco allatus *Naevius et Ennius* ait *Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.**) Testimoniis favent residua quaedam in ipsis

---

*) Dionysius Halic. i 73, 2 *τούτων* (*συγγραφέων Ῥωμ.*) *δέ τινες μὲν Αἰνείου υἱοὺς λέγουσι Ῥωμύλον τε καὶ Ῥῶμον τοὺς οἰκιστὰς τῆς Ῥώμης, ἕτεροι δὲ θυγατρὸς Αἰνείου παῖδας, ὅτου δὲ πατρὸς οὐκέτι διορίζοντες.* Diodorus vii (vol. ii p. 109 Dind.) *ἔνιοι τῶν συγγραφέων πλανηθέντες ὑπέλαβον τοὺς περὶ τὸν Ῥωμύλον ἐκ τῆς Αἰνείου θυγατρὸς γεννηθέντας ἐκτικέναι τὴν Ῥώμην,* et paulo post *περὶ τῆς προσηγορίας ταύτης Φάβιος ὁ τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας ἄλλως μεμυθολόγηκεν.* Cf. Mommsenum quaest. Rom. ii p. 268 sqq.

hodie fragmentis vestigia. Iliae enim, ut ipsa narrat (XXVIII), per somnium pater apparet illamque suam gnatam appellat. Quae qui plane ac simpliciter Ennium, non obscure, locutum volent, aegre cum editoribus de nescio quo longiore cognationis gradu intelligent. Patrem autem ibi Aeneam dici vel sine istis testimoniis inde apparet, quod 'Eurydica prognatam', cui somnium enarrat Ilia, 'germanam sororem' alloquitur. Eurydicam enim Aeneae uxorem Lesches et Cypria tradiderunt teste Pausania x 26, 1: *Λέσχεως δὲ καὶ ἔπη τὰ Κύπρια διδόασιν Εὐρυδίκην γυναῖκα Αἰνείᾳ.* Cf. Welckerus de cyclo ep. II p. 248. Ut eadem carmina Graeca quae Eurydicae etiam Iliae originem dedisse suspicere. Iliae soror cum 'anus' a poeta dicatur (neque enim de diversis cogitandum est personis), non paulo eam aetate provectiorem Ilia fuisse necesse est.*) Illis autem convenit aptissime, quod Ilia Venerem 'genetricem patris nostri' et 'cognatam' dicit (XXIX) et ipsa 'dia nepos' appellatur a Venere (XXXI). Qui quidem consensus ipse iure illa Iliae, haec Veneri, non qui vulgo credebatur Aeneae, ascribi ostendit. Itaque Ennius cum Aeneam fere attigisse Romae originem fingat, nihil de condita Alba deque Albanorum regum commenticia serie narravit: quas res notum est postea in Romanam historiam infertas esse ab eis, qui magna inter Troiae exitum et initia Romae intervalla explere pro virili parte periclitarentur.**)

Verum ad hunc locum non uno nomine quaestio de temporum ratione pertinet, qua Ennius sua aetate h. e. ante annum ab u. c. 585 urbem Romam circa septingentorum annorum fuisse tradidit. Cuius haec sunt a Varrone de re rustica III 1, 2 conservata verba *septingenti sunt paulo plus aut minus anni, Augusto augurio postquam inclita condita Roma est,* quae cum vulgo ipsi conditae urbis narrationi subiiciantur, propter nimiam ambiguitatem malui in incertis fragmentis (ann. lib. inc. XXXVIII) apponi. Illa igitur temporum descriptione poeta amplius saeculo a recepta Romanorum consuetudine recedit: quod ne quis ignorationi aut negligentiae eruditi poetae ascriberet, Niebuhrius hist. Rom. I p. 300 et 315 duplici explicandi ratione proposita cavit. Etenim Ennium cyclicos annos h. e. qui denorum mensium essent calculo adhibuisse, quoniam septingenti cyclici fere quingentorum octoginta vulgarium numerum exaequant, aut ex 'antiqua formula Latina' trecentos triginta tres annos inter Troiae exitum et initium Romae computasse opinabatur. At illam definiendi temporis rationem Ennii aetate exoletam omnino in usum vocare non debuit. Varro qui-

---

*) Id ego erravi: *anus* enim ista tertia persona est, quae ut ministra iussa lumen attulit (Ovid. metam. XI 679), et condicio rerum ea fere erat quae est in Aen. IV, ubi Dido 634 *Annam cara mihi nutrix huc siste sororem* et 641 *sic ait: illa gradum studio celerabat anilem.* Anus Enniana quae *cita cum tremulis artubus attulisse lumen* dicitur depingitur ut *γρηῦς* in Odyssea XXIII 3 *γούνατα δ' ἐρρώσαντο, πόδες δ' ὑπερικταίνοντο.*

**) Cf. Mommsenum l. c. p. 268n.

dem cum reprehenderet Ennium, non nisi de annis communibus sentiebat: neque vero aliis usum esse poetam Censorinus de die nat. c. 19 testatur (inc. xxxii): *hoc tempus* (sc. annus) *quot dierum esset ad certum nondum astrologi reperire potuerunt. Philolaus annum naturalem dies habere prodidit ccclxiiii et dimidiatum ... at noster Ennius ccclxvi.* Altera Niebuhrii ratio, quam simpliciorem ipse arbitratur, ut est simplicior ac probabilior vel eo, quod is trecentorum triginta trium annorum numerus huic poetae minime peculiaris esset futurus, ita ne leviora attingam ipsa Ennii poesi evertitur, si quidem verum est, quod supra statuimus, Romulum nepotem fuisse Aeneae nec amplius quinquaginta annis ab interitu Troiae Romae originem abfuisse. Ut igitur Ennius, quo anni septingenti efficerentur, Romae urbis initia ne raro quidem vel singulari exemplo in medio saeculo nono posuerit, ne sic quidem ratus ab omni parte calculus evadit. Eratosthenes enim cum Troiam captam esse a. 1184 a. Chr. n. constituisset, illum si sequebatur Ennius, consequens est inde ab eo tempore ad poetae aetatem non septingentos sed mille circiter annos intercessisse. Neque tamen credibile est rerum Graecarum peritissimum poetam ab Eratosthene atque adeo iam ante Eratosthenem ab aliis constitutam Troianae calamitatis aetatem ignorasse, cognitam illam et adhibitam, ut novimus, ab Ennii aequale Catone. Cf. Schweglerus l. l. p. 410. Quid igitur? Ne certa incertioribus regi aut everti patiamur, Ennius putandus est nescio quibus rationibus aut quem potissimum auctorem secutus tempore tam removisse Troiae calamitatem quam Romae primordia promovisse.

Haec me nondum paenituit scripsisse, quamquam nihil iis declarari Ribbeckii humanitas affirmat (mus. Rhen. x 1856 p. 272sq.); sed duplicem Niebuhrii rationem probari non posse mihi adhuc persuadetur; et cyclicos quidem annos ab Ennio intelligi (nam de altera ratione infra dicetur) levibus quibusdam opinionibus quibus Ribbeckio lusisse placuit nihilo credibilius redditur.

Aliam viam Mommsenus iniit (chronolog. Rom. p. 152sq.), qui quo annos ab augurio urbis ad Ennii aetatem septingentos efficeret, non a Roma condita sed ab Aeneae adventu in Italiam Lavinioque oppido exstructo, quae res saeculo fere h. e. tribus γενεαῖς Romae originem antecessisset, principia urbis duci putabat auguriumque dici mensarum consumptarum omen a Vergilio narratum (Aen. vii 116sqq.). Sed ne hoc quidem probabile videtur nec quid obstaret Mommsenum ipsum fugit: nam nec Ennii verba neque vero Varronis qui attulit pati videntur 'augustum augurium quo inclita condita Roma est' aliud intelligi quam quo capto Ennius versibus luculentis edit Romulum urbem condidisse.

Postremo L. Muellerus sibi visus est solvisse quaestionem a nemine dum solutam, qui Ungeri disputatione (mus. Rhen. xxxv 1880 p. 24) ut videtur admonitus in libro quem fecit de Q. Ennio in stu-

dium poesis Romanae introducentem (Petropoli 1884) p. 127 et rursus p. 148*) narrat Ennium, ut septingentorum annorum ratio constaret, Carthaginis et Romae ortum eidem adscripsisse anno teste Timaeo, qui quod duarum urbium annum natalem 814 posuisset, Ennium maluisse annum qui vulgo Carthaginis fundatae crederetur 880 utriusque urbis esse.

Haec ab illo leviter admodum iacta erudita diligentia Conradi Trieberi accuratius persecuta est (Herm. XXVII 1892 p. 321 sqq.). Qui primum testem affert Romam Carthagini aequalem habitam esse interpretem Graecum in Euripidis Troades v. 221 *τινές φασι καὶ τὴν Ῥώμην καὶ τὴν Καρχηδόνα ἀπὸ τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος κτισθῆναι*, ubi *ἐπὶ* scribit pro *ἀπὸ* cum Dindorfio, *πρὸ* Schwartzius (vide infra de Timaeo); idem in olympiadem primam cadere ortum Romae etiam Porphyrii testimonio comprobat, quem recte scripsisse docet *ἀπὸ τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος καθ' ἣν Ῥωμύλος Ῥώμην κτίζει*. Nam Timaeus aequales quidem duas urbes sed alio anno natas tradit, de quo Dionysius Halic. I 74, 1 haec scribit *τὸν δὲ τελευταῖον τῆς Ῥώμης οἰκισμὸν ἢ κτίσιν . . Τίμαιος ὁ Σικελιώτης οὐκ οἶδ' ὅτῳ κανόνι χρησάμενος ἅμα Καρχηδόνι κτιζομένῃ γενέσθαι φησὶν ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ πρότερον ἔτει τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος*. Ennium igitur, quem videmus neque ad Timaei annum neque ad olympiadem primam h. e. annum 776 sese applicuisse, Trieberus censuit a Ctesiae aera profectum, qui a. 883 imperiorum mundi intereuntium et nascentium terminum esse statuerit. Qua re sane ratio constat, cum a Ctesiae anno 883 ad Ennii aetatem circa 580 a. u. h. e. 174 a. Chr. 'septingenti paulo plus aut minus anni' efficiantur. Ita vero non intelligitur cur Ennius dicatur Timaeum secutus esse et omnino quid sit quod Ennium voluerint urbis Romae principia ad Carthaginis ortum accommodasse. Certe, ut nihil dicam de Timaeo, qui in hac re nos nihil iuvat, chronographum nescio quem Graecum, quo Ennium auctore usum esse fingunt, quid impedit credere Ctesiae aeram secutum esse Carthaginis ratione nulla habita? Sic ipsis Trieberi rationibus, quem non nescio ab E. Schwartzio edoctus de Ctesia errare cum vulgo, putabam Muelleri opinionem Timaeo**) innixam refelli. Sed ad Ennium quod attinet ne reliquis quidem Trieberi dubitatio consopita est. Chronographum enim istum, quem Ennii esse auctorem voluit, Troiae excidium, numerorum scilicet con-

*) P. 127 *Auf des Timaeus . . Werk über Italien und Sicilien* (als Quelle für Ennius) *weist vermuthlich die Thatsache, dass er, wie der Grieche, Roms und Karthagos Gründung in dasselbe Jahr verlegt. Freilich setzt Timaeus die Erbauung beider Städte um's J. 814, Ennius, der gewöhnlichen Tradition von Karthagos Entstehung entsprechender, um 880.* — P. 148 *er verlegte die Entstehung Roms und Karthagos in dasselbe Jahr. Nur so erklärt sich die bisher von Niemand richtig gedeutete Thatsache, dass er Roms Gründung um's J. 880 v. Chr. ansetzte, d. h. um die Zeit, in welche nach der verbreitetsten Sage auch die Erbauung der tyrischen Colonie fiel.*

**) Sero legi Geffkeni de Timaeo disputationem (*philol. Unters.* XIII).

cinnitate exigente, colligit ad Eratosthenicum annum 1183 retulisse. Quo facto necesse est Ennium una cum suo auctore a Troiae fine (1183) ad primum annum urbis (883) novem γενεάς h. e. annos trecentos numerasse, qua fere ratione Niebuhrium vidimus non trecentos sed trecentos tres annos inter Troiae exitum et originem Romae intercessisse opinari. Quorum mihi neutrum videtur probari posse ob eam causam quod certis testimoniis constat apud Ennium Aeneae ex filia nepotem Romulum urbem condidisse (vide p. CLIII sq.). In qua re quod nos nihil nisi licentiam poeticam agnoscere iubet Trieberus similem illi qua Vergilius usus Aeneae cum Didone commercium finxerit, ea explicandi ratio vereor ut omnibus satisfaciat.

Accedit alterum et fortasse gravius: id quod ex iis repeto quae Cicero scribit de re publica (ann. IV fr. IV): '*id postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit anno quinquagesimo ccc fere post Romam conditam "nonis Iunis soli luna obstitit et nox"; atque hac in re tanta inest ratio atque sollertia ut ex hoc die quem apud Ennium et in maximis annalibus consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint usque ad illam quae nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo.*' Is enim quem dicit solis defectus Trieberus ipse fatetur ex isto computandi modo plane incertum esse quo anno fuerit. Et tamen simul apparet, quidquid de eius anno defectionis iudicatur*), Ciceronem non posse non unum eundemque annum in Ennii versibus et in annalibus maximis consignatum offendisse. Quod si est, fateamur oportet Ennium in definienda urbis origine non ad nescio quem singularem annum sed ad vulgarem aliquem et communem, velut circa sextam septimamque olympiadem, redisse.

Itaque ut mittamus Troianae calamitatis normam quam Ennius secutus videatur, de qua re nihil certius definiri posse puto, de *septingentis annis* quos a Romuli augurio duxit quaestionem ne nunc quidem solutam esse fateor. Quare si hac non processit, alia aggrediamur via. Varro qui hos versus hoc modo attulit rer. rust. III 1, 2 (ann. lib. inc. XXXVIII) *etenim vetustissimum oppidum cum sit traditum Graecum Boeotiae Thebae, quod rex Ogygos aedificarit, in agro Romano Roma quam Romulus rex: nam in hoc nunc denique est, ut dici possit, non cum Ennius scripsit,*

Septingenti sunt paulo plus aut minus anni,
Augusto augurio postquam inclita condita Roma est,

Varro, inquam, qui rerum rusticarum libros a. u. 717 scripsit, cum non nimis grandem esse urbis vetustatem declararet, quae nunc demum inde a Romulo conditore suo septingentos annos explevisset, id quod suis verbis dicere poterat maluit Ennianis versibus exprimere, utpote

---

*) De quo satis esto ad Ginzelium relegasse (*Spezieller Kanon der Sonnen- und Mondfinsternisse. Berlin* 1899) p. 180 sq., qui tam chronologorum quam astronomorum opiniones diligenter recensuit.

qui accurate in hanc qua scribebat aetatem quadrarent, sed ut simul adderet (quoniam simpliciter appellare auctorem non poterat), ii anni ab Ennii aetate quid distarent, non quasi reprehenderet poetam aut is plane alio computandorum annorum modo usus esset. Sed qui ita loquitur *septingenti sunt paulo plus aut minus anni* ex certa re gesta, non valde curiosus est de exacto numero annorum et subindicat se non intercessurum, si plus potius quam minus vero posuisse arguatur, cum id ageret ut magnam diuturnitatem significaret. Ita Ennius, qui certam annorum seriem retinebat, loqui non poterat, poterat ita loquentem inducere eum, qui in designanda vetustate ne exaggerationem quidem quandam anxie cavere debebat. Nempe ex oratione hos versus depromptos arbitror, hoc quidem ordine quo suo loco collocavi

500 *Moribus antiquis res stat Romana virisque.*
501 *Septingenti sunt paulo plus aut minus anni,*
Augusto augurio postquam inclita condita Roma est,

sed oratione quae cuius fuerit non magis scitur quam in qua parte operis posita fuerit. Quo minus consentaneum est ab his versibus, quorum notatio temporis in tenore carminis obscuritatem creare non poterat, quasi unico fulcro universam temporum rationem Ennianam suspendere velle. Orationi illa retribui in poeta, quem adhuc videmus multarum orationum fuisse, mirum non est, ac fortasse inutile non est reminisci eorum quae apud Appianum leguntur in Punicis primum I p. 236, 2 Mend. post Hannibalem a Scipione devictum in Hasdrubalis oratione deprecantis *οἷα καὶ ἡ Καρχηδονίων πόλις ἡ τῆς Λιβύης μεγίστη καὶ δυνατωτάτη . . . ἑπτακοσίοις ἔτεσιν ἀνθήσασα . . . νῦν τὴν ἐλπίδα σωτηρίας ἐν ὑμῖν ἔχει*, deinde Carthagine diruta in iis quae Scipio secum de fato mortalium deliberat I p. 319, 6 Mend. *ὁ δὲ Σκιπίων πόλιν ὁρῶν ἑπτακοσίοις ἔτεσιν ἀνθήσασαν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ* (h. e. a Didone). Ita fere (neque enim his uti volo ut 'septingentos annos' Ennii ad Carthaginis aequalitatem compositos probem) licet animo informare nescio quem Romanum in ea oratione, qua antiquitus constare urbis fortunam ac virtutem demonstraret, ponderosa gravitate Ennio digna elocutum esse

Septingenti sunt paulo plus aut minus anni
Augusto augurio postquam inclita condita Roma est.

Itaque ut redeat tandem unde deflexit oratio, Ilia per familiare huic poetae somnii artificium calamitatem praevidet suam quam deinceps poeta ipse narravit, non adeo parce Ovidium si audis trist. II 259 *sumpserit annales (nihil est hirsutius illis): facta sit unde parens Ilia nempe leget* (XXVIII). Iliam Vestalem fuisse Cicero de div. I 20, 40 (ibid.) indicat, in quem non fuit ipsum nomen Iliae coniectando inferendum.

Post partum Ilia in Tiberim praecipitari iubetur a rege Albanorum Amulio, in quem tyranni vices contulisse Ennium Porphyrio

testis est in Hor. carm. I 2, 18 (XXX). Sed is Amulius quam cognationis rationem cum Aenea et Ilia habuerit obscurum est, nec iuvat repetere quae olim a nonnullis coniectata sunt vana et incredibilia: satis sit Mommseni iudicium memorasse quod fecit in quaest. Rom. II p. 268.

In summo ipsius et puerorum discrimine Ilia deorum fidem implorat, imprimis Veneris 'genetricis patris' et 'cognatae' (XXIX) ac Tiberini (XXX). Neque enim est quod ob Livii orationem (II 10, 11) *tum Cocles 'Tiberine pater' inquit 'te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias'* Horatii Coclitis esse Ennii verba malimus a Macrobio ex primo annali allata. Neque Livius in ea re exemplo Ennii egebat, quando, quod Servius in Aen. VIII 72 testatur, haec erat consueta Romanis Tiberinum precibus advocandi formula *adesto Tiberine cum tuis undis.* Apud Vergilium Aeneas in hunc si milem Enniano modum Tiberinum adorat: *tuque o Thybri tuo genitor cum flumine sancto.* Quo si quis uti voluerit, Ennii versum poterit Aeneae tribuere, mihi probabilius visum est, ita Iliam quae Tiberino nuptum datur (XXXIII) orare.

Venus Iliae precibus commota apparet ac nepotem de ipsius et liberorum sorte confirmat (XXXI. XXXII); quo facto illa in amnem se demittit. Interim latrones ab Amulio iussi pueros exponunt (XXXIV).

Huic loco vindico deorum de Romae fortuna consiliantium consessum, qualem in hoc libro expositum fuisse olim intellectum est. Probabilis enim coniectura est, Horatium cum haec caneret (carm. III 3, 16) *Quirinus Martis equis Acheronta fugit, gratum elocuta consiliantibus Iunone divis* Ennii memorem cecinisse. Nec illud improbabile quod inde consequitur, Iunoni in Enniana deorum contione non adsidendi tantum sed eloquendi et perorandi partes fuisse. Ut hic locum habuerit fr. XXXVIII, quamquam vereor ut in similem Horatianae sententiam apud Ennium Iuno oraverit. Infesta enim antiquitus Romanis dea iram in secundo demum bello Punico delenivit. Cf. Servius in Aen. I 281 *bello Punico secundo, ut ait Ennius, placata Iuno coeperit favere Romanis* (VIII fr. XVIII). Quid igitur tum incipiat favere, quae iam ante Romanis ut regni fines late proferrent concesserit? Sed Servii illud testimonium cum conferam cum altera quae eidem debetur memoria in Aen. I 20 *in Ennio enim inducitur Iuppiter promittens Romanis excidium Carthaginis* (VIII fr. XV), in octavo quoque annali consessum deorum et sermones Iovem inter et Iunonem describi coniiciam. Quare dubium, an recte versum *respondit Iuno Saturnia sancta dearum* (XXXVIII) in primum annalem intulerim. Sed hoc levidense est. Illud quaeritur, cui loco maxime aptus sit iste quem huic libro vindicamus deorum consessus. In qua re si Horatium sequeris, non dubitabis quin ante ipsum obitum Romuli, non post mortem, ut editores voluerunt, conlocetur. Sed obstat Ovidius met. XIV 812 sqq. *tu mihi concilio quondam praesente deorum (nam me-*

moro memorique animo pia verba notavi) 'unus erit quem tu tolles in caerula caeli' dixisti: rata sit verborum summa tuorum (cf. fast. II 485 sqq.). A quo Ennium respici ipse quo utitur versus Ennianus ostendit. Nam Ennianum esse Ovidius quidem non dicit, sed Varro de l. L. VII 6 etsi non monet aperte, tamen indicat non obscure ei qui novit morem Varronis. At tamen ex Ovidio noli colligere, ipsum deorum concilium non expandi in annalibus, sed mentionem tantummodo quasi habiti concilii fieri. Etenim diversa ab annalibus fuit Ovidii ratio, qui cum res plurimas modo perstringere instituat scite artificium*) illud effinxit. Contra Iuppiter Ennianus ipsis adsidentibus

---

*) Quodnam *artificium* a me dici putant, nisi quis forte me casu hoc et incogitanter posuisse arguit. Nempe hoc est illud artificium, quod quae verba in deorum consilio Iuppiter Ennianus habuerat, eorum Ovidius Martem reminiscentem fingit et a Iove petentem ut quae olim (h. e. apud Ennium) pollicitus esset iam rata fierent. Hoc quod indicaram Hauptius planius exposuit opp. II p. 71 sq., iterum opp. III p. 364 sq, qui alterum exemplum eiusdem artificii item Ovidianum addidit. Quae enim Ariadna a Theseo derelicta lamentata est apud Catullum (c. 64, 132 sqq.), eorum Ariadna apud Ovidium (fast. III 471 sqq.) memor iterum deserta (a Baccho) dicit easdem se quas olim (apud Catullum) edere querimonias cogi. Sed quae praeterea Hauptius opp. III l. c. adiecit vix satis similia haberi possunt. Nam quae Sulpicia scribit in satira 33 B.

aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim
'imperium sine fine dedi' dixisse probatur,

haec etsi sunt Iovis verba apud Vergilium (Aen. I 279) talia Veneri (non Iunoni) promittentis, tamen ea nunc referre videmus non alium nisi doctam mulierem ipsam quae carmen composuit. Non secus Phaedrus quod scribit praef. lib. III 27

Sed iam quodcumque fuerit, ut dixit Sinon,
Ad regem cum Dardaniae perductus foret,
Librum exarabo tertium Aesopi stilo,

poeta ipse est qui in re tenui (nam pertinent haec ad unum *quodcumque fuerit*) non Vergilium affert sed Sinonis memor quae is apud Vergilium dicat (Aen. II 77) in suum usum convertit. His non dissimilia sunt in Lygdami versibus aperta Catulli commemoratio et alia quae Hauptius contulit sed ab artificio illo Ovidiano discedunt. Non magis eam proprietatem quam explicare studeo recte videntur accepisse aut C. Diltheius in Cydippa p. 109 n. aut R. Ehwaldus in philolog. LIII p. 729 sqq. aut Usenerus in mus. Rhenan. XXXV p. 138, qui cum multa et scitu dignissima de poetis scriptoribusve inter se imitantibus colligant, in eo haerent quod poeta poetae scriptor scriptoris recordatus consulto et ut lectores admonerentur saepe verba eadem aut similia posuerunt: illud subtile inventum quod dico non attingunt. Sed ad illa Ovidiana duo quae explicui licet fortasse adiicere quod quae apud Statium Pluto dicit (Theb. VIII 57)

vidi egomet blanda inter carmina turpes
Eumenidum lacrimas eqs

redeunt ad ea quae idem fieri vidit apud Ovidium met. X 45. De Iunone autem quod Vergilius (Aen. I 20) dicit *progeniem Troiano a sanguine duci audierat, Tyrias olim quae verteret arces,* iam Servius adnotavit *perite 'audierat': in Ennio enim inducitur Iuppiter promittens Romanis excidium Carthaginis;* nisi quod Vergilius Iunonem non Iuno ipsa semet audisse memorat quae Iuppiter apud pristinum poetam pronuntiaverat.

dis genitalibus haec verba *unus erit quem tu tolles in caerula caeli templa* credendus est extulisse; cuius orationi num praemissus fuerit hic versus *effudit voces proprio cum pectore sancto* (lib. inc. LXIX), quem quidem praemitti potuisse non nego, incertum. Atque illo versu indicatur etiam, quem quaerimus, locus concilii. Cum enim non ita instantis temporis futuri indicium contineat, tum de 'uno' quod dicit, de altero, Remo, nondum videtur actum fuisse. Superiorem autem, quam vulgo ferebant, sedem concilii anquirens, non commodiorem dispicio hac, qua ascripsi quae huc pertinere videantur fragmenta.

Nihil in his mutavi quamvis non nesciam quid contra dixerint et alios alias rationes sequi. Sed summum est intelligi, in primo annali fuisse deorum concilium in eoque Iovem promisisse *Unus erit quem tu tolles* eqs Marte scilicet intercedente ut dii solent eo temporis puncto quo summum erat periculum ne gemini Martis filii perirent et Roma nulla esset futura. Ab hoc autem concilio segrego alterum quo de Carthaginis fatis agebatur, quod octavo annali relinquo. Cetera in coniectura posita sunt, qua usus nonnulla non ex hoc libro allata hoc loco inserui. Velut illud quo di genitales recensentur (XXXVII), qualem recensum conveniebat statim in primo consessu fieri, et fr. XXXV cum Vergilii Aen. X 1 a schol. Veron. collatum, et hoc frustulum (XXXVI), quo in illo instaurando deorum concilio utitur Vergilius Aen. X 5. Nimis incerte huc refertur versus *o genitor noster Saturnie, maxime divum* (lib. inc. II), quem Ennianum esse non testimonio constat sed accurata Homeri imitatione, de qua vide quae ad versum ipsum adnotavi. Sed ea uti appellatione non uno loco licebat. Non certius huc referetur versus, quem Varro de l. L. VII 7 item sine nomine poetae laudavit, *contremuit templum magnum Iovis altitonantis* (lib. inc. LXX), quem Ennianum esse facile credimus, sed quia legitur in eadem parte qua Varro de *templi* significationibus agit et versum XXXIX *Unus erit quem tu tolles* eqs attulit (VII 6), huic concilio deorum inserendum esse, quo argumento uti video Petrum Canal ad Varr. l. c., ea ad Varronis morem relata nimis incerta est ratiocinatio, cum praesertim ne vim quidem versus eandem esse necesse sit cum Vergilii versu Aen. X 115 *adnuit et totum nutu tremefecit Olympum,* aut Homerico ex quo ille expressus est *ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων . . μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.*

Confecto concilio, ut statim in terris appareat vis eorum quae in Olympo Iuppiter decrevit, flumen, in quo pueri expositi erant, intra ripas refluxit (XL).

Pueri servantur: nutriuntur a lupa (XLI. XLII. XLIII). De qua re Ennianam narrationem licet hodie e Vergilio Aen. VIII 630 sqq. dispicere. Lupa fugatur a pastoribus qui iam cum gregibus stabulis relictis campos et rivos repetunt: sic enim fere interpretor XLII ex eo quo usus sum supplemento, cui favent quae Dionysius ex Fabio Pictore refert a me in adnotatione allata. Qui quod ibidem paulo post (7) narrare per-

git ἐγγυτέρω προσήεσαν ἀϑρόοι δεδιττόμενοι βοῇ τὸ ϑηρίον. ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀγριαίνουσα τῶν ἀνϑρώπων τῇ προσόδῳ, ἀλλ' ὥσπερὰν χειροήϑης ἀποστᾶσα τῶν βρεφῶν ἠρέμα καὶ κατὰ πολλὴν ἀλογίαν τοῦ ποιμενικοῦ ὁμίλου ἀπῄει. καὶ ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἐκεῖϑεν ἱερὸς χῶρος . . . εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἐλϑοῦσα ἀποκρύπτεται, ea videntur non plane cum Ennianis (XLIII) conspirare nec tamen longius ab iis discedere.

Pueri a Faustulo recepti educantur inter pastores: certamina instituunt: hoc enim indicatur fr. XLIV coll. Ovidio fast. II 365 *Romulus et frater pastoralisque iuventus solibus et campo corpora nuda dabant. caestibus et iaculis et misso pondere saxi bracchia per lusus experienda dabant.* Latrones praeda onustos aggrediuntur (XLV). Utrumque de corporum certatione et de latronum incursionibus Plutarchus Rom. 6, 3 memorat ἀλλὰ γυμνάσια καὶ ϑήρας καὶ δρόμους καὶ τὸ λῃστὰς ἀμύνασϑαι καὶ κλῶπας ἑλεῖν, de latronibus etiam Livius I 4, 9. 5, 3, denique idem Ovidius qui supra allatis addit *pastor ab excelso 'per devia rura iuvencos Romule praedones et Reme' dixit 'agunt.' longum erat armari, diversis exit uterque partibus. occursu praeda recepta Remi.* Cf. ibid. III 63 et Servius Dan. ad Aen. VIII 343 p. 250 Thil. De aliis certaminibus Dionysius Halic. I 79, 12.

Capitur Remus ac deducitur ad Amulium, quem Romulus de origine sua ab Faustulo edoctus appellare verbis *Ast hic quem nunc tu tam torviter increpuisti* (XLVI) videatur quod parum clementer Remum quem ignoraret tractasset. Sed huic narrationi quae est vulgaris et a multis tradita versus ille qui sane ex primo libro non ex alio est allatus rectene isto modo adhibeatur, quis hoc certius affirmare velit.

Eo loco quo expositi et educati erant urbem exstruere fratres constituunt, id quod fieri non poterat nisi captato ante augurio. Quod quomodo instituerint et quem eventum habuerit haec auspicandi opera luculentis versibus Ennius edidit (77—96). De quibus multa a multis disputata sunt, praecipue a Mommseno (Herm. XVI 1881 p. 13 sqq.), quamquam is non tam Ennii versus interpretari voluit quam alia cum his rebus coniuncta persecutus est. Versus ipsos, in quibus sunt quae prave accipiantur et prave temptentur a nuperis editoribus, accuratius explanare conatus sum in commentatione *Über das Stadtgründungsaugurium bei Ennius* (relat. acad. 1894 p. 1143 sqq.): ex qua nunc pauca afferam. Ac primum Remus ubi auspicatus sit, Ciceronis culpa non indicatur. De qua re quae olim scripsi 'sed Remus in quem montem augurium captum ierit, non dicitur in illis versibus: et tamen nexum si accurate perpenderis, id memorari ante v. 82 (79) debuisse concedes. Quo cum accederet mira quaedam in hoc versu codicis scriptura, de lacuna cogitavi unius saltem vel duorum versuum, quos utrum Cicero omiserit consulto an perierint librariorum incuria non dirimo', recte scripsi, neque in ea re aberravi quod, cum Romulum in Aventino monte augurio se dedisse Ennius aperte dicat, cui accedit Servii testimonium in Aen. III 46 *Romulus captato augurio hastam de Aventino monte in*

Palatinum iecit, quae fixa fronduit et arborem fecit (cf. Plut. Rom. c. 20, 5 Ovid. met. xv 560), probabile non esse statui, Remum in Palatino aves spectasse h. e. in eo monte in quo urbs condenda erat, cuius conditorem non Remum sed Romulum esse oportebat. Sed quae de Remoria in qua Remus augurium ceperit cogitavi, irrita sunt. De Remi autem augurio ut recte iudicetur, inde proficiscendum est ut intelligatur fratres in diversa et contraria regione aves exspectasse: sic enim quae supra 79—81 de auspicandi locis amborum dicuntur

Remus auspicio se devovet atque secundam
Solus avem servat. at Romulus pulcher in alto
Quaerit Aventino, servat genus altivolantum

conspirant cum iis quae infra 91—94 de spectatis ab utroque avibus indicantur

Et simul ex alto longe pulcherruma praepes
Laeva volavit avis. simul aureus exoritur sol,
Cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
Avium,

ut dubium esse non possit, quin *pulcherruma avis ex alto* (h. e. ut contrarii ratio poscit *e profundo*) *volans* a Remo, *cedentes de caelo* duodecim aves a Romulo visae sint: qui quoniam vidit quod exspectavit *genus altivolantum,* statim percepit sibi victoriam esse paratam. Remus autem ex hac sententiarum similitudine et quia in utraque parte eadem ratio contrarii apparet credi non potest in alto Palatino aut in alicuius montis vertice aves spectasse, sed ut Romulus in alto Aventino h. e. in Aventini altitudine sic Remus in eiusdem Aventini nescio qua parte inferiore auspicatus esse.

Romulus in Palatino urbem exstruit eamque muro ac fossa firmat. Remum murum seu fossam ludibrio habuisse ob tenuitatem munimenti et ira Romuli concitata ab ipso aut iussu eius necatum esse vulgaris forma narrationis est quam Livius I 7, 2 Plutarchus Romul. 10, 1 Dionysius Halic. I 87, 4 Diodorus exc. VIII 4, 2 exiguis intercedentibus differentiis tradiderunt. Eandem secutus erat princeps omnium Ennius. Et murum contemnentis Remi esse apparet exclamationem (XLVIII) *Iuppiter, ut muro fretus magis quamde manus vi,* in qua quod (in adn.) dixi *fretus* esse *fretus es,* id non necessarium et fortasse verum non est: poterat enim ita admirabundus de Romulo qui nunc rex est dicere in colloquio cum nescio quo altero, cuius etiam responsum videtur (XLIX) *At tu non ut sum summam servare decet rem,* quo is regerit vituperationem Remi et regis curam extollit. Remi interitum indicat L.

Ad raptum Sabinarum qui certo referatur versus unus super est (LII), de quo in adn. dixi, ex incertis huc pertinet fortasse V coll. Dionysio Halic. II 32, 1 *ὡς δὲ διεβοήϑη τὰ περὶ τὴν ἁρπαγὴν τῶν παρϑένων καὶ τὰ περὶ τοὺς γάμους εἰς τὰς πλησιοχώρους πόλεις.*

Post pugnam Caeninensium ex Sabinarum calamitate natam Iovi

Feretrio templum a Romulo victore aedificatur, vetustissimum Romae (Livius I 10, 7): qua occasione quos ludos Romulus instituit Ennius in annalibus persecutus erat teste scholiasta Bern., qui genus ludorum describit (LI). Ad quos quae praeterea adscribuntur, parum fidei habere visa sunt.

De bello cum ipsis Sabinis gesto non multum licet e fragmentorum tenuitate dispicere: in initium belli relego satis ambiguae ut sentio sedis fragmentum LIII: adiuvant opinionem Ovidius met. XIV 775 *Tatiusque patresque Sabini bella gerunt, arcisque via Tarpeia reclusa dignam animam poena congestis exuit armis. inde sati Curibus tacitorum more luporum ore premunt voces et* c o r p o r a v i c t a s o p o r e i n v a d u n t, et Dionysius Halic. II 38, 1 *μαθὼν δὲ τὴν παρασκευὴν αὐτῶν Τάτιος ὁ τῶν Σαβίνων βασιλεὺς* ν υ κ τ ὸ ς ἀ ν α σ τ ή σ α ς τ ὸ ν σ τ ρ α τ ὸ ν ἦ γ ε δ ι ὰ τ ῆ ς χ ώ ρ α ς, nisi quis forte hunc ex primo citatum versum *cum superum lumen nox intempesta teneret* malit ad exitum Romuli et ad eam quae tum erat defectionem solis referre: cf. Plutarchus Romul. 27, 6. Fr. LIV Sabinas in medios hostes se inferentes proclive est agnoscere; quamquam, quae est harum rerum ambiguitas, etiam raptarum parentes dici poterant *maerentes flentes lacrimantes commiserantes* scil. fortunam raptarum circumire et concitare civitates, ut fere Livius I 10, 1 narrat, sed non nego huius incerti versus, qui quod moris est cumulatas habet participiorum formas, posse etiam alias occasiones reperiri. In his disceptationibus si, quod fieri potuisse concessi, incertis versibus VII et VIII

Quis pater aut cognatus volet vos contra tueri
Aversabuntur semper vos vostraque volta

locus erat, intelligitur haec Romani esse, fortasse ipsius Romuli, qui cum raptas ad consolandum vocasset (Macrob. Sat. I 6, 16) eas monebat, ut cum Romanis viris suis stare mallent. Sed ut dixi haec mera opinatione, nullo testimonio adiuvante statuuntur. Reliqua h. e. LV. LVI. LVII Hersiliae verba esse probabile et ex parte olim intellectum est. Ad rem facit haec ab A. Gellio n. A. XIII 23, 13 tradita Cn. Gellii e tertio annali narratio: *Hersiliam, cum apud T. Tatium verba faceret pacemque oraret, ita precatam esse* '*N e r i a M a r t i s t e o b s e c r o, p a c e m d a, te, uti liceat nuptiis propriis et prosperis uti, quod de tui coniugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi et suis, posteros patriae pararent.*' Ceterum de Hersilia confer Plutarchi Romul. c. 18 et 19 Dionysium Halic. II 45, 2. Fr. LVI, de quo Merula mirabilia excogitavit, Hersilia sumens de suibus exemplum Romanos Sabinosque a pugnando studet arcere, cuius vim sententiae in adn. explicui Hesiodi exemplo; poteram addere alia, velut Lysiae si sunt (2, 19) *θηρίων μὲν ἔργον εἶναι ὑπ' ἀλλήλων* β ί ᾳ *κρατεῖσθαι, ἀνθρώποις δὲ προσήκειν νόμῳ ὁρίσαι τὸ δίκαιον*, et Cicero (de off. I 11, 34 coll. I 23, 81) *duo genera decertandi esse* scribit, *unum per disceptationem, alterum per* v i m, *illud proprium hominis, hoc beluarum,* unde

magis perspicuum fit, apud Ennium quoque duplicem fuisse sententiam, vi agere sues beluasque omnes, homines decere disceptationem et rationem. Eadem Hersilia fr. LVII videatur Romulum et Tatium adhortari, ut concordiam ineant, vel si non est Hersilia, certe haec ad foedus Romulo cum Tito Tatio ineundum referenda sunt neque est ulla in verbis difficultas.

Non plura de bellis Romuli habeo quae exponam: ac parcius etiam de rebus domi gestis dicendum erit: de quibus unum Varro de l. L. v 55 indicavit, tribus a Romulo institutas ac denominatas Ennium tetigisse (LIX). Cui quod praemissum est fr. LVIII consuetam Romanis in rebus gerendis formulam continet, cui certam occasionem indagare non licet, nunc nihil impedit quominus post foedus factum ad ea quae communi regno novabantur, in quibus tribus institutas, referamus. De Tatii fabula vide Mommsenum Herm. XXI et qui nunc nuper de priscis tribubus egit Holzapfelium in C. F. Lehmanni symbolis I (1901) p. 231. Tatius a Laurentibus truncatur: hac opportunitate hunc a grammaticis mirum quantum frequentatum versum *o Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti* (LX) elatum esse crediderunt alii neque ego refragabar, sed qui recte intelliget *tute tibi* h. e. tu ipse tibi (*cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videare* Cicero de off. III 2, 6) coniungi, concedet potuisse in verbis etiam alium sensum inesse. Cf. p. CLIII.

Romulus coorta tempestate secundum decretum Iovis (XXXIX) in Olympum evehitur, Martis equis: hoc enim fluxisse ex Ennio crediderim quod Horatius significat carm. III 3, 15 et Ovidius fast. II 495 *hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether. fit fuga: rex patriis astra petebat equis.* Erepti regis desiderium populus exprimit LXI, qui versus Livio obversati esse videntur, cum haec scriberet I 16, 3 *deinde a paucis initio facto deum deo natum regem parentemque urbis Romanae salvere universi Romulum iubent; pacem precibus exposcunt, uti volens propitius suam semper sospitet progeniem.* Cf. R. Ehwaldum symb. ad hist. carm. Ovid. 1892 p. 12, et supra p. LXI sq. E Proculi Iulii oratione restat LXII. Proximum versum (LXIII) cui tribuam nescio, nec multum interest; hoc tamen inde colligitur, iam Ennium de Hersilia in Horam Quirini commutata cecinisse; quam rem more suo illustravit Ovidius met. XIV 829 sqq.

De secundo annali pauca sunt quae egeant enarratione, cap. II cum nec multae ex hac parte nec eae fere obscuriores reliquiae supersint. Trium qui Romulum deinceps secuti sunt regum Romanorum gesta perhibentur. Ac Numam, quem aegre qui sapit in primum annalem inculcabit, unum ex ipso libro allatum fragmentum (IV) designat, in quo facile sermonem Numae agnosces, qui salubria instituta noluit aboleri post obitum, quamquam eius rei testimonium quod sciam non exstat, quin Plutarchus in compar. Lycurgi et Numae c. 4, 6 de huius institutis ait *οὐδὲ ὀλίγον χρόνον ἡ καλλίστη καὶ δικαιοτάτη*

κατάστασις ἔμεινεν. Cuius instituta, sacra maxime, enumeravit Ennius, non explanavit aut colore quodam poetico parum gratam poesi materiem distinxit: siquidem tenuit in reliquis morem, quem superstites ex hoc genere versus (II. III) ostendunt. Quo liberalius, puto, ne nimis parce videretur Numae memoriam tractasse, Egeriae fabulam contexuit, cuius tamen unus tantum et qui vix coniecturam de Ennii narratione concedit elegans versiculus restat *olli respondit suavis sonus Egeriai* (I). De qua quae Cicero scribit de leg. I 1, 4, cum ridet eos, qui a poetis ficta pro veris habeant, *nec dubito quin iidem et cum Egeria conlocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem impositum putent,* videtur Ennii memor scripsisse, ex quo fortasse ceteri repetierunt haec de Egeria nympha vel musa.

Non multa, sed tamen paulo plura de Tulli Hostilii regno ad nos pervenerunt, quorum pleraque (VI—XIV) ad trigeminorum certamina pertinent, pauca ad Fufetii dolos ac poenam (XV. XVI. XVII). Ac Fufetii nomen (V) quod horum versuum agmen ducere iussi, potuit ille dux etiam alibi nominari, sed cum incerta sit sedes, malui plenum nomen in principio narrationis apponi. De singulari certamine, ne pereant legiones, Merula vidit deliberari fr. VI; de qua deliberatione pluribus verbis ut solet egit Dionysius Halic. III 11 et 12, *εἰ ποιησαίμεθα μέρει τινὶ τῆς ἑαυτῶν στρατιᾶς ἑκάτεροι τὸν ἀγῶνα* 11, 11; cf. V 23, 3 *συνέβησαν μὴ πάσαις ἀποκινδυνεῦσαι ταῖς δυνάμεσιν ἀλλὰ τρισὶν ἀνδράσιν ἀφ' ἑκατέρας*; Livius I 23, 9. Reliqua partim ad certantes trigeminos videntur referri (VII. VIII. IX), partim ad causam capitis Horatio victori agendam ob necem sororis. *Horatium* quem VIII habet olim Coclitem putavi propter *saltum* et in lib. IV posui: nunc testimonio cedens secundo restitui ubi non potest nisi de uno trigeminorum intelligi; quamquam *saltu* quod de Horatio Coclite aptissimum erat (*converso in se gladio celeri saltu profundum Tiberis petiit* non de Coclite sed de eo qui Coclitis exemplum imitatus sit ait Valerius Maximus IV 7, 2), de Horatio trigemino minus commode dici videtur. Sed utut est, iam VII et VIII se excipiunt ita ut primum Horatius fugam simulet, qua spem omnem Romanorum evertit; Romanas enim 'speres' poeta 'nostras' dixit usu Latino, ac sententia, quae desiderata vulgo interpunctione obscurabatur, potuit vel *evertens* vel simili participio continuari. Deinde idem occasione data revertens *(saltu Ingenti redit* supplevit Ribbeckius) iam singulos qui supererant Curiatii aggreditur (Dionys. Halic. III 20, 2. 3; Livius I 25, 7. 8). Quorum uni minitanti respondet (IX). In iis quae restant, X matrem significat, Horatii puto, si suum in hoc libro locum iure obtinet (olim quarto adscripsi), quae quid fecisse dicatur non apparet, sed videtur sententia sic suppleri *At sese, sum quae dederat in luminis oras, Obtulit* (vel *Obiecit*), filio victori credas, ut ei mater obviam iisse dicatur quemadmodum soror fratri, et matris quidem fit mentio apud Dionysium Halic. III 21, 2. 4. Non minus ambiguum est XI *Ingens*

cura mis cum concordibus aequiperare, quae Horatii esse verisimile est in iudicio verba facientis de certamine: nam hoc apertum est eum non de sua cura loqui sed de spectatorum cura qua ii certaminis vicissitudines prosequebantur: Livius I 25, 6 *ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vicem unius, quem tres Curiatii circumsteterant*; Dionys. Halic. III 20, 3. Atqui si versus integer est, sententia non integra, quem si sic fere supplendum coniicias *Ingens cura mis cum concordibus aequiperare Me non posse vident,* tam *concordibus* de tribus fratribus quam *aequiperare* cum tertio casu iunctum habeat quod addubitetur: itaque ut manca est sententia fortasse plura addenda sint in hunc modum *Ingens cura mis cum concordibus aequiperare Coniunctos animis unum non posse viderent.* Sed quidquid de verbis existimatur, de sententia opinor me nunc ut olim recte iudicasse. Atque haec Horatius non potest nisi coram iudicibus extulisse, ut discriminis gravitatem quo pendebat extolleret. Eiusdem Horatii se defendentis sunt XII et XIII, quorum altero sponsum qui non recusarit certamen suo arbitrio cecidisse, altero sibi iniuriosa dicta sororis in tam splendida victoria toleranda non fuisse edit. Fr. XIV clauditur, opinor, disceptatio iuris in re iudicanda, quamquam iisdem verbis finiri poterant vel illa quae ante initum certamen inter Albanos et Romanos acta sunt; et est haec inde ab Homero (*ὣς οἳ μὲν τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον*) familiaris formula desinendi et ad res alias transeundi. Cf. ann. 555 et Aen. XI 445. Livius X 22, 7. Sequitur fraus Fufetii et crudelis interitus: ac XV Tulli verba exhibet, qui Fufetium interimi quam omnes eius 'legiones ac populares' perire mavult: *nec ea culpa* inquit Tullus apud Livium I 28, 6 *quam arguo omnium Albanorum est: ducem secuti sunt*; et similia Dionysius Halic. III 23. 24. Supplicium ipsum editores viderunt fr. XVI. XVII describi, incertis quidem, sed quae vere haud dubie in hunc librum olim reposita sunt. Ceterum hinc colores quosdam duxisse Vergilium puto (eo loco, ubi et alia Enniana latere supra monui ad I fr. XLI) Aen. VIII 642 *haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!) raptabatque viri mendacis viscera Tullus Per silvam et sparsi rorabant sanguine vepres.* Restat e Tulli regno Albae excidium, cuius rei fragmina licet ex eiusdem Vergilii imitatione Aen. II 486 sqq. expiscari. Ennium enim, quem non nominat, significat Servius in Aen. l. l. *de Albano excidio translatus est locus.* Eundem respicit in Aen. II 313 *plerumque enim ad tubam evertuntur civitates, sicut Albam Tullus Hostilius iussit everti.* (Cf. supra p. CV). Itaque hic posui versum (XVIII) nullo libri indicio allatum de *tuba*, quem item Vergilius (Aen. IX 501) imitatus est, ad eum versum ut adscriberentur illa testimonia duo Vergilii et Servii de Albano excidio.

Anci Marcii res in hoc libro tractatas fuisse fr. XXII ex se-

cundo allatum, quo condita ac munita ab Anco Marcio Ostia urbs memoratur, ostendit. Cui narrationi addas laceri versus particulam ex eodem libro citatam *i caerula prata* (xxi) et ex incertis *et Tiberis flumen vomit in mare salsum* (xx), quod in adnotatione probavi cur ab *Ostia* seiungi non debeat. Fr. xix incerti libri est et scripturae incertae: quis *marcus* fuerit nescitur: *Anci Marcii* nomen restituerunt; quod etsi fidem non habet, tamen ab hoc loco removere versum nolui.

Tertius annalis trium qui postremi sunt regum Romanorum res gestas et regni ruinam comprehendit. Quod etsi ipsis fragmentis non cogitur, exigit tamen narratio aequabiliter in singulos libros distributa. Et in tertio Tarquinium Priscum fuisse tam certum est fide testimoniorum quam in secundo Ancum. Unde consequitur horum librorum descriptio: ut enim primus initia urbis et Romuli regnum, ita secundus et tertius uterque tres reges complexus est et his tribus libris regni Romanorum fata a principio ad finem deducta sunt. De qua distributione vide quae in actis academiae a. 1886 p. 10sq. disputavi. De Tarquinio quaedam licet ex fragmentis agnoscere, adventum eius Romam et omen in itinere obviam factum (i. ii), regnum post Anci obitum a populo in illum delatum (iii. iv), denique mortui regis funera (viii. ix). Atque omen quidem Livius videtur non sine Ennii quadam imitatione narrare i 34, 8 *ad Ianiculum forte ventum erat: ibi ei carpento sedenti cum uxore aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert, superque carpentum cum magno clangore volitans rursus velut ministerio divinitus missa capiti apte reponit; inde sublimis abit.* In quibus adeo versus quosdam Clericus ad Livii l. l. odoratus est, sic fere recuperandos *Iovis ales Caelo suspensis demissa est leniter alis: Aufert illa apicem volitans, apteque reponit. Tum sublimis abit.* Quod etsi non deterius est quam quod nuper instituerunt, mihi non fit credibile, de qua re alibi dixi. Sed Ciceronem cum de leg. i 1, 4 tamquam rem fictam a poeta affert *ab aquila Tarquinio apicem impositum* Ennianae fabulae memorem fuisse supra p. clxvi ad Numam et Egeriam indicavi: qui de re publica (ii 20, 35) ubi de Tarquinio regnum adepto dicit hanc fabulam memoraverit necne vitio codicis certo sciri non potest, sed probabile non est. Ad hoc autem prodigium fr. i *olim de caelo laevum dedit inclytus signum* refero ut olim, ipsa oratione suadente, quae longius abest ab eo augurio quod Servio Tullio puero accidisse Livius i 39, 1 narrat; nec obstat *olim,* quod etsi non uno modo explicari potest, fortasse indicio est augurium ab Ennio post acceptum a Tarquinio regnum narratum esse; *inclytus* autem puto dicitur *ales,* cuius rei et totius sententiae exemplum attuli Petronii c. 122 (v. 177) *haec ubi personuit, de caelo Delphicus ales Omina laeta dedit pepulitque meatibus auras.* Fr. iii et iv ex quo tenore supersint, praeter Ciceronem in adn. allatum Dionysius Halic. patefaciet qui iii 49, 1 ita scribit *τοιοῦτος δή τις ὁ Ταρκύνιος ἦν καὶ διὰ ταύτας τὰς αἰτίας ζῶντός τε Μαρκίου πάντων ἐγένετο Ῥωμαίων ἐπιφανέστατος καὶ τελευτήσαντος*

ἐκεῖνον τῆς βασιλείας ὑπὸ πάντων ἄξιος ἐκρίθη. Tarquinius occisus lavatur ab uxore (VIII), quam *bonam feminam* dicit poeta, ut Cicero Phil. III 6, 16 *tuae coniugis, bonae feminae.* Funus Tarquinii effertur ad faces et candelas, id quod significat versus *prodinunt famuli: tum candida lumina lucent* (IX), quod moris fuisse in regibus Vergilius testis est in adn. allatus. Cf. Servius ad Aen. V 4. De tribus quae praeterea ad Tarquinium ascripsi fragmentis ipse video rem esse satis ambiguam; quae licebat, ut incerta eius libri, segregare a reliquis: nunc Tarquinio ascribo, cum non incommode ad Tarquinium referantur et commodius paulo quam ad Servium Tullium, de quo alia quam res bellicas poeta, ni fallor, exposuit. Et fr. V quidem nescio an vicinae Latinorum gentes dicantur, quas illi contra Tarquinium bellaturi asciverant: coll. Dionysio Halic. III 51, 3 *οἱ Λατῖνοι . . ἐψηφίσαντο τήν τε οἰκείαν δύναμιν ἐξ ἁπάσης πόλεως ἐξάγειν καὶ τῶν πλησιοχώρων ἐθνῶν τὰ κράτιστα παρακαλεῖν*, quamquam etiam universe Tarquinius dici poterat magnas et opulentas gentes quae circum eos (Romanos) essent paulatim sibi conciliasse: Dionys. III 51, 1. Etruriam Romanis plene subactam cecinit poeta, ut e VI colligitur; quod quidem non Romani ducis verba continet: immo ita Etruscorum princeps milites suos propter imminentem Etruriae ruinam adhortari videtur. At hoc Etruscorum bellum Ennius Tarquinione an Servio Tullio ascripserit obscurum. Livius quidem Tarquinium cum Etruscis contendisse non tradit, Dionysius autem Halic. Etruscos complures annos contra Tarquinium bellum gessisse narrat (cf. III 57, 1 *πάσας τὰς τῶν Τυρρηνῶν πόλεις κοινῇ τὸν κατὰ Ῥωμαίων πόλεμον ἐκφέρειν* et ibid. 3 *βασιλεὺς Ταρκύνιος Ῥωμαίους τε σύμπαντας καθοπλίσας καὶ παρὰ τῶν συμμάχων ὅσους ἐδύνατο πλείστους παραλαβὼν κτλ*), tandem gravissimo proelio ad urbem Eretum infeliciter commisso in dicionem Romanorum se tradidisse III 59, 1 *τελευταία δὲ μάχη Ῥωμαίων καὶ Τυρρηνῶν ἐγένετο πόλεως Ἠρήτου πλησίον ἐν τῇ Σαβίνων γῇ . .* (3) *ἐκ ταύτης τῆς μάχης μεγίστης τῶν προτέρων γενομένης, ὅσας πρὸς ἀλλήλους ἐπολέμησαν, τὰ Ῥωμαίων πράγματα θαυμαστὴν ὅσην ἐπίδοσιν ἔλαβε.* Orosius II 4, 11 (nescio unde) omnia complexus scribit *Tarquinium Priscum omnes finitimos et potentes tunc Tusciae duodecim populos innumeris concidisse conflictibus.* Hanc memoriam si Ennius secutus est, hoc proelium aptam videatur illi versui occasionem dare. Verum idem Dionysius IV 27, 3. 4 longinqua, quae Servius Tullius contra Etruscos gesserit, bella enarrat: Livius I 42, 2 unum Servii 'cum Veientibus aliisque Etruscis' bellum leviter memorat, e quo 'fuso ingenti hostium exercitu' victor ac rex Romam redierit. Tertium denique fragmentum (VII) non in unius pugnae narrationem quadrare apertum est, sed non inepte contuleris pugnandi genus quod Dionysius Halic. III 52, 2. 3 descripsit.

De Servio Tullio restant omnino duo versiculi, quorum alter (X) ab Hertzio emendatus quam sedem habere in tenore narrationis

potuerit in adn. indicavi, altero (xi) Dianae templum Servio auctore a Latinis una cum Romanis Romae factum significari videtur collato maxime Livio i 45, 1. 2 *aucta civitate magnitudine urbis, formatis omnibus domi et ad belli et ad pacis usus, ne semper armis opes acquirerentur, consilio augere imperium conatus est, simul et aliquod addere urbi decus . . . saepe iterando eadem perpulit tandem, ut Romae fanum Dianae populi Latini cum populo Romano facerent,* et ex Dionysii eiusdem rei narratione iv 25 sqq. ad Enniani versus sententiam maxime accedunt quae scribit 25, 3 *εἰς ἐπιθυμίαν ἦλθεν ἐπιφανές τι διαπραξάμενος αἰώνιον ἑαυτοῦ μνήμην τοῖς ἐπιγινομένοις καταλιπεῖν.*

Quae olim ex incertis ad hunc librum addideram ad ultimi regis res pertinentia nunc malui hinc relegare: itaque restat versus unus ex hoc libro citatus (xii) *caelum suspexit stellis fulgentibus aptum,* quae posse de Lucretia violata et suam innocentiam testante dici concedatur oportet, cum fide affirmare non licet.

Quarti annalis qui notam praeferat unus hodie exstat a Macrobio Sat. vi 1, 17 traditus versiculus *Romani scalis: summa nituntur opum vi* (ii), e quo nec de argumento huius libri nec de tempore quicquam colligere licet. Sed de temporibus cum constet tertium librum in regni Romani exitu desiisse (h. e. a. u. c. 244), sextum ab adventu Pyrrhi in Italiam (a. u. c. 472) initium cepisse, consectarium fit quae media sunt in libros quartum et quintum aequa fere portione distributa fuisse. Itaque cum Cicero defectionem solis quam Ennius memorat eodem teste in annum cccl post Romam conditam cecidisse tradat, qui annus dubitari non debuit quin recte perscriptus fuerit (cf. p. clvii), necessario consequitur ut versus Ennii qui eam defectionem describit *nonis Iunis soli luna obstitit et nox* (iv) in quarto annali locum habuerit. In eodemque iam confidentius reponemus expugnationem Volscorum urbis Anxuris, quam indicat versus *Vulsculus perdidit Anxur* (iii): eam enim urbem a. u. c. 348 expugnatam Livius tradidit iv 59; qui quod ibi scribit (6) *ad quem tumultum obstupefacti qui adversus Fabium urbem infimam tuebantur locum dedere scalas admovendi plenaque hostium cuncta erant,* repertus est locus versus ex hoc libro citati (ii), quem sic supplevi *(temptant ascendere muros) Romani scalis: summa nituntur opum vi.* Quo certius est huic libro recte vindicari versum, quo Ennius expugnatae urbis fata conclusisse videatur *(ita) Volsculus perdidit Anxur.* Neque his rationibus obest quod Livius postea (v 8, 2; 12, 6; 13, 1) ad annos 352. 354 Anxur descivisse sed a Romanis brevi receptum esse narravit.

Ita tres versus ii. iii. iv huic libro vindicati et suo ordini restituti sunt: qui si forte mediam partem occupabant, ratiocinando licebit fortasse non nihil dispicere eorum quae in oris huius libri habebantur. Etenim teneo quod in prooem. 1892/93 probavi versum *Nobis unde forent fructus vitaeque propagmen* (i) T. Quinctii Cincinnati responsum esse ab aratro vocati ut dictator esset sive consul (a. u. c. 296.

294); itaque hoc in IV libri principio posui fidenter. Cui narrationi de Quinctio quod Livius III 26, 7 praefationis loco praemittit *operae pretium est audire qui omnia prae divitiis humana spernunt neque honori magno locum neque virtuti putant esse, nisi ubi effuse affluant opes,* in eademque narratione comparem sensum affert Dionysius Halic. x 17 extr. id quoque coniecturae dedi ut qui in promptu sunt similis sententiae versus Ennii *Audire est operae pretium procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis* hac occasione natos putarem: sed quoniam hoc certius asseverare non licet hos versus remanere iussi in incertis (IX).

Ab altera parte de fine libri si quaeritur, non ultra tumultum Gallicum a. 363. 364 egressum esse crediderim, quod probabiliter statuitur, etiamsi nullum testimonium accedat, sed eum tumultum fragmento putabam significari (v) quod a Macrobio Sat. I 4, 17 e septimo annali citatur; in quo credibile esset peccatum esse. Nam ut poeta, quod plerique statuunt, in eo libro praeter Punicum bellum etiam Gallicos tumultus, de quibus Polybius tradit II 23 sqq., tetigerit, tamen quam in illo bello Galli obtinuerint arcem ego nullam invenio. Qua re lenem emendationem numeri adhibeo et e VII in IIII translatis versibus Romae arcem a Gallis a. u. c. 364 occupatam significari statuo.

Reliqui haec eo loco quo olim collocaram, neque me aut aliorum convicia aut Mommseni humanitas de ea sententia deiecerunt, non tam persuasione veri quam quod nihil melius afferri vidi. Ribbeckium (mus. Rhen. x p. 276) non fugit cui rei haec verba maxime accommodata essent, cum a mea disputatione profectus sibi persuasit iis non tumultum Gallicum anni 364 a. u. c. sed eius tumultus recordationem referri quam Gallica bella Punicum primum excipientia et ab Ennio in septimo enarrata facile suscitare potuerint: in qua re Polybii verbis utitur II 23, 7 *οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ πάντες περιδεεῖς ἦσαν, μέγαν καὶ φοβερὸν αὐτοῖς ὑπολαμβάνοντες ἐπιφέρεσθαι κίνδυνον. ἔπασχον δὲ τοῦτ᾽ εἰκότως, ἔτι περὶ Γαλατῶν ἐγκαθημένου ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν τοῦ παλαιοῦ φόβου*, quamquam Galli quoque ipsi, quod idem Polybius refert II 22, 3. 4. 5, illarum rerum recordationem retinebant: sed nec occasionem monstravit qua ista commemoratio pristini terroris apta fuerit, nec haec verba universam periculi significationem, quae est utroque Polybii loco, sed peculiaris rei descriptionem continent. Mommsenus in quaest. Rom. II p. 298 n. putabat eosdem versus ad Mutinae et Tanneti a Gallis temptatas obsidiones pertinere, quas res cum Polybius III 40 tum Livius XXI 25. 26 ad a. 536 u. c. narravit. Sed in his obsidionibus, quas si Ennius memoravit, in octavo potius annali memorasse quam in septimo videatur, non video a Livio aut Polybio res gestas afferri, quae cum Ennianis versibus contendantur, et imprimis desideres *summa arcis moenia*, quae Galli furtim ascendisse dicuntur. Denique Muellerus nihil dicit nisi Enniana sumpta esse ex incognito aliquo embolio rerum Gallicarum quas primum bel-

lum Punicum insequentes Ennius in septimo perhibuisset. Quam vim verba Ennii habeant ex Vergilio maxime perspicitur qui ait Aen. VIII 655

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat,
Galli per dumos aderant arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacae.

Quibus addo quae sunt apud Dionysium XIII 7, 10 *ἤδη τῶν πρώτων ἀναβεβηκότων καὶ τοὺς ὑστερίζοντας ἀναδεχομένων ἵνα πλείους γενόμενοι τότε ἀποσφάξωσι τοὺς ἐν ταῖς φυλακαῖς καὶ καταλάβωνται τὸ ἔρυμα, ἀνθρώπων μὲν οὐδεὶς ἔμαθεν κτλ*, et notum est in hoc occupationum genere custodum caesorum saepe mentionem fieri (Serv. in Aen. II 166). Iam in oratione non est quod offendat; *qua* dicit *qua via* h. e. quam ante temptatam a Romano vel Gallo vel indicatam tantum poeta prius descripserat; et quod est *vigilesque cruentant* quo iure absolutam esse orationem dicimus (in quo uno olim peccavi), quae sic continuari poterat *Iam paene,* et sine particulis ea vis orationis constare poterat: ad Vergilii verba supra allata *arcemque tenebant* (657) Servius adnotat *deest paene: nam prope tenuerunt*; idem ad Aen. II 156, et saepe sic narratur ut factum esse dicatur quod tamen revera factum non esse intercedente alia re narratio ipsa fidem facit (cf. Diodor. XXXVII 27 p. 162 D., Appian. vol. I p. 301, 9 M.), nec raro videmus Ennii versus integros sententia manca afferri.

Libro quinto qui compositi sunt versus, eorum quattuor libri nota insigniti sunt sed iidem nihil de argumento libri aut de ipsorum occasione produnt: qui ex incertis hunc locum nacti sunt, eos aut indicata res aut testimonia quibus accepti feruntur huic libro vindicant. Quorum primum est (II) *bellum aequis manibus nox intempesta diremit,* in quo *bellum* (h. e. proelium) quod dicitur Samnitium bellum esse Acronis verba qui affert liquido demonstrant. Quae res illustratur a Livio (VII 33), ibi ubi de primo bello Samnitico ad a. u. c. 411 dicit (14) *itaque Romani, cum et fluere iam lassitudine vires sentirent et diei haud multum superesse, accensi ira concitant se in hostem: tum primum referri pedem atque inclinari rem in fugam apparuit; tum capi, occidi Samnis; nec superfuissent multi, ni nox victoriam magis quam proelium diremisset.* Et si cui magis placeat verba Ennii ad ea referri quae Livius in tertio bello Samnitium (X 12, 5) ad a. u. c. 456 memoravit *pugnatum maiore parte diei magna utrimque caede: nox incertis, qua data victoria esset, intervenit* (cf. eundem IX 23, 4), nihilo secius in hoc libro versus suum locum obtinebit: et quod progrediente aequabiliter rerum ordine suadebatur huius testimonii fide licet certius affirmare, bonam partem huius libri bellis Samniticis occupatam fuisse. *Samnitium bellum ancipiti Marte gestum Pyrrhus hostis, Pyrrhum Poeni secuti* ait Livius VII 29, 2.

Consimilis est non compar condicio versiculi (III) *euax aquast aspersa Latinis*: cuius primum formam a me certissime restitutam

et stabilitam arbitror, sententiam autem, de qua mirifice alucinati sunt, aperte monstrat exemplum quod cum illo iunctum est apud Charisium Plauti *euax aspersisti aquam (fili nuntio)*; denique *Latinis* quod dicit intelligo Latinos populos qui toties rebellantes toties victi a Romanis tandem domiti et in deditionem accepti sunt. Quorum bella annis a. u. c. 414. 415. 416 gesta Livius libro VIII persecutus est. Itaque sic interpretor versum Ennii, Latinis in his bellis magna sollicitudine suspensis nescio quem nuntium vel rem prosperam inexspectato accidisse qua iis quasi aqua aspergeretur h. e. animus iam depositus redderetur. Non contigit ipsam ostendere opportunitatem, sed ne me credant incredibilia cantare, indicio sint quae 'Camillus de Latinis populis ad senatum retulit' (Livius VIII 13, 10 sqq.); ex cuius oratione nimis prolixa haec satis sit attulisse: (15) *vultis crudeliter consulere in deditos victosque?* . . (16) *vultis exemplo maiorum augere rem Romanam victos in civitatem accipiendo?* . . (17) *maturato opus est quicquid statuere placet: tot populos inter spem metumque suspensos animi habetis: et vestram itaque de eis curam quam primum absolvi, et illorum animos, dum exspectatione stupent, seu poena seu beneficio praeoccupari oportet.* Itaque huius fide versus obtinemus, quem librum res Samniticas tractare vidimus, eius libri partem alteram Latinorum bellis dicatam fuisse.

Tertium incerti libri fragmentum (V) *cum nihil horridius umquam lex ulla iuberet* Orosii verba, quibus superscriptus est hic versus Ennii, quo tendat aperiunt. Ita enim censeo, potuisse quidem versum etiam ibi locum habere ubi institutum a Numa (vel a Tarquinio Prisco, nam sic quoque traditur) immane Vestalium supplicium primum referebatur, velut Plutarchus Num. c. 10, 6 cum ad mortem duci reas narrat *ἐξίστανται δὲ πάντες* ait *σιωπῇ καὶ παραπέμπουσιν ἄφθογγοι μετά τινος δεινῆς κατηφείας, οὐδ' ἐστὶν ἕτερον θέαμα φρικτότερον*, et Livius (I 28, 11) in supplicio Mettii Fufetii non omittit verbo carpere indignam poenae crudelitatem, sed probabilius esse ipsa forma orationis suadente Ekkehartum Ennii versum adscripsisse ad eam rem in qua apud poetam ipsum legebatur. Hanc autem memoriam Minuciae Vestalis damnatae Orosius ad a. u. c. 410, Livius qui eandem rem (VIII 15, 7) narrat ad a. 417 rettulit: quem si sequi licet apparet hanc rem bella Latinorum quae diximus exiguo intervallo subsecutam esse, ut dubitari non possit quin versus recte huic libro adscriptus sit.

Quae restant incerta sunt omnia, etiamsi ex hoc libro afferantur. Nam spondiazontis (IV) *Cives Romani tunc facti sunt Campani* ne origo quidem Enniana satis certa est, quamquam ne fictus habeatur Censorinus dissuadet qui (priore loco) Vergiliano Lucretianoque versibus hunc tertium adiecit, sed si est Ennianus, facile locum in his finibus quos huic libro scripsit nanciscitur. Sic enim Livius VIII 11, 16 *equitibus Campanis civitas Romana data*; idem VIII 14, 10 *Cam-*

panis equitum honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent... civitas sine suffragio data. At ne umquam fidentius iudicemus, idem Livius etiam XXIII 31, 10 scribit *et de trecentis equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendiis emeritis Romam venerant, latum ad populum, ut cives Romani essent* (a. u. c. 539). Sed *ansatas mittunt de turribus* (VII) in qua expugnatione urbis, quae multae fuerunt his temporibus, locum habere non potuit? Non certius iudicare licet de VI: magnam miseriam ita describere, ut etiam hostes ad misericordiam movere dicatur, commune genus sermonis est, quod multa habet exempla: Ennii verba *cogebant hostes lacrimantes ut misererent* quo pertinere dicam non reperio, nisi quod et hoc de expugnata urbe dicatur, quam relinquere coacti lacrimantes cogebant hostes ut misererent. *Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen* (VIII) Lirem esse et urbem Minturnas, quam coloniam Livius (x 21, 8) a. u c. 458 deductam tradit, Merula suspicatus est non inepte sed non satis certo.

Denique ut nihil praetermittatur, quod I feci *Iniicit inritatus tenet occasus iuvat res,* putavi ex singulari certamine petitum esse, sive eo quo T. Manlius Gallum perculit et occidit (Livius VII 10 ad a. 393) sive, quod multis de causis probabilius existimavi, quo T. Manlius consulis filius provocantem equitem Tusculanum vicit et obtruncavit (Livius VIII 7 ad a. 414, Claudius Quadrigarius apud Gellium IX 13), quod accurate caderet in huius libri ambitum, sed ut dubitatio haereat, verene eius versus sententiam acceperim.

cap. III In his quattuor libris, de quibus adhuc egimus, per amplos hiatus ac lacunas quasi incerto vestigio erravimus. S e x t i a n n a l i s narrationem per fila quaedam retexere atque poetae vim et ingenium sentire sinunt fragmenta. Ergo ex mea, quam Merula praeivit, dispositione huic libro P y r r h u m licebit inscribere. Pyrrho enim, nec vero aliis rebus praeter Pyrrhum hic liber dicatus est: licet versum, qui ipsum Pyrrhi nomen, vel Burri more Enniano, exhibet (IV), e quinto Nonius p. 226, 30 laudaverit, cuius tamen testimonio in promptu est quod opponatur Festi, qui p. 170, 33 Th. fr. III, quod cum illo perquam probabiliter Merula coniunxit, e VI annali citavit: accedit quod etiam reliqua, quae afferuntur e sexto, fere sua sponte se huic argumento accommodant. Porro quidquid de quarto quintoque libro statuetur, in quibus non vereor ut disponendo multum a vero deflexerim, a septimo bella Punica inchoari satis certa, quae infra explicabo, indicia monstrant.

Exorsum esse librum ab eo quem primum posui versu, Cicero apud Quintilianum VI 3, 86, licet editores non viderint, non obscure prodiderat. Unde colorem duxit is, a quo Lucretius quintum de natura rerum incepit, *quis potis est dignum pollenti pectore carmen Condere?* Cf. etiam Ausonius Mos. 298 *quis potis innumeros cultusque habitusque retexens Pandere tectonicas per singula praedia formas?* Ergo huic libro peculiare quoddam prooemium non defuit, ut praeter

primum septimo, decimo et ut videtur etiam sexto decimo. Sed his libris dum vindico exordium, ceteris non abiudico: nisi quod indicium, quo adiuvem suspicionem, nullum invenio. E consessu quodam deorum residuum videtur fr. II: qualem consessum difficile est divinare cui maxime parti poeta admiscuerit. Sic potuit vel in media pugna aliqua deorum auxilium, quo alterutri parti felicius verteret certamen, ascisci. In re incerta ad principium libri versum ascripsi, quemadmodum Homerus nonnumquam in ipsis librorum initiis deorum contionem expandit. Cf. Il. IV 1 sqq. VIII 1 sqq.*) Indicto bello Tarentini 'Graium hominem, regem, nomine Burrum' arcessunt (III. IV): qui 'cum imperium orbis agitaret et Romanos potentes videret', Apollinem de incepto suo consuluit. Eius auctoritate ancipiti et ambigua imprudenter fretus (V. VI) 'cum totis viribus Epiri Thessaliae Macedoniae incognitisque in id tempus elephantis' in Italiam advenit. Cf. Florus epit. I 13, 6. Ac Pyrrhi elephantos eo versiculo quem de elephantis elatum Servius in Aen. IV 404 testatur *it nigrum campis agmen* (lib. inc. XIV) dici conicias. Cf. ann. 607 et Varro de l. L. VII 39. Pyrrhus autem cum iuventutem Tarentinam insolentem antea militiae ad arma cogeret eamque invidiam 'satellitum quorundam regiorum intemperies' augeret, inde Tarentinorum civium taedia ac querelae occultiores ortae: *ἀπεῖπε δ' αὐτοῖς καὶ πρὸς συμπόσια καὶ κώμους ἀθροίζεσθαι, καὶ τοὺς νεωτέρους ἐν τοῖς ὅπλοις ἀσκεῖσθαι ἐκέλευεν ἢ διημερεύειν κατὰ τὴν ἀγοράν. ὡς δέ τινες ἀχθόμενοι τούτοις ὑπεχώρησαν, φρουροὺς ἐκ τῶν οἰκείων κατέστησεν, ὥστε μηδένα ἐξιέναι τῆς πόλεως. οἱ δὲ τούτοις τε καὶ τῇ χορηγίᾳ τῶν τροφῶν βαρυνόμενοι . . μετεγίνωσκον δεσπότου καὶ οὐχὶ συμμάχου τοῦ Πύρρου πειρώμενοι*: Zonaras VIII 2 p. 109 Bonn. Cf. Plutarchus Pyrrhi c. 16 et Appianus exc. Samnit. I p. 37 M. Huc igitur refero fr. VII. Romae interea, quod condicio rei exigebat, apparatus, ut Florus l. c. ait, horribilis: de quo paulo plura Orosius IV 1, 2. 3 tradit: *bellum ingens exortum est* (Tarentinum dicit). *Romanos qui quantique hostes circumstreperent permetientes ultima adegit necessitas proletarios quoque in arma cogere hoc est eos qui in urbe semper sufficiendae prolis causa vacabant militiae adscribere.* Cum Orosio convenit Augustini de civ. dei III 17 narratio, qui ubi res quae bello Tarentino proxime antecedebant perstrinxit, *tum vero* inquit *tam multa bella ubique crebruerunt, ut inopia militum proletarii illi, qui eo quod proli gignendae vacabant ob egestatem militare non valentes hoc nomen acceperant, militiae conscriberentur: accitus etiam a Tarentinis Pyrrhus rex Graeciae tunc ingenti gloria cele-*

*) Quod versum ann. lib. inc. LXXXVIII *contra carinantes verba atque obscena profatus* hic interposueram, quibus Postumium significari vellem, qui legatus ad Tarentinos missus cum ab iis insultatus esset quae mali ominis essent iis regessit (Dionys. Halic. exc. XIX 5, 6. Zonar. VIII 2, 3), quamquam fortasse ineptum non erat, malui nimis incerta re in incertis haberi.

bratus Romanorum hostis effectus est. Nec tamen, cum Orosius sua ab Augustino mutuatus videatur, multum ei consensui tribuo, Augustinus vero fere non dubito quin in ea re auctoritatem Livii sequatur, ad quem magnam partem eorum quae ibi narrat Augustinus redire e Livii librorum XI et XII periochis colligitur. Quam ob rem si alia non accederent, sufficeret haec Augustini memoria, ut eos quibus proletarios in praesidium urbis armatos narratur versus Ennianos (VIII) in hoc loco reponeremus, quo eos rettulisse iam Freinshemius supplem. Liv. II c. 22 videtur. Verum succurrit tertium de proletariis ad militiam vocatis Cassii Heminae testimonium apud Nonium p. 67, 22 *Cassius Hemina annali lib. II: tunc Marcus praeco primum proletarios armavit.* Insidentem verbis labeculam infeliciter *Marius primum consul* emendando Freinshemius ad Flor. III 1, 13 temptavit. Maculam abstersit leni manu Lipsius ant. lect. IV 17. V 22 in hunc modum: *Marcius praetor*: illud praetermisit, quem Marcium vellet intelligi. Ipse dum circumspicio, ad quem ea pertineat memoria, incido in Q. Marcium Philippum, qui a. u. c. 473 cum L. Aemilio Barbula consul fuit. Quorum hic 'qui iam in Samnium ad exercitum profectus fuerat', ubi Romae bellum cum Tarentinis decretum est, in agro Tarentino castra ponere iubetur. Cf. Dionysius Halic exc. XIX 6 p. 235 K. Zonaras VIII 2, 5. *Igni ferroque* Orosius inquit *vastat omnia, plurima expugnat oppida*: ac similiter Zonaras l. l. *τὴν χώραν αὐτῶν ἐλεηλάτει καὶ ἔφθειρεν. οἱ δὲ ἐπεξῆλθον μέν, ἀλλ' ἐτράπησαν, ὥστε τοὺς Ῥωμαίους τήν τε χώραν αὐτῶν ἀδεῶς πορθῆσαι καί τινα χειρώσασθαι φρούρια.* Quare vide an ad Aemilium possit versus *et detondit agros laetos atque oppida cepit* (lib. inc. XXXIII) pertinere, quamquam, quod infra dicam, etiam alia eius versus sedes in promptu est. Paulo confidentius, quoniam ex hoc annali citatur, ad idem belli Tarentini quasi prooemium fr. IX revoco, ut in subitis quales Aemilius fecit praedationibus locum nanciscatur suum. Sed ibi dum Aemilius versatur, Marcius rebus, ad quas missus erat, Etruscorum nondum peractis Romam redit accitus ut videtur a senatu, qui 'expectatione Pyrrhi sollicitus praesidia undique conquirebat' (cf. Freinshemii supplem. Liv. II 21): triumphat de Etruscis (a. u. c. 473 K. April.), ac deinceps urbis custodiam moderatur, primum consul, quando nondum praeterierat annus consularis, postea (a. u. c. 474) praetor: ut non seorsum a nostra sententia Cassius Hemina a praetore Marcio conscriptos proletarios tradiderit, nisi quod Herm. Petrus hist. Rom. reliq. a. 1870 p. 103 non *praetor* ex *praeco* sed *pro consule* efficiendum statuit. Favet sententiae quod Zonaras VIII 3, 3 misso contra Tarentinos Laevino partem copiarum in urbe relictam commemorat; eam haud dubie, quam Marcius sive praetor sive pro consule regebat. Consules certe qui Marcio Aemilioque successerunt uterque in castra profecti erant, Laevinus uti dixi contra Tarentinos, Ti. Coruncanius in desertam ab Marcio Etruriae provinciam: unde et ipse post pugnae

Heracleensis infelicem exitum ad praesidium urbis revocatur. Cf. Zonaras viii 4 p. 114. Post pugnam Heracleensem Pyrrhus 'interemptos cremavit captivosque indulgenter habuit et sine pretio restituit missisque legatis in urbem omni modo adnisus est ut facto foedere in amicitiam reciperetur.' Ex hac Flori (ep. i 13, 15) narratione proximorum fragmentorum (x—xvi) nexum progressumque licet animo informare. Ac fr. x Columna multa, de qua infra delibavi quaedam, doctrina illustravit, quo pertinerent versus nec ipse nec Merula aut editor Lipsiensis persensit; de classe enim sub initium belli Punici a Romanis exstructa cogitant; quare Merula, qui a septimo, non ut Columna a sexto, ea bella incipere statuit, mutato numero fragmentum in eum librum transtulit. Quo quid Ennius exornarit, potuit cum is quem ipse secutus est Homerus tum reliqui qui simile versuum ornamentum adhibuerunt poetae posteriores docere. Itaque Homerus ait ibi ubi in funere Patrocli versatur (Il. xxiii 114) *οἱ δ' ἴσαν ὑλοτόμους πελέκεας ἐν χερσὶν ἔχοντες σειράς τ' εὐπλέκτους· πρὸ δ' ἄρ' οὐρῆες κίον αὐτῶν· πολλὰ δ' ἄναντα κάταντα πάραντά τε δόχμιά τ' ἦλθον. ἀλλ' ὅτε δὴ κνημοὺς προσέβαν πολυπίδακος Ἴδης, αὐτίκ' ἄρα δρῦς ὑψικόμους ταναήκει χαλκῷ τάμνον ἐπειγόμενοι· ταὶ δὲ μεγάλα κτυπέουσαι πῖπτον κτλ.* Quo artificio bis usus est Vergilius, et de sepultura Miseni Aen. vi 179, quem locum cum Ennianis versibus Macrobius Sat. vi 2, 27 composuit, et de rogo Pallantis (Aen. xi 134): *per silvas Teucri mixtique inpune Latini erravere iugis. ferro sonat alta bipenni fraxinus, evertunt actas ad sidera pinus, robora nec cuneis et olentem scindere cedrum nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.* Neque ab ea forma principum poetarum usu quasi sancita aut Silius x 529 de Aemilii Pauli (*sparsoque propinquos agmine prosternunt lucos, sonat acta bipenni frondosis silva alta iugis* eqs) aut Statius Thebaide vi 90 de Archemori funere (*sternitur extemplo veteres incaedua ferro silva comas* eqs) deflexit. Itaque noli dubitare, quin Ennii quoque versus illi ad rogum in eo proelio caesorum pertineant, quos Pyrrhus tam suos quam Romanos concremari iussit. Cf. Florus l. l. *interemptos cremavit* et Eutropius ii 11 *caesos sepelivit.* Post eam pugnam Pyrrhus memorabilem quam Orosius iv 1, 14 conservavit inscriptionem (xi) in templo Iovis Tarentini affixit. Dein legati, inter quos Fabricius, de redimendis captivis ad Pyrrhum mittuntur: redditi sine pretio (xii) 'redinunt in patriam', ut ait Ennius (lib. inc. xv), quamquam de eius sede versiculi nihil affirmo confidentius. Liberatos autem sine pretio captivos Livius quoque, cuius narratio e periocha lib. xiii, e Floro (i 13, 15), Eutropio (ii 12), Aurelio Victore (de vir. ill. 35) hauritur, et Dionem secutus Zonaras viii 4 p. 116 perhibuerunt. Contra Dionysius, si quidem ab eius auctoritate Appianus exc. Samn. 10 p. 41, 15 M. et Plutarchus Pyrrhi c. 20, 5 pendent, ita tradit, non redemptos esse captivos, sed ad Saturnalia tantum celebranda cum legatis Romam redisse eo pacto, ut nisi interea pax a Romanis

constitueretur in Pyrrhi castra reverterentur. Sed idem Dionysius (exc. xix 13) et qui illum sequuntur Appianus exc. Samn. et Plutarchus, id quod cum illa re artissime cohaeret, post irritam demum Cineae legationem Fabricium de redimendis captivis missum esse commemorant. Non item Ennius, si quid de Ennio licet e Livii memoria colligere, quem cum periocha lib. xiii tum Eutropius (ii 12) persuadent Cineae legationem altera Fabricii posteriorem exhibuisse. Nec denegata iam a Romanis pace Pyrrhum credibile est dimisisse sine pretio captivos, contra illud etiam repudiatis Cineae condicionibus prudenti consilio egit, quod captivis cum redeundi necessitate ni interea pax fieret Romam proficisci permisit. Quare cum eam redeundi condicionem ab Ennio alienam esse et ex ipsis versibus (xii) appareat et indicetur ab eo, cui luculentum fragmentum debemus, Cicerone (de off. i 12, 38), inde consequens est, ut apud Ennium ei rei irritam Cineae legationem non antecessisse arbitremur. Liberatis igitur captivis Pyrrhus Cineam oratorem Romam misit de pace. Romanos, cum iam in eo esset ut ratas haberent condiciones Pyrrhi, ab eo consilio Appii Claudii oratio revocavit, e qua duo restant frustula Enniana (xiii. xiv). Quare sine pace redit orator (Cineas haud dubie) et regi rem refert (xvi): in cuius mentem apprime convenire mihi visus est versus *aut animo superant* (xv), cuius sententia, quamquam verba non contigit ut certo restituerentur, non potest obscura esse. Nimirum Romanos ait Cineas primi proelii calamitatem spernere animoque superantes ad experiendam porro belli fortunam propensiores quam ad pangendam pacem esse. Cui Pyrrhi Cineaeque colloquio licet fortasse etiam hunc versum *qui vincit non est victor nisi victus fatetur* (lib. inc. xxxi) accommodare, sive hoc Pyrrhus dicit sive Cineas, victoriam scilicet Heracleensem non fuisse victoriam, quoniam Romani se victos non faterentur. Sed quae est harum rerum natura ambigua et incerta, habeo etiam alteram occasionem cui illam sententiam applicare liceat.

Asculi pugnam unum significat indicium de Decio, ut mihi visum est, nepote, qui apud Ennium patris avique exemplo dis manibus se devoverit. Quam rem notum est a nullo scriptore memorari praeter Ciceronem (Tusc. i 37, 89 et de fin. ii 19, 61: cf. Freinshemii supplem. Livii iii 42), quem credibile est eam memoriam ex Ennii annalibus hausisse. Ut nihil obstet quominus has preces quas fr. xvii refert Decii esse existimemus.

Restant duo fragmenta (xviii. xix), quae fere non dubito quin e rebus ad Beneventum gestis deprompta sint. Ita enim Plutarchus de Pyrrho ad castra Romana proficiscente c. 25, 2 *σπεύδων οὖν ὁ Πύρρος ἐπιθέσθαι τούτοις πρὶν ἐκείνους ἐπελθεῖν, ἄνδρας τε τοὺς κρατίστους καὶ τῶν θηρίων τὰ μαχιμώτατα λαβὼν νυκτὸς ὥρμησεν ἐπὶ τὸ στρατόπεδον. περιιόντι δὲ αὐτῷ μακρὰν καὶ δασεῖαν ὕλαις ὁδὸν οὐκ ἀντέσχε τὰ φῶτα καὶ πλάναι τοῖς στρατιώταις συνέτυχον· καὶ περὶ*

ταῦτα γινομένης διατριβῆς ἥ τε νὺξ ἐπέλιπε καὶ καταφανὴς ἦν ἅμ' ἡμέρᾳ τοῖς πολεμίοις ἐπερχόμενος ἀπὸ τῶν ἄκρων, ὥστε θόρυβον πολὺν καὶ κίνησιν παρασχεῖν. Quibus etiam nunc puto versus duo qui restant ex hoc libro citatos satis declarari, quamquam qui tertius erat *lumen . . . scitus agaso,* qui egregie ad hanc sententiam faciebat, codicis testimonio ex VI in XVI transferendus erat. M' Curii praeconium a Cicerone relatum, quo olim huius libri reliquias non inepte opinor claudendas censui, quoniam nulli libro adscriptum est, malui nunc in XII ponere, ut ibi habeat paene eam vim quam volui ei in hoc exitu belli Tarentini esse.

Res Punicas Ennius tribus libris, nisi me fallit opinio, ab- cap. IV solvit, quorum unum in primo, duos octavum et nonum in secundo bello consumpsit. Neque enim primum bellum praeteriit omnino, ut non potuit apte tam amplam tantaeque gravitatis materiam praeterire praesertim in carmine perpetuo, quale annales fuisse vel nomen indicio est. Potuit in hoc bello compendiosius versari, ut exponeret res graviores, leviores aut omitteret aut quantum nexui rerum serviebat perstringeret, quoniam in eo argumento non ita multo ante operosius Naevius elaborarat. Nam Ciceronem non puto tantum re praestare quantum verbo dicit, cum Ennium Naevii causa 'omnia bella persequentem primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisse' memorat Brut. 19, 76 (VII fr. I). Cuius verbis obtemperari vetant quaedam quae hodie supersunt fragmenta. Non dico eum versum quo sine libri ac poetae indicio Cicero de inv. I 19, 27 utitur *Appius indixit Karthaginiensibus bellum* (VI), qui quidem si Ennii est non potest non ad primum bellum Punicum pertinere. Cf. Zonaras VIII 8 p. 132, Polybius I 12 et praecipue Livius XXXI 1, 4 *a condita urbe ad App. Claudium consulem, qui primum bellum Carthaginiensibus intulit.* Nec nimis obdurescam aut in fr. X, quod etsi ex octavo Ennii affertur a Nonio p. 151, 24, mihi vixdum dubium est quin a Merula recte in hunc librum translatum sit, aut in fr. VII Hugii opinione, cum a Macrobio Sat. VI 1, 22 e sexto citetur, huic annali restituto. Quod ille firmare potuit vel hoc Polybii loco I 19, 2: *ἀναλαβὼν* (Hannonem dicit) *τά τε θηρία περὶ πεντήκοντα τὸν ἀριθμὸν ὄντα καὶ τὴν λοιπὴν δύναμιν ἅπασαν προῆγε κατὰ σπουδὴν ἐκ τῆς Ἡρακλείας, παραγγείλας τοῖς Νομαδικοῖς ἱππεῦσι προπορεύεσθαι καὶ συνεγγίσασι τῷ χάρακι τῶν ἐναντίων ἐρεθίζειν καὶ πειρᾶσθαι τοὺς ἱππεῖς αὐτῶν ἐκκαλεῖσθαι κἄπειτα πάλιν ἐκκλίνασιν ἀποχωρεῖν ἕως ἂν αὐτῷ συμμίξωσι.* Quo nisus ego (nam Ribbeckius qui contra dixit mihi non persuasit) ad initium belli rettuli versum, quem propter multiplicem in hoc bello Numidarum equitum usum (cf. Liv. XXI 29. 45) non nego etiam in alia parte eius libri haberi potuisse. Mitto nunc etiam fr. XIII, quo infra revertar. Quae certissimo indicio Ennium illud bellum nec praeterisse omnino nec nimis parce tractasse ostendunt, haec duo sunt e septimo annali allata fragmenta XI. XII, quibus ut apertum

est ita neminem editorum fugit naves regendi exercitia, qualia fere in limine belli rudes huius artis Romani instituerint, depingi. Rem et confirmat et illustrat Polybius I 21, 1 *οἱ δὲ τὰ πληρώματα συναθροίσαντες ἐδίδασκον ἐν τῇ γῇ κωπηλατεῖν τὸν τρόπον τοῦτον· καθίσαντες ἐπὶ τῶν εἰρεσιῶν ἐν τῇ χέρσῳ τοὺς ἄνδρας τὴν αὐτὴν ἔχοντας τάξιν ταῖς ἐπ' αὐτῶν τῶν πλοίων καθέδραις, μέσον δ' ἐν αὐτοῖς στήσαντες τὸν κελευστήν, ἅμα πάντας ἀναπίπτειν ἐφ' αὑτοὺς ἄγοντας τὰς χεῖρας καὶ πάλιν προνεύειν ἐξωθοῦντας ταύτας συνείθιζον, ἄρχεσθαί τε καὶ λήγειν τῶν κινήσεων πρὸς τὰ τοῦ κελευστοῦ παραγγέλματα.* Quae accurate vel in genere exercitiorum cum Ennianis versibus conspirant. Cf. Diodori exc. l. XXIII 2 p. 316 sq. Dind. Quare quod supra tetigi noli dubitare duobus istis tertium adiicere id quod illis praeposui fr. X.*) Ex qua Ennii narratione Vergilius colores quosdam in suam aliquam naumachiam desumpsit, si quidem Servius Ennii memor, ut puto, Aen. V 114 haec adnotavit ad X adscripta *Punico bello primum naumachias ad exercitium instituere Romani coeperunt, postquam probarunt gentes etiam navali certamine plurimum posse: ad quam rem in hoc certamine plurimum adludit poeta.* His tribus fragmentis praemisi nunc aliorum auctoritati cedens non nimis fidenter VIII et IX, quorum illud ex VII affertur, hoc incerti libri est: et illud quidem explicari fortasse potest his quae Polybius I 20, 15 scribit *ἐν ᾧ δὴ καιρῷ τῶν Καρχηδονίων κατὰ τὸν πορθμὸν ἐπαναχθέντων αὐτοῖς, καὶ μιᾶς νεὼς καταφράκτου διὰ τὴν προθυμίαν προπεσούσης ὥστ' ἐποκείλασαν γενέσθαι τοῖς Ῥωμαίοις ὑποχείριον, ταύτῃ παραδείγματι χρώμενοι τότε πρὸς ταύτην ἐποιοῦντο τὴν τοῦ παντὸς στόλου ναυπηγίαν,* quibus deinceps adnectit prima quae Romani ad acceptum specimen constructis navibus remigandi exercitia instituerint, quae supra attuli et cum Ennianis versibus composui. De altero maior est dubitatio, et ut omittam quae idem Polybius I 23 refert in Duilii victoria navali Hannibalis ducis navem praetoriam magni pretii captam, in iis quae I 46. 47 tradidit de audacia Hannibalis Rhodii in obsidione Lilybaei una nave intrantis in portum et incolumis exeuntis et de aliorum similia temptantium ausis plura sunt quae ad alterum utrum horum versuum aut ad utrumque ascisci potuerint: haec affero 47, 5 *ἐφ' ᾧ (χώματι) τετρήρης ἐκτρέχουσα νυκτὸς ἐκάθισε καὶ τοῖς πολεμίοις ὑποχείριος ἐγένετο, διαφέρουσα τῇ κατασκευῇ τῆς ναυπηγίας· ἧς οἱ Ῥωμαῖοι κρατήσαν-*

*) Ut tamen admoneam, quo magis appareat quam caute in his rebus iudicandum sit, potuisse hoc quidem, ut est ex VIII allatum, etiam in bello Hannibalico locum adipisci, si quidem Livius haec tradit ad a. 544 (XXVI 51, 5 sq.) *hunc ordinem laboris quietisque, quoad Carthagine morati sunt, servarunt. Remigium classicique milites tranquillo in altum evecti agilitatem navium simulacris navalis pugnae experiebantur.* Quin idem genus exercitiorum Livius (XXXV 26, 2) in bello Antiochi similibus verbis perstrinxit: *harum novarum navium agilitatem ut experiretur, simul ut omnia satis apta ad certamen essent, provectos in altum quotidie remigem militemque simulacris navalis pugnae exercebat.*

τες κτλ, dein de Rhodio ipso 47, 9 *ἐγένετο τοῖς ἐχθροῖς ὑποχείριος* .. *οἱ δὲ Ῥωμαῖοι κυριεύσαντες καὶ ταύτης τῆς νεὼς εὖ κατεσκευασμένης καὶ καταρτίσαντες αὐτὴν κτλ*, de qua nave etiam postea 59, 8 loquitur. Sed haec utut se habent, hi versus ex hoc libro citati, quamquam eorum occasio certo demonstrari non potest, in quibus est etiam XV *alter nare cupit, alter pugnare paratust,* quem nonnulli cum illis coniunxerunt, hoc quidem patefaciunt se ad bellum Punicum primum pertinuisse.

Haec igitur indicia cum Ennium hoc bellum non omnino praetermisisse persuadeant, tamen, ne Cicero nihil dixisse videatur, illud tenendum est huius belli narrationem cum ab aliis rebus tum praecipue a secundo bello Punico multum brevitate discrepasse. Neque hoc ita improbabile est. Etenim aliquam libri partem tribuit prooemio, in quo non parce egisse ipsius poetae quam alibi notavi *φιλαυτία* arguit. Nimirum hoc agit, ut obtrectans Naevii poesi, quam ab rudi Faunorum cantu fere non distare praedicat, sua merita laudibus extollat. Cf. 213—217, quos versus ut nunc ordinavi ad codicum testimonia, tam Ciceronis quam Ennii sensum paulo sane planiorem effecisse videor. Gloriatur autem Ennius, quod primus heroos versus quos *longos* (utrum hoc nexu an alibi non dirimo, inc. XX) vocabat arti adhibuit. Ab illis autem versibus, inter quos Ciceronem non nimis multa omisisse existimo, non magno intervallo dispestum fuisse fr. II videtur, quo eam 'dicti' peritiam sibi non per somnium sed labore ac studio contigisse profitetur.*) A quibus paulo longius abfuisse putabam tertium e prooemio superstes fragmentum, quo Ennius se ab obtrectandi libidine videbatur revocare; quod tamen nunc malui ad incerta (LXXXIX) reiicere. Sed hos de sua Naeviique poesi sensus Columna ac Merula poetam in ipso limine carminis deprompsisse voluerunt; sed videtur, quod Cicero subindicat, ea ibi exposuisse ubi rationem reddebat cur in primo bello Punico aliquantum a more suo narrandi deflexisset. Credibile est enim Ennium a significanda re quam hoc libro tractaturus esset initium sibi fecisse. Quemadmodum sextum orditur a versu *Quis potis ingentis oras evolvere belli,* scilicet eius quod cum Pyrrho rege gesserunt Romani, et decimum *Insece Musa manu Romanorum indupera-*

---

*) Sic recte olim horum versuum sententiam expressi: de qua dixi in act. acad. a. 1886 p. 13, ubi concessi, quod Ennius negat quemquam *in somnis* videre sapientiam, priusquam eam discere coeperit, fieri potuisse, quod sunt qui statuant, ut responderit iis si qui iam tum (ut postea) cum risu exceperint *somnium* Pythagoreum in principio annalium positum quo se Homerum ex Ennio factum praedicabat, ob eamque rem iis versibus indicari sex libros primos seorsum ab Ennio editos priusquam ad septimum aggrederetur; neque tamen hoc quoque dedi sententiae rationem non constare nisi hoc ex ea colligeretur; sententiam enim esse universam, in qua vis esset in *discendi* notione, ut non inepte conferretur Democriti quod dicitur dictum (apud Stobaeum ecl. II 31, 71) *οὔτε τέχνη οὔτε σοφίη ἐφικτόν, ἢν μὴ μάθῃ τις.*

tor quod quisque in bello gessit cum rege Philippo, sic initio septimi probabile est professum esse, se velle dicere bellum 'acerrimum' quod Romani cum Carthaginiensibus gesserunt, cuius asperitatem fortasse pluribus verbis expresserat in eum modum quem Polybius I 13, 11 scribit *οὔτε γὰρ πολυχρονιώτερον τούτου πόλεμον εὑρεῖν ῥᾴδιον οὔτε παρασκευὰς ὁλοσχερεστέρας οὔτε συνεχεστέρας πράξεις οὔτε πλείους ἀγῶνας οὔτε περιπετείας μείζους τῶν ἐν τῷ προειρημένῳ πολέμῳ συμβάντων ἑκατέροις* (cf. I 63, 4). Ut ab hoc exordio Ennius et ab indicata re quam ageret pergeret ad eos qui eandem rem ante tractassent. Qua de causa cum Naevii carmen memoraret, iudicium de eo poeta adiecit suaque merita exposuit. Unde cum natum sit II, hoc quod ex septimo est allatum, illis quoque suum locum vindicat.

Nunc nova nec exigua materia huius libri prooemio accessit, quae olim a me cognosci non potuit. Qui enim Orosii verbis (ad V adscriptis) *post haec Carthaginienses cum Tyrum urbem auctorem originis suae ab Alexandro magno captam eversamque didicissent, timentes transitum eius in Africam futurum, Hamilcarem quendam cognomento Rhodanum virum facundia sollertiaque praecipuum ad perscrutandos Alexandri actus direxerunt* Ekkeharti manu superscriptus est in codice Sangallensi versus *Qualis consiliis quantumque potesset in armis* (V), cuius sententiam Orosii verba patefaciunt, certissime prodit, quod antea sciri non poterat, Ennium initium Punici belli a rebus Carthaginiensibus fecisse: nulla enim alia in parte narratio ista, ex qua promptus est is versus, locum habere potuit; ita probabile fit Ennium idem instituisse quod Livium initio rerum Punicarum fecisse periocha libri XVI testis est *origo Carthaginiensium et primordia urbis eorum referuntur,* et quod Iustinus XVIII 3 *Et quoniam ad Carthaginiensium mentionem ventum est de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus,* et Orosius ipse IV 6, 1 Pompeio Trogo et Iustino auctore *et quoniam ex hoc iam Punica bella succedunt, res ipsa exigit ut de Carthagine .. pauca referantur.* Alter versus quem illi nunc addidi (IV) *Poeni suos soliti dis sacrificare puellos* per se eius rei fidem facere non poterat, quem olim in VIII annali posui et ad bellum Hannibalicum rettuli auctore Silio Italico IV 765 *ecce autem patres aderant Carthagine missi; causa viae non parva viris nec laeta ferebant. mos fuit in populis, quos condidit advena Dido, poscere caede deos veniam ac flagrantibus aris infandum dictu parvos imponere natos . . cui fato sortique deum de more petebat Hannibalis prolem discors antiquitus Hannon.* Quod vituperandum non erat: nam Ennius certe non minus apte quam Silius potuit ea occasione huius moris Poenorum mentionem facere. Nunc cum altero teste constet Ennium in exordio belli Punici Carthaginis res ab origine repetiisse, non est quod illi versui alium locum quaeramus, eo minus quod et Iustinus et Orosius in illa parte ut res Hamilcaris Rhodani (Iustin. XXI 6, 1) sic illum morem Carthaginiensium (Oros. IV 6, 3. Iustin. XVIII 6, 12) commemorarunt.

His duobus versibus tertium in eiusdem argumenti communionem adieci (III) *Poenos Sarra oriundos,* ut indicio sit, quoniam Sarra est Tyros, Ennium a Tyro et Tyriorum rebus exorsum esse, cui geminus est ex VIII allatus versiculus *Poenos Didone oriundos,* unde apparet Ennium poetarum more non semel sed saepius *Poenos* sive *Sarra* sive *Didone oriundos* appellavisse.

Crevit igitur amplitudo rerum in hoc libro etiam ante bellum ipsum expositarum. Res autem ipsas hoc bello gestas dum breviter perstringit quod Ciceronis causa obtinemus, occasiones quasdam illustriores quibus latius oratio vagaretur captavit. Ita versibus quos Gellii industria n. A. XII 4 servavit (XIV) speciem viri nescio cuius qui Servilii amicitia fruebatur cum studio adumbravit. Hugius quidem improbabile duxit, Ennium in tam compendiosa huius belli narratione mediae alicuius pugnae descriptioni eam copiose explicatam morum delineationem immiscuisse. At hic poeta cum longius abesset ab ea artis subtilitate, quae maxime in aequabilitate partium conspicitur, tum hoc consulto instituit, ut ceteris quae Naevius occupaverat summatim tractatis in deverticulis quibusdam diutius versaretur. Quare ne illud quidem tam mirabile est quam Hugio videbatur, quod splendidius a Servilio gestum nihil ad nostram memoriam pervenit. Etenim duos fuisse Servilios geminos Cicero tradit (Lucull. 18, 56. 26, 84 sq.), Publium alterum, qui cum C. Aurelio Cotta bis consul fuit a. u. c. 502 et 506, alterum Quintum. Quorum de hoc nihil comperi praeter nomen, ille utroque consulatu in Sicilia res gessit non insigniores, sed quae Ennio ansam narrationis suae praebere possent. Cf. Zonaras VIII 14 p. 152 et 16 p. 159. Sed eam ob tenuitatem memoriae Hugius arbitrabatur Ennium non de illo Servilio quem dixi sed de iuniore loqui, eo qui in pugna Cannensi fortiter pugnasse communique clade occidisse traditur. Cf. Livius XXII 45, 8. 49, 16. Quod etsi fieri potuisse non negabam, perstabam tamen, quoniam recedere nihil cogebat, in memoria Gellii qui XII 4 e septimo, non cui ille vindicabat octavo annali fragmentum citavit, quamquam eorum occasionem versuum certius definire per ea quae de Serviliis perhibentur non licebat. Non secus nunc sentio, et hoc addam breviter, quo fortius refellam Hugium et qui eum nuper secuti sunt. Ex Ennii versibus de Servilio nihil dispicitur nisi eum (ut est in v. 251) *inter pugnas* h. e. inter pugnandum vocasse et compellasse verbis amicum quocum vivere, ut Ennius describit, et res suas utpote homine perito simul et fido communicare soleret. Gellius autem non solum totum nomen affert sed ita scribit ut haec ab Ennio *sub historia Gemini Servilii viri nobilis* exposita esse affirmet. Quae ex Ennii versibus quos affert colligere non poterat, poterat ex tenore rerum, qui erat in eo libro annalium quem dixit. Et haec nos putamus Gellium in media pugna Cannensi ab Ennio narrata offendisse? Qui quod ita dicit *sub historia Gemini Servilii* sic interpretandum censeo ut Ennium dicamus prae-

scripto Gemini Servilii consulis nomine res eo consule gestas narravisse, quem videmus etiam alibi consules recens factos memorare, 303 *additur orator Cornelius . . Tuditano collega* et 295 *Quintus pater quartum fit consul*; 329 *Graecia Sulpicio sorti data, Gallia Cottae.* Quae cum ita sint, apparet illos versus ab anno u. c. 538 et a pugna Cannensi alienos esse.

Ad res bellicas utpote ex septimo citatum referendum est fr. xiii, de quo nescio an e Gellii verbis xviii 5, 4 *hos eum primum versus perperam pronuntiantem audivimus 'denique . . . proiciunt sese' neque multis postea versibus additis celebrantibus eum laudantibusque omnibus discessit* colligi possit, non longe illud a fine libri abfuisse, quem librum inde apparet non inter inferiores fuisse qui ad publicam recitationem deligeretur. Versu ipso ex proelii alicuius descriptione sumpto Carthaginienses dici apparet, quorum in pugnis pedestribus *τοὺς ἱππεῖς καὶ τὰ θηρία* saepe a Polybio memorari notum est. Quare ineptum non erat, quamquam non plane certum, de quo Columna primus cogitarat, clarissimam pugnam dici, in qua Carthaginienses Xanthippo Spartano duce in Africa praecipua equitum et elephantorum opera magnam de Regulo et Romanis victoriam reportarunt (499 a. u.). Quae qui narravit Polybius i 33. 34 patefacit in ea pugna quae vis fuerit equitum et elephantorum.

Tantum est de bello Punico primo quod ex reliquiis Ennianis cognosci possit. Qui praeterea ex hoc libro citantur versus, in iis, etsi sententiae eorum plerumque perspicuae sunt, nihil est quod cum aliqua fide ad certam occasionem revocari possit. Velut xv *alter nare cupit, alter pugnare paratust* ego nolim cum aliis in sententiam universam accipi, ut diversa Carthaginiensium et Romanorum condicio depingatur, quorum hi terra, illi vero mari pollerent, quasi qui conferre velit quae Livius scribit vii 26, 13 *cum Graecis nulla memorabilis gesta res, nec illi terra nec Romanus mari bellator erat,* quae certe apertiora sunt Ennianis; ea vero mihi videntur non posse nisi sua vi propria intelligi: quod genus Silius iv 585 in pugna ad Trebiam scribit

Ille celer nandi iamiamque apprendere tuta
Dum parat et celso connisus corpore prensat
Gramina summa manu liquidisque emergit ab undis,
Contorta ripae pendens affigitur hasta.
Hic hostem orbatus telo complectitur ulnis
*Luctantemque vado permixta morte coercet.**)

Ad quorum exemplum licet fortasse Ennii versum sic supplere *alter nare cupit, alter pugnare paratust (fluctibus in mediis),* sed occasionem in hoc libro cui ea aptentur non reperio.

---

*) Quae nunc video etiam ab Ern. Wezelio (de Silii fontibus p. 43) componi.

Difficilius iudicatu est XVI *deducunt habiles gladios filo gracilento,* in quo iam illud ambiguum est *deducere gladios* dicantur pugnantes an potius fabricantes gladios, si quidem in *deducendo* utrumque inest (vid. adn.). Gladii autem qui describuntur Gallorum esse gladii videntur, qui quales fuerint cum Plutarchi verbis de Camillo 41, 5 tum iis quae Livius XXII 46, 5 de Gallicis Hispanisque gladiis scribit declarare studui: quibus addi poterant quae Polybius de Gallorum gladiis affert (II 30, 8; 33, 3. 5. 6; III 114, 2. 3). Itaque sic statuunt, versum Ennii una cum iis versibus quos supra in libro IV reposui (V) in ea parte libri septimi locum habuisse qua bella Gallorum exacto Punico oriunda enarrata fuerint; et quia Illyrii sunt in versu lib. inc. XL *Illyrii restant sicis sybinisque fodantes,* Illyriorum quoque res tempore cum Gallicis mixtas in eadem parte habitas fuisse. A quibus non possum quin longius discedam. Atque Illyrios ut omittam, qui etiam alibi locum nancisci poterant (Liv. XXXI 34. 35), versus qui Gallorum nomen habent (IV fr. V) hinc removi non solum quia in his bellis non repperi quod cum iis conveniret, verum quia ipsis verbis tumultum Gallicum a. 364 et temptatam occupationem Capitolii significari putabam. De gladiis autem Gallorum reminiscendum est mercennariorum copias Carthaginiensium multis et variis gentibus mixtas Gallorum quoque bonam partem habuisse (Polyb. I 17, 4. 67, 7, al.), quos credibile est suae gentis arma retinuisse (Polyb. III 114, 2. 3). Atque omnino dubito quam recte poeta ultra bellum Punicum quod huius libri argumentum esse voluit et indicavit egressus esse existimetur, qui Pyrrhi bellum uno libro complexus est et bellum Philippi rebus Punicis non immiscuit sed a novo libro exorsus est (X fr. I).

De ceteris huius libri versibus nihil habeo quod probabiliter disputari posse videatur.

Octavum annalem rebus Hannibalis dicatum esse certo versuum quorundam ex ipso libro citatorum testimonio constat. Nam VII. VIII. XIX. XX quid sibi vellent nec fuit umquam obscurum nec potuit esse; quibus alii accedunt ex incertis libris petiti sed earundem rerum testes, ut de summa argumenti huius libri dubitatio esse non possit. Atque in limine huius libri versus posui eos quibus poeta detestabiles belli calamitates non sine vigore depinxit (II. III): quorum fragmentorum cum illud incerti nominis sit, sententiae concinnitas suasit, ut alteri in unius enuntiati complexionem praefigeretur. Sed hi versus cum Vergilio obversati videantur, apud quem (Aen. X 11) Iuppiter *adveniet* inquit *iustum pugnae, ne arcessite, tempus, cum fera Carthago Romanis arcibus olim exitium magnum atque Alpes inmittet apertas. tum certare odiis, tum res rapuisse licebit,* inde coniiciebam eos ipsi Hannibalis in Italiam ingressui praemissos fuisse. Sed primo loco posui *Poeni stipendia pendunt* (I), cuius versiculi cum triplex sit sententia, cogites enim aut de statuto stipendio quod Carthagine condita Carthaginienses pro solo urbis multos annos Afris pendebant (Iustin. XVIII

5, 14; xix 1, 3; 2, 4), aut de mercede quam Poeni copiis mercennariis solvere solebant, cuius ut saepe mentio fit apud Livium et Polybium, ita Varro cum de militibus stipendiariis loquitur fortasse memor erat, denique de stipendio quod confecto bello Punico primo Romanis pendere Carthaginienses pacti erant (Liv. xxi 40, 5), hoc tertium ceteris esse probabilius reor Enniumque non *militibus* sed *Romanis Poeni stipendia pendunt* scripsisse aut sensisse: quae tributa saepe a Livio potissimum commemorata cum non possent non perpetuam iram et indignationem Poenorum movere, non inepte in causis denuo suscitati belli afferri a poeta poterant.

Iisdem autem versibus subieci iv *at non sic dubius fuit hostis Aeacida Pyrrhus,* quem de Hannibale elatum Orosii verba quibus superscriptus est indicant: ut Ennius ineunte bello de Hannibalis natura et ingenio plenius iudicasse videatur, quemadmodum Silius i 56 sqq.

Sed redeundum est ad ii, quae verba quia sine libri nota afferuntur nuperi editores ad Iani templum a. u. c. 519 clausum et denuo bellis exorientibus statim apertum referentes in septimo posuerunt. Nota sunt quae de ea re Varro tradit de l. L. v 165, ubi de portis urbis agit: *tertia est Ianualis dicta ab Iano, et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut scribit in annalibus Piso, ut sit aperta semper nisi cum bellum sit nusquam. traditum est memoriae Pompilio rege fuisse opertam et post T. Manlio consule bello Carthaginiensi primo confecto et eodem anno apertam,* et ceteri testes quos afferre nihil attinet. Sed ad istum morem Ennii verba referri non possunt, quorum vim melius dispicias ex Vergilii imitatione, qui *Belli portas* ab Ennio mutuatus est, et pacis tempora quae aliquando sint futura Iove dicente ita describit (Aen. i 291)

Aspera tum positis mitescent saecula bellis:
Cana Fides et Vesta
Iura dabunt: dirae ferro et compagibus artis
Claudentur Belli portae: furor impius intus,

sed idem in contrariam partem (Aen. vii 607 sqq.) indicendi belli morem describit: *sunt geminae Belli portae . . .; has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae, insignis reserat consul, ipse vocat pugnas* eqs. Sed quia rex Latinus indicendi belli causa recludere portas cunctatur, (621)

Impulit ipsa manu portas et cardine verso
Belli ferratos rumpit Saturnia postes.

Quo facto *ardet Ausonia* et *omnes arma requirunt.* Quae studia apparandi belli pluribus deinde versibus poeta persequitur. Et Vergilium facile credas plura ex Ennio quam unum versum quem Servius affert expressisse. Quis vero non videt haec quae Ennius scribit *postquam Discordia taetra Belli ferratos postes portasque refregit* non posse ad Iani aperti vel operti tempora astringi, non magis hercle quam Vergiliana quae ad Ennii exemplum formata sunt. Itaque haec malo ad initia belli Hannibalici referri, quo nihil erat poeta dignius.

Ceterae reliquiae bellum ipsum attingunt, quarum pars maxima (inde a v usque ad xx) ad cladem Cannensem, in qua Ennium probabile est non parce versatum esse, pertinuit. Post tres clades Romani rursus belli periculum temptaturi socios undique arcessunt, inter quos Marsos, Pelignos, Vestinos (v), quos populos coniunctos saepius scriptores etiam aliis occasionibus commemorant, velut ut hoc afferam Livius VIII 29, 4 et IX 19, 4 *(Marsis Pelignisque ac Vestinis)* in Samnitium bellis, unde si nihil aliud hoc perspicitur quanto opere hae tres gentes inter se iunctae fuerint. Sed Ennii versum ut ad hanc rem referam cum Polybius (II 24) me movet, qui *ἵνα συμφανὲς ἐπ' αὐτῶν γένηται τῶν ἔργων ἡλίκοις Ἀννίβας ἐτόλμησε πράγμασιν ἐπιθέσθαι* quibus Romani copiis civibus et sociis niti potuerint enumerat, in iis 12 *Μάρσων δὲ καὶ Μαρρουκίνων καὶ Φερεντάνων, ἔτι δ' Οὐεστίνων πεζοὶ μὲν κτλ*, tum maxime Silius qui eadem opportunitate has gentes plenius descriptas recenset VIII 495 *at Marsica pubes — coniungitur acer Pelignus gelidoque rapit Sulmone cohortes* (510) — *haud ullo levior bellis Vestina iuventus agmina densavit* (515). Adveniunt equites (VI), Numidaene Hannibalis an Romani, quis hoc dirimat, et utrum in hac pugna an in prioribus Cannensi: sed nihil impedit. Varronem ad proelium fervida temeritate proruentem Paulus studet arcere: quis enim in his *praecox pugna est* (VII) et *certare abnueo: metuo legionibus labem* (VIII) non agnoscat Pauli laudabilem curam et cautionem? Cf. Livius XXII 44, 7 *ille* (Paulus) *si quid proiectis ac proditis ad inconsultam atque improvidam pugnam legionibus accideret, se omnis culpae exsortem omnis eventus participem fore diceret* et Polybius III 110, 4 *τῆς δ' ἡγεμονίας τῷ Γαΐῳ* (Varroni) *καθηκούσης εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν . . . ἀναστρατοπεδεύσας προῆγε βουλόμενος ἐγγίσαι τοῖς πολεμίοις, πολλὰ διαμαρτυρομένου καὶ κωλύοντος τοῦ Λευκίου* et 8 *εἰς δὲ τὴν ἐπαύριον ὁ Λεύκιος οὔτε μάχεσθαι κρίνων οὔτε μὴν ἀπάγειν ἀσφαλῶς τὴν στρατιὰν ἔτι δυνάμενος* et Silius IX 44 sqq. Ubi iam in eo est ut manus conserant, Hannibal cohortatur milites praemia promittens Poenis, externis civitatem (IX). Sequor enim in ea re eundem quem ante Silium IX 209 *qui vero externo socius mihi sanguine Byrsae signa moves, dextram Ausonia si caede cruentam attolles, hinc iam civis Carthaginis esto,* cum Livius similia promissa perhibeat Hannibalem cum ad Ticinum pugnam pararet edidisse (XXI 45, 4. 6): *Hannibal . . vocatis ad contionem certa praemia pronuntiat . . qui sociorum cives Carthaginienses fieri vellent, potestatem facturum.*

Depingitur ipsius certaminis labor (X. XI. XII. XIII). Nolui haec fragmenta diiungi, quamquam eiusmodi versus in nulla pugna locum habere non possunt, ut unus vel alter eorum ad reliqua quae hoc libro narrabantur proelia pertineat, quin adeo nullus fortasse huic cladi recte ascriptus sit. Sed vide eiusdem cladis apud Silium IX 310 sqq. descriptionem. Unus tamen est in his versibus, qui non poterat nisi in pugna Cannensi locum habere (XI) *amplius exaugere ob-*

stipo lumine solis, de quo cum alios tum Hugium quem olim secutus eram opinio fefellit: cuius quae esset sententia pridem perspexi, non, ut fit, cum id quaererem sed cum aliud agens legerem haec quae Florus scribit ibi ubi de pugna Cannensi agit I 22, 16 *si quidem non contentus simulatis transfugis Hannibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidus imperator in patentibus campis observato loci ingenio, quod et sol ibi acerrimus et plurimus pulvis et eurus ab oriente semper quasi ad constitutum ita instruxit aciem, ut Romanis adversus haec omnia obversis secundum caelum tenens vento pulvere sole pugnaret.* Hinc enim est quod ad solem Romanis adversum Ennii verba referenda esse collegerim, quae de Festi more quem alibi tetigi plenum versum efficiunt sententia mutila. Idem quod Florus Valerius Maximus expressit verbis quae leguntur VII 4 ext. 2 *quid Hannibal Cannensem populi Romani aciem nonne prius quam ad dimicandum descenderet compluribus astutiae copulatam laqueis ad tam miserabilem perduxit exitum? ante omnia enim providit ut et solem et pulverem, qui ibi vento multus excitari solet adversum haberet.* Qui duo unde sua hauserint nescio: nam Livius quidem in eiusdem pugnae narratione alia de acie instructa perhibuit XXII 46, 8 *sol seu de industria ita locatis seu quod forte ita stetere peropportune utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Poenis in septentrionem versis; ventus . . adversus Romanis coortus multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit.* Confer eundem XXII 43, 10. 11. Livius autem in ea re accurate secutus est Polybium III 114, 8 *βλεπούσης τῆς μὲν τῶν Ῥωμαίων τάξεως πρὸς μεσημβρίαν ὡς ἐπάνω* (h. e. 113, 2) *προεῖπα, τῆς δὲ τῶν Καρχηδονίων πρὸς τὰς ἄρκτους ἑκατέροις ἀβλαβῆ συνέβαινε γίνεσθαι τὴν κατὰ τὸν ἥλιον ἀνατολήν.* Et hos duos videmus in eo consentire quod solis ardorem Romanis nihil obfuisse profitentur; idemque ceteri qui de pugna Cannensi et de instructa utrimque acie referunt, Appianus vol. I p. 162. 164 M. Frontinus strateg. II 2, 7, alii, ventum et pulverem coortum Romanis adversatum: nihil de sole. Quid ergo dicimus de Ennio? in cuius versu si *obstipo* Festo interprete *obliquum* est et ea vi accipiendum qua Livius *obliquum solem* appellabat, aegre dispicias haec quomodo congruant cum ea sententia quam indicare verba *amplius exaugere* videntur. Sed duo sunt versus Ennii quos de ea voce Festus citavit, quorum alter ann. XVI fr. X *montibus obstipis obstantibus* (soli, opinor) *unde oritur nox,* nisi fallor, eam vocis significationem praestat, qua uti in altero liceat: sic enim interpretere *obstipo obstante lumine solis.* Itaque et adversum solem dixit Ennius*) et quod *amplius exaugere* dicit, intelligimus venti et pulveris incommoda significata ante fuisse. Itaque huic versui praemisi X *iamque*

---

*) Quid de Apuleii de deo Socratis c. 1 p. 6, 2 Goldb. *radios solis obstiti vel adversi usurpat* et c. 2 ibid. 13 *pro situ et flexu et obstito circulorum* iudicandum sit incertus haereo.

fere pulvis ad caelum vasta videtur (cf. IX fr. X), quamquam idem coll. Livio XXI 46, 4 ad proelium apud Ticinum commissum referri poterat.

Ad pugnam ipsam pertinet etiam XIV *is pernas succidit iniqua superbia Poeni,* quem versum olim de Hugii sententia non recte opinor explicui. Intelligo autem Hannibalis astutiam quam supra Flori verbis attuli, eandem quam Valerius Maximus l. l. supra memoratae fraudi novam addit *postremo cccc equites subornavit, qui simulata transitione petierunt consulem, a quo iussi more transfugarum depositis armis in ultimam pugnae partem secedere destrictis gladiis quos inter tunicas et loricas abdiderant poplites pugnantium Romanorum ceciderunt.* Et haec quidem etiam planius memoriae tradidit Livius XXII 48, apud quem quae 51, 7 leguntur *quosdam* (Romanorum) *et iacentes vivos succisis feminibus poplitibusque invenerunt* Poeni redeunt ad ea quae supra narravit.

In medio pugnae ardore, cum iam victoria ad Poenos vergeret, poeta deorum consessum expandit: Iuno satiata tandem calamitate invisorum ipsi Romanorum se fautricem iis in posterum fore profitetur, ac Iuppiter, exoratus fortasse a Venere, promittit Romanis excidium Carthaginis (XV. XVIII). Nihil difficilius quam definire quas partes poeta diis esse rerum gestarum voluerit: hoc tamen pro certo habeo, ut in primo libro in summo periculo geminorum consessum esse deorum statuimus (p. CLIX sqq.), ita in octavo in media pugna Cannensi deos deliberasse de Romae et Carthaginis fatis. Silius lib. IX in pugna Cannensi deos pugnantibus pugnantes ipsos adesse fingit sed tamen simul in Olympo agitari deorum consilia, ubi vide 535 sqq. Iunonis sententiam et 544 Iovis promissa. Praeterea conf. Aen. XII 179 et 791 sqq. Ordinavi autem versus ita ut consilium deorum durante proelio habitum fuerit (cf. Sil. IV 417 sqq.), ab eo autem segregatum sit testimonium quo Iuno Enniana dicitur *bello Punico secundo placata Romanis favere coepisse,* quod ut certo huic libro adscribendum est, ita locum habere non potuit nisi rebus Romanis post infortunium Cannense in melius vertentibus, ut Iuno iam non infesta esse Romanis agnosceretur. Quae media interposita est sententia multis frequentata de incerta varietate fortunae (XVI), eam, quoniam ex hoc libro allata est, ab hac immensa calamitate removere nolui, sive ea consiliantibus diis a nescio quo sive postea deliberantibus Romanis, certe consolandi ac spei suscitandae causa elata est.*) Eademque occasione etiam versiculum *Poenos Didone oriundos* huic libro adscriptum credas locum suum adeptum esse.

Victoriae nuntium Mago Carthaginem fert, quo laetissima quaeque in curia de Hannibalis victoriis pronuntiante (cf. Livius XXIII 11, 7 sqq.)

---

*) Wezelius l. c. p. 34 haec Ennii ad Fabii Maximi orationem refert, quam apud Silium VII 219 sqq. ad militum indignationem sedandam habet, in qua 241 haec leguntur *Fortunae Libys incumbit . . . in rem cunctari fuerit, non ulla perenni amplexu Fortuna fovet.*

Hanno sententiam rogatus 'non desisse' ait 'paenitere se belli', quod quidem tam integrum habeant quam quo die Hannibal in Italiam transgressus sit (Livius l. l. 12, 10. 13, 2). Quodsi Ennius quoque aliquem Hannonem in suos annales intulerat, in eius mentem videntur percommode quadrare haec *qui vincit non est victor nisi victus fatetur* (lib. inc. XXXI sed cf. p. CLXXVIII) et *dum quidem unus homo Romanus toga superescit* (lib. inc. XXXII).

Quae cladem Cannensem proxime secuta sunt, ea Ennius ad eum fere modum quo Livius videtur narrasse. XXII 50, 4 *binis in castris cum multitudo semiermis sine ducibus esset, nuntium qui in maioribus erant mittunt, dum proelio, deinde ex laetitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, ut ad se transirent: uno agmine Canusium abituros esse* — (6) *P. Sempronius Tuditanus tribunus militum 'capi ergo mavultis' inquit 'ab avarissimo et crudelissimo hoste* — (8) *sed antequam opprimit lux maioraque hostium agmina obsaepiunt iter, per hos qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis erumpamus'* — (10) *haec ubi dicta dedit, stringit gladium cuneoque facto per medios vadit hostes.* (Confer eundem XXII 60, 9. 22). Ex hac narratione licet versuum XIX. XX nexum dispicere. Nec ita incredibile est Livio cum illa exararet annales Ennii obversatos esse, sed versus etiam Ennianos in Liviana oratione delitescere mihi non persuadetur: de qua re alibi dixi.

Quae restant, quamquam praeter unum libri notam non habent, tamen dubitatio non est quin in hoc libro et hac libri parte recte collocata sint. Ac versus *Quintus pater quartum fit consul* (XXI) ipse sibi testis est ad a. u. c. 540 coll. Livio XXIV 9, 3 pertinere. Ex altera parte XXV ex octavo allatum si recte explicui et ad Marcellum eique post captas Syracusas denegatum triumphum rettuli efficitur a. u. c. 543 teste Livio XXVI 21, 5; et opinor hunc rerum terminum huius libri narrationem non multum excessisse. Cf. ad lib. IX. Quae media sunt, eorum XXIII *ob Romam noctu legiones ducere coepit,* quando quidem *legiones* dicuntur etiam copiae Carthaginiensium, Hannibalem indicare videtur, quem Livius XXVI 7, 3 narrat a. u. c. 543 *impetum subiisse caput ipsum belli Romam petendi,* quod illum effecisse et noctu quidem profectum esse idem cum 7, 10 tum 10, 3 sq. rettulit, item Silius XII 507 sqq. Fr. XXII et XXIV apertum est ad res illis annis in Campania gestas redire, quamquam ipsas occasiones monstrare non contigit.

Noni annalis ut, quoad eius fieri potest, argumentum definiatur ordiendum est a fr. IV quo Cethegum et Tuditanum consules creatos perhibetur, qui teste Livio XXIX 11, 10 a. u. c. 549 consules creati, eodem teste XXIX 13, 1 a. u. c. 550 consulatum inierunt, qui annus, ut ibi Livius memorat, quintus decimus belli Punici erat. Cumque belli ipsius finis in a. u. c. 553 incidat, conficitur, in hoc libro Hannibalis res terminatas esse, neque ei rationi obesse censeo, quod Cicero, cum eos versus ex nono annali petitos dicat, *ut opinor* addidit, quasi incertus fuerit, qui se videri memoriter loqui voluit. Cf. act. acad.

1886 p. 15. Quae praeterea illi sententiae adversari putaverunt, nihili sunt nec satis digna quae refutentur. Quare ego teneo hoc cum Merula belli Hannibalici finem in hoc libro fuisse.

Initio libri collocavi, cui testimonio vindicatur, versum *Fortuna varia validis cum viribus luctant* (I), qui sic emendatus ut emendandum censui, quemadmodum de toto bello Hannibalico (cf. Livius XXI 1, 2) sic de ea parte quae reliqua est recte et apte efferri poterat: certius occasionem definire velle ineptum est. Fr. II non improbabiliter Merula hoc loco posuit, quoniam Livium Salinatorem a. u. c. 547 de Poenis atque Hasdrubale triumphum egisse Patavini Livii testimonio constat XXVIII 9, 9. 10, et qui haec ad res Illyriorum referri iubet, ex quibus Livius triumphum egerit a. 535, non uno nomine falsus videtur; nam quod iste versus Livium appellat, non consequitur C. Claudium omissum fuisse, et tamen triumphos amborum consulum non plane pares sed Livii potiorem fuisse Livius 9, 9 sq. tradit; de Illyriorum autem rebus Zonaras quidem VIII 20 p. 174 testatur consules a. 535 Aemilium Paulum et M. Livium ambos eas feliciter gessisse, de triumpho nihil, Polybius vero ita scribit III 19, 12 *ὁ δὲ στρατηγὸς τῶν Ῥωμαίων Αἰμίλιος τὴν μὲν Φάρον εὐθέως ἐξ ἐφόδου παραλαβὼν κατέσκαψε, τῆς δὲ λοιπῆς Ἰλλυρίδος ἐγκρατὴς γενόμενος καὶ πάντα διατάξας κατὰ τὴν αὑτοῦ προαίρεσιν, μετὰ ταῦτα ληγούσης ἤδη τῆς θερείας εἰς τὴν Ῥώμην ἐπανῆλθεν καὶ τὴν εἴσοδον ἐποιήσατο μετὰ θριάμβου καὶ τῆς ἁπάσης εὐδοξίας κτλ.* Freinshemius unde petierit quod scribit (x 63) *et M. Livium ex eo bello triumphasse reperio: plures tamen scriptores hunc praetereunt* nescio. Itaque hoc fragmentum eo loco relinquo, in quo olim collocaram, atque ita sentio, inde ab Hasdrubalis interitu extremas res belli Carthaginiensis secundi hoc libro enarratas esse. Sed de ceteris reliquiis hoc rursus perincommode accidit, quod multae earum quae huius libri notam prae se ferunt ad res certas revocari non possunt. Sed verisimilia sequimur et quae fieri potuisse non incredibile est. Itaque III *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda* (cf. Hor. c. III 3, 46 *qua medius liquor secernit Europen ab Afro*) Ennianum habere et de freto Gaditano interpretari pergam cum Hugio Laelii pugnam navalem a. u. c. 548 in ipso rapido freto ut ait Livius (XXVIII 30, 6) commissam dici suspicatus, quamvis me non fugiat eius freti etiam alibi mentionem fieri potuisse. Nec tria quae insequuntur incerti libri fragmenta V. VI. VII suo loco moveo, quibus Scipionis adventum in Africam significari putabam. Nam ut negare non possum, nullum eorum versuum non potuisse etiam ad Reguli transitum referri, tamen trepidatio ac pavor quem poeta significat Afrorum et vis magna quae traiicitur copiarum paulo magis huic quam indicavi occasioni convenire videbantur. Cf. Livius XXIX 26. 28. Atque ex incertis haud scio an eodem pertineant hi versus *ratibusque fremebat imber Neptuni* (XXXV) et *tonsillas rapiunt, configunt litus, aduncas* (XXXVI). Quorum ille e descriptione travecti in Africam Scipionis

desumptus videtur coll. Livio XXIX 27, 6 *vento secundo vehementi satis profecti celeriter e conspectu terrae ablati sunt* . . . (7) *lenior ventus in alto factus* — (13) *prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse permultis Graecis Latinisque auctoribus credidi,* altero autem rapide naves appellentes milites pinguntur.

Scipio cum Hannibale congreditur (VIII). Conveniunt enim cum hac Ennii sententia ex ipso libro citata quae Hannibalem Livius XXX 30 orantem facit: conferas vel haec (18) *maximae cuique fortunae minime credendum est* . . (19) *melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria: haec in tua, illa in deorum manu est. ne tot annorum felicitatem in unius horae dederis discrimen.**) Ubi Hannibalis periculum Scipionem ad pacem compellendi irritum cecidit, proelium paratur. Milites cohortatus sive Scipio est sive Hannibal: *sed quid ego haec memoro? dictum factumque facit frux* (IX), quibus Wezelius l. c. p. 30 confert quae apud Silium (XVII 328 sq.) eadem occasione Hannibal cohortatus milites dicit *quid vos, quis claro deletum est Marte Saguntum, exhorter* eqs. Pugna committitur (X): fugantur Afri et castra diripiuntur (XI).

De proximis duobus XII et XIII tantum dico, illo pacis libertatisque desiderium Carthaginiensium exprimi, hoc autem ad repetitos pace restituta cultus agrorum referri: cuius versus sententia, quam sic suppleas *neminem esse qui non* sive simplicius *quis non rastros ceperit causa poliendi agri,* mihi sumpta videtur ex simili condicione rerum ei quam Livius XXVI 40, 15 in Sicilia depingit *coegisset Siculos positis tandem armis ad agrum colendum animos convertere*; cf. XXVII 5, 5. Nam et Africa erat ut Sicilia cella frumentaria Romanorum.

cap. V Punicas res ad finem persecutus poeta novo prooemio ad bellum Macedonicum pergit. Cuius belli initia licet iam in Hannibalici tumultus tempora incidant, Ennium ab ipsis principiis Philippi res repetivisse exordium subindicat *insece Musa manu Romanorum induperator quod quisque in bello gessit cum rege Philippo* (I), quod quamquam non ex suo libro affertur, decimo praefixum fuisse quaedam alia fragmenta persuadent. Quod si II ex decimo citatum *Leucatam campsant* recte explicui iis quae Livius XXVI 26, 1 ad a. 543 narrat *Laevinus veris principio a Corcyra profectus navibus superato Leucata promunturio cum venisset Naupactum, Anticyram inde se petiturum edixit, ut praesto ibi Scopas Aetolique essent,* consequitur poe-

---

*) Ennii versum cum hac oratione Liviana componi vituperat E. Wezelius de Silii Italici fontibus p. 29 sq. Contra opinionem meam probavit C. Lehmannus in libello *Der letzte Feldzug des Hannibalischen Krieges Leipz.* 1894 p. 569, qui ad eam confirmandam similes sententias a Polybio Hannibali tributas (XV 6, 8) affert, in quibus *ὡς μετάθετός ἐστιν ἡ τύχη καὶ παρὰ μικρὸν εἰς ἑκάτερα ποιεῖ μεγάλας ῥοπὰς καθάπερ νηπίοις παισὶ χρωμένη*. Qui mihi probe videtur demonstrasse bonam partem huius vulgaris narrationis ex Ennii poesi ductam esse.

tam hoc bellum ab ipsis principiis exorsum esse, quod Livius quidem xxxi 5, 1 *anno quingentesimo quinquagesimo primo* (immo 554) initum esse scribit, sed idem xxxi 1, 8 *coeptum bellum adversus Philippum decem ferme ante annis triennio prius depositum erat, cum Aetoli et belli et pacis fuissent causa* h. e. ab a. 543 a defectione Aetolorum a Philippo (xxvi 25, 1) ducit. Cuius fragmenti fides, si cui forte non satis certa videatur, egregie stabilitur verbis fragmenti vi item ex decimo allati. Quae enim Livius perhibet xxxii 9, 1 *consulem T. Quinctium ita habito dilectu, ut eos fere legeret qui in Hispania aut Africa meruissent spectatae virtutis milites* et ibid. 6 *T. Quinctius alter consul . . . a Brundisio cum transmisisset, Corcyram tenuit cum octo milibus peditum, equitibus octingentis* adeo accurate conveniunt tam in numero militum quam in eorum spectata virtute cum Ennii versibus *insignita fere tum milia militum octo duxit delectos bellum tolerare potentes,* ut argumentum huius libri dubium esse non possit et huic recte prooemium illud praemissum sit. Itaque iam licet disponere quae ex incertis huic argumento accommodantur. Ac primum suum locum obtinet iii *Graecia Sulpicio sorti data, Gallia Cottae* Ennio L. Muelleri invento vindicatum. Sunt hi consules anni 554, de quibus Livius scribit xxxi 5, 1 *P. Sulpicio Galba C. Aurelio consulibus bellum cum rege Philippo initum est paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam,* h. e. a. 554, non quem Livius dicit 551. De iisdem idem 6, 1 *P. Sulpicio provincia Macedonia sorti evenit . . . alteri consulum Aurelio Italia provincia obtigit.* Ex quo versu hoc quoque colligitur poetam, qui quod *quisque imperator Romanorum* gesserit in bello cum rege Philippo se narraturum professus est, consulum ordine res gestas exsecutum esse. Ut mittamus iv *Acanthum,* quamquam ad hoc bellum pertinere existimo, in annum 556 *creati consules Sex. Aelius Paetus et T. Quinctius Flamininus* (Liv. xxxii 7, 12), quorum ex sortitione provinciarum *Aelio Italia, Quinctio Macedonia evenit* (Liv. xxxii 8, 4). Itaque quid impedit quominus Sex. Aelius cum T. Flaminino consul creatus illa laude insignitus fuerit quam habet v (cf. ix fr. iv), quamquam eius res non erat quod poeta pluribus persequeretur. Sed ceterae reliquiae de quibus coniicere aliquid licuit pleraeque omnes ad T. Quinctii Flaminini laudes pertinent aut possunt eo commode referri. De cuius dilectu habito quae sunt in vi supra dixi. Qui cum militibus a Brundisio cum transmisisset Corcyram tenuit. A Corcyra autem in proxima Epiri traiecit et in castra Romana magnis itineribus contendit: ibi cum P. Villium superioris anni consulem dimisisset, ipsam Macedoniam recto itinere per castra hostium penetrare placuit. Quod quo modo fieret cum parum expedirent, dies quadraginta sine ullo conatu sedentes in conspectu hostium absumpserunt (Livius xxxii 9, 7 sqq.). Cum etiam spes colloquiis temptandae pacis irrita cecidisset, ante stationes Macedonum multis proeliis levibus utrimque frustra pugnatum est (Livius l. l. 10). Tum Charopus prin-

ceps Epirotarum, qui 'noctesque diesque sollicitari' Flamininum (VII 334) comperit, pastorem ad consulem mittit, qui si quid praemii relaturus esset se curam Titi qua coqueretur levaturum promittit (335 sqq.). Nosse enim se omnes montium eorum qui tum regiis castris tenebantur anfractus callesque ac partem copiarum Romanarum non iniquo nec perdifficili aditu super caput hostium educturum. Flamininus initio nonnihil haesitans deinde quattuor milia lecta peditum et trecentos equites mittit qui a pastore in cacumina Macedonum castris imminentia circumducerentur. Quos *ille vir haud magna cum re sed plenus fidei* (338) in verticem quem petebant Romani tribus noctibus (VIII) (pernox enim iter esse Flamininus iusserat) perduxit. Tum illi, Flaminino ubi signum ab iis accepit castra hostium omnibus copiis oppugnante, subito in Macedonas in Flamininum versos impetum a tergo fecerunt.

Ita contexui Livii fere (XXXII 11. 12) et Ennii verbis poetae narrationem, unde aliquot versus Cicero Titi praenomine Flaminino et Attico communi admonitus ineunte Catone maiore ad Atticum suum accommodavit ne poetae quidem nomine nedum libro indicato. Qui versus (VII) quo pertinerent primus intellexit Madvigius (opp. acad. II p. 290 sqq.), qui et Livii quam exposui narrationem indicavit et reliquos qui eandem rem tetigerunt scriptores ascivit, Plutarchi Flamininum 4, Polybium XXVII 15, 2, Diodorum XXX 5 p. 396 Dind., alios. Eidem narrationi supra VIII intexui ex decimo allatum; sic enim Livius scribit 11, 9 *nocte itinera fieri iubet* (Flamininus); iisdemque rebus haud scio an accommodetur simile quod habet IX et ipsum ex hoc libro citatum. Quae enim Plutarchus Flamin. 4, 5. 6 narrat *οἱ Ῥωμαῖοι δόξαν ἔσχον ἀμφίβολον* (de fumo tenui apparente), *ἐν ἀγῶνι καὶ πόνῳ τὴν ἐλπίδα πρὸς τὸ βουλόμενον λαμβάνοντες. ἐπεὶ δὲ μᾶλλον αὐξανόμενος καὶ διαμελαίνων τὸν ἀέρα καὶ πολὺς ἄνω χωρῶν ἐδηλοῦτο πυρσὸς εἶναι φίλιος, οἱ μὲν ἀλαλάξαντες ἐπέβαινον ἐρρωμένως κτλ*, eane poterunt conferri cum cane venatica quae vinclis apta cum feram nare sagaci sentit leviter gannit sed ululat ibi acute ubi prope accedentem feram videt?

Ad pugnam ad Cynoscephalas a. u. c. 557 commissam referas X. XI quae sunt huius libri; quippe ante eam pugnam Quinctium milites cohortatum esse Livius scribit XXXIII 8, 4 *cum iisdem Macedonibus pugnaturos quos ad Epiri fauces montibus fluminibusque saeptos victa naturali difficultate locorum expulissent acieque expugnassent, cum iis quos P. Sulpicii prius ductu obsidentes in Eordaeam aditum vicissent; fama stetisse, non viribus Macedoniae regnum; eam quoque famam tandem evanuisse.* Plutarchus quoque (7, 4) ante idem proelium Titum milites admonuisse dicit, non in eundem cum Livio sensum, *παρεκάλει τοὺς στρατιώτας ἄνδρας ἀγαθοὺς γενέσθαι καὶ προθύμους ὡς ἐν τῷ καλλίστῳ θεάτρῳ τῇ Ἑλλάδι μέλλοντας ἀγωνίζεσθαι πρὸς τοὺς ἀρίστους τῶν ἀνταγωνιστῶν.* Sententia quae est in XII ab his rebus non

est aliena. Romani enim dicuntur venisse regni summam columnam eversum; quae sententia cadit in eorum mentem qui ut Graeci omnes et Aetoli imprimis regno Macedonum everso Romanorum beneficio libertatem exspectabant. Reliqua sunt incerta.

Ex undecimo annali quae petita sunt fragmenta I. II. III id quidem patefaciunt poetam versari etiam in Philippi regis et in Graecorum rebus sed sententiarum usus et nexus si qui erat intelligi vix potest, nisi quod quae de regum moribus (I) dicuntur non sine ratione Philippi dici putaveris, quae vero de nescio qua cognatione Graecorum cum Romanis opinor (II) et de Troia quae perdita perire non potuit (III) exposita erant, ea mota quodammodo videntur Graecorum libertate a T. Flaminino Isthmiorum ludorum occasione pronuntiata a. 558 (Liv. XXXIII 32). Quarum rerum tenuia quaedam vestigia apparent in iis quae Graeci teste Plutarcho (Flaminin. 11, 4) accepta libertate inter se loquebantur *ἀλλόφυλοι δ' ἄνδρες, ἐναύσματα μικρὰ καὶ γλισχρὰ κοινωνήματα παλαιοῦ γένους ἔχειν δοκοῦντες . . . τοῖς μεγίστοις κινδύνοις καὶ πόνοις ἐξελόμενοι τὴν Ἑλλάδα δεσποτῶν χαλεπῶν καὶ τυράννων ἐλευθεροῦσιν.* Et ex altera parte Troianam originem Romanorum vel ipse Flamininus prae se fert qui in epigrammatis ab ipso positis (Plutarch. l. c. 12, 6) *Αἰνεάδας Τίτος* vel *Αἰνεαδᾶν ταγὸς μέγας* appellatur. Cetera huius libri incerta sunt, praeter unum (V) *pendent peniculamenta unum ad quemque pedum,* quae si recte accipimus non videntur nisi ad luxuriem vestimentorum pertinere: quod si est, temporum ratio admonet orationis gravissimae quam M. Porcius Cato consul a. 559 adversus abrogandam legem Oppiam habuit, de qua re Livius XXXIV, 1 sqq. Cumque Catonem Ennius, si Ciceronem testem audimus, magnis laudibus extulerit, potest fieri ut quas res consul in Hispania gesserit, quam provinciam sortitus erat (Liv. XXXIII 43, 5), in hoc libro expositae fuerint.

Duodecimus annalis quas res tractaverit ex ipso cognosci non potest, potest fortasse ex temporum ratione et rerum serie, si quidem bellum cum rege Antiocho, quod iam a. 561 exspectabatur, a. 562 propius imminebat, a libro XIII narrari coeptum est, ex altera parte T. Quinctius Flamininus quas res in Graecia gessit semel et iterum prorogato imperio a. 560 ad finem deductae sunt, quo anno ex Graecia Romam rediit et triumphum egit resque a se in Graecia ordinatas stabiliendas curavit, sed idem a. 562 rursus legatus cum aliis ad pacandas res in Graecia numquam non turbatas missus est. Quare credibile est partem rerum Graecarum a T. Quinctio aut post eum gestarum in duodecimo expositam esse.

Quod primum est fragmentum ex eo libro citatum

Omnes mortales victores, cordibus vivis
Laetantes, vino curatos, somnus repente
In campo passim mollissimus perculit acris,

quamquam quae depingitur condicio rerum nonnihil similitudinis

habet cum iis quae a Thucydide VII 73, 2 (*ὑπὸ γὰρ τοῦ περιχαροῦς τῆς νίκης πρὸς πόσιν τετράφθαι τοὺς πολλοὺς ἐν τῇ ἑορτῇ κτλ*) aut a Polybio (I 19, 12) et Dionysio Halic. (VIII 86, 1) memorantur, tamen ad quasnam res gestas ab Ennio narratas h. e. ad quamnam victoriam modo reportatam referatur incertum est neque Hugius cuius opinionem attuleram quicquam probabile excogitaverat. Sed de orationis forma habeo quod fortasse non inepte afferatur. Videntur enim haec non de re certa nuper gesta dici sed universa esse sententia qua quid *omnibus mortalibus* ea quam poeta describit rerum condicione acciderit significetur, ut ann. 560 ait *omnes mortales sese laudarier optant,* neque *perculit* obstat quo ut assolet factum esse dicitur quod fieri soleat. Quodsi ita recte orationis conformationem interpretor, licet fortasse opinioni opinione addita suspicari iis quae dixit de *omnibus mortalibus* in contrariam sententiam subiecta fuisse haec quae scribit ann. 547 *at Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est, corde suo trepidat.*

De reliquo huius libri argumento fusius disserui in commentatione academica *Über die Annalen des Ennius* a. 1886 edita p. 10 sqq. Ex iis rationibus quas ibi explicui in hoc libro posui cum tres versus de Fabio Maximo (II) *Unus homo nobis cunctando* eqs qui ex hoc libro citati sunt, tum quod Ennium in hoc libro de sua aetate memorasse Varro testis est (V). Contra dixerunt unus et alter, qui si ita disputant, de sua aetate Ennium apte dicere nisi in extremo annalium libro non potuisse, mirum est eos non vidisse, quod apertum est, meam ratiocinationem non hoc uno testimonio innixam sed duobus quasi cornibus iugo iunctis fundatam esse. Etenim cum et fragmentum de Fabio et Varronis testimonium de annis Ennii, toto genere inter se discreta, ambo ex uno eodemque duodecimo annali citari viderem nec satis probabile esse ducerem quod statuerunt alterum nono, alterum autem duodevicesimo tribuentes bis per errorem duos diversos numeros in eundem XII abiisse, ita mecum considerare coepi quid si natura et condicio duodecimi libri ea fuerit ut unus illa duo fragmenta quantumvis diversa continere potuerit: hinc profectus probare studui, totum carmen iis rationibus compositum ac distributum esse, ut in duodecimo certam partem universi operis finiri appareat. Quam partem si per se solam Ennius edebat (id quod statuere licet non sine exemplo annalium ipsorum), paratum esse locum opinabar quem quaerebamus, quo loco de Fabii laude et de aetate Ennii uno tenore memorari potuerit. Nam sic statuebam Ennium invitante occasione in extremo duodecimo h. e. in exitu eius operis, quod tum editurus erat, more non insolito de se suisque rebus verba fecisse, simul rebus Romanis usque ad hunc terminum expositis et absolutis quorundam clarorum virorum, in quibus Fabii Maximi, laudes quasi *κολοφῶνα* imposuisse. Ubi enim Fabii praeconium erat, non poterat solum esse, cuius versus celeberrimos

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non enim rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret

ita compositos esse sentio, ut rerum gestarum cursui inserti esse non potuerint, et quamvis fortasse memoratae mortis occasione elati esse possint ut apud Livium (xxx 26, 7 sqq. 28, 2), tamen acrius intuenti ne ad hanc quidem opportunitatem plane accommodati esse videbuntur; eo certius ibi reponemus, ubi iam longius etiam a morte Fabii remoti sunt. Addidi (III) in eundem tenorem incerti libri versum de M.' Curio, qui mihi videtur eodem consilio natus et conformatus esse, tertio loco Ciceronis verba ex oratione pro Archia (IV), non quasi haec ex hoc loco prompsisset, sed ut breviter significarem quos alios viros Ennius memorare potuisset.

De aetate autem sua cum diceret Ennius (v), probabile est eum hoc loco reliqua de sua vita et origine addidisse, quae olim in XVIII libro sed eodem tenore composueram: ubi haec scripseram quae iam huc sunt paucis mutatis transferenda. 'Ibi praeterea alia de vita sua exprompsit. Nam haec quae Ciceroni (Cat. mai. 5, 14) debemus *sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit* (VI) haud dubie Ennius non seorsum ab aetatis suae commemoratione extulit. Tetigit etiam genus suum quod a Messapo originem duceret (VII) et se Rudinum esse Fulvii Nobilioris beneficio Romana civitate donatum (VIII). Hoc quidem quod de civitate dicit potuit etiam tum cum in Fulvii rebus versabatur commemorare: quamquam magis arridet poetam data hac occasione superioris vitae admonitum laeto animo haec *nos sumus Romani qui fuimus ante Rudini* exclamasse.'

Duos qui insequuntur annales poetam in bellum Antiochenum impendisse cum progrediens paulatim narratio exigat tum commendant praecipue certa reliquiarum indicia. Ac decimus quidem tertius annalis in apparatu belli (h. e. circa a. u. c. 562) versatus est. Cuius rei fidem faciunt tres versus (IV) quos Gellius e tertio decimo attulit *Hannibal audaci cum pectore de me hortatur ne bellum faciam* eqs et ait *Antiochum* esse *Asiae regem* qui haec dicat. Cui quae rationes intercesserint cum Hannibale, qui patria profugus a regis fide securitatem petiit (Liv. XXXIII 49, 2; XXXIV 60), Livius narrat XXXV 19 et quem Livius secutus est Polybius III 11 et 12, cuius pauca verba afferam ex 11, 1 *καθ' οὓς καιροὺς καταπολεμηθεὶς Ἀννίβας ὑπὸ Ῥωμαίων τέλος ἐκ τῆς πατρίδος ἐξεχώρησε καὶ παρ' Ἀντιόχῳ διέτριβε, τότε Ῥωμαῖοι συνθεωροῦντες ἤδη τὴν Αἰτωλῶν ἐπιβολὴν ἐξαπέστειλαν πρεσβευτὰς πρὸς Ἀντίοχον, βουλόμενοι μὴ λανθάνειν σφᾶς τὴν τοῦ βασιλέως προαίρεσιν· οἱ δὲ πρέσβεις ὁρῶντες τὸν Ἀντίοχον προσέχοντα τοῖς Αἰτωλοῖς καὶ πρόθυμον ὄντα πολεμεῖν Ῥωμαίοις ἐθεράπευον τὸν Ἀννίβαν σπουδάζοντες εἰς ὑποψίαν ἐμβαλεῖν πρὸς τὸν Ἀντίοχον. ὃ καὶ συνέβη γενέσθαι κτλ.* Sed hi duo illud non tradunt quod inest in verbis

Ennii, Hannibalem dissuasisse Antiocho, ne bellum faceret cum Romanis. Quem credibile est non dissuasisse omnino bellum sed certis condicionibus gerendum. Id enim intelligi videtur ex iis quae de his colloquiis Antiochi cum Hannibale habitis apud Iustinum leguntur XXXI 5: ubi Hannibal fatetur (3) *nihil se aut consiliorum aut coeptorum praesentium probare, neque sedem belli Graeciam sibi placere, cum in Italia uberior materia sit,* in eaque re hoc exemplo utitur (7) *si quis illis Italia velut fonte virium cesserit, proinde falli ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis derivare sed concretis iam aquarum molibus avertere vel exsiccare velit;* unde illorum versuum (IV) sensus planior evadit et hoc intelligitur ad eundem sermonem referendum esse hunc Ennii versum (II) nulla libri nota allatum *contempsit fontes quibus exerugit aquae vis.* Eiusdem Hannibalis esse Antiochum monentis versum III ex hoc libro citatum iis ostenditur quae in adn. memoravi. Quod restat (I) recte huic libro adscriptum esse nullo auctore fidem faciunt quae Livius tradit XXXV 23, 1 *ceterum eo tempore minus ea bella quae gerebantur curae patribus erant quam exspectatio nondum coepti cum Antiocho belli,* eamque sollicitudinem rumoribus ali (8) *classem regis Antiochi ex Aetolia in Siciliam traiicere* vel (10) *Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse,* unde Antiochum tamquam alterum Xerxem adventurum extimescebant: id quod Florus testatur (I 24, 2) *non aliud formidolosius fama bellum fuit, quippe cum Persas et orientem, Xerxen atque Darium cogitarent, quando perfossi invii montes, quando velis opertum mare nuntiaretur.* Ea igitur occasione probabile est Ennii versum de Xerxe (X) *isque Hellesponto pontem contendit in alto* elatum esse a nescio quo quem poeta loquentem induxerit. Quae praeterea huic libro adscripseram nunc testimoniorum fide in XVI collocata sunt.

Quarti decimi annalis fragmenta inter duas licet cum Antiocho a. u. c. 564 commissas pugnas aequali fere portione distribuere: priorem dico navalem ad Myonnesum factam quam Livius XXXVII 29. 30 perhibet: unde quantum satis est ad inlustranda fr. I—IV infra scripsi. Ergo Aemilius Regillus praetor ad Teiorum urbem classem traduxerat et (29, 1) *egressi milites nautaeque sunt ad commeatus et vinum maxime dividendum in naves,* (2) *cum medio forte diei agrestis quidam ad praetorem adductus nuntiat alterum iam diem classem stare ad insulam Macrin* (quam nautici vocant, adversus Myonnesum) *et paulo ante visas quasdam moveri tamquam ad profectionem naves;* primo (4) *turbatis imperiis concursum ad naves est;* dein consilio ac prudentia Aemilii sine trepidatione naves conscendunt; (7) *instructaque acies, velut cernerent regios, in altum processit* (I. II). *inter Myonnesum et Corycum promunturium erant, cum hostem conspexere* (III). (30, 1) *iam totis classibus simul ab omni parte pugna conserta erat* (IV). Alterum quod huc pertinet proelium est ad Magnesiam ad Sipylum commissum, quode Livius l. l. 39—44. Qui ubi Romanae aciei rationes tangit

(39, 12), 'duo milia mixtorum Macedonum Thracumque, qui voluntate secuti essent, praesidio castris relicta esse' commemorat. Unde occasio dispicitur qua Ennius potuerit *rumpia* quod genus teli Thracae nationis est (v) appellare. Reliqua aperta sunt. Ante certamen cohortatio ad milites (vi): insequitur proelium (vii). Denique fractus bello Antiochus calamitatem suam deplorat: *quae me fortuna ferocis contudit, indigno bello confecit acerbo* (viii). Quod restat ix, de quo versu supra p. lxviii sq. disserui, ad cremanda caesorum corpora, opinor, refertur, quamquam in hac pugna hoc memorari non video, sed Livius quidem (44, 1) *ad quinquaginta milia* ait *peditum caesa eo die dicuntur, equitum quattuor milia.* Et quod idem ibid. 3 scribit *postero die spoliabant caesorum corpora* affert occasionem cui accommodetur versus incertus (ann. 619) *spoliantur eos et corpora nuda relinquunt;* sed eae occasiones rarae non fuerunt.

Quintum decimum annalem olim intellectum est imprimis Fulvio Nobiliori dicatum esse. Etenim Antiochum devictum et profligatum extemplo secutae sunt res Aetolorum numquam pacatorum. Quos ut tandem in ordinem cogeret missus est M. Fulvius Nobilior consul a. 565, quem Ennius poeta comitatus est in Aetoliam: de quo vide p. xiii sqq. Quare probabile est Antiochum in libris xiii et xiv regnantem libro xv excepisse bellum Aetolicum, quo feliciter perpetrato Fulvius a. 567 Romam redux triumphum egit. Luculentissima autem rerum ab eo gestarum erat expugnatio Ambraciae Aetolorum urbis munitissimae. Ad eam referre licet ii et iii ex hoc libro citata, quae, etiamsi Ambracia appellata non sit, certe in oppugnatione urbis suum obtinebant locum. Neque ab Ambracia seiungo eam quam Macrobius (iv) *obsidionem* dicit, cum Ennium testatur in quinto decimo induxisse *Histros duos in obsidione erupisse porta et stragem de obsidente hoste fecisse;* ab hac autem eruptione Histrorum alieni non fuerunt versus a Macrobio ex eodem libro quinto decimo allati quibus pugna Caelii tribuni ab Histrorum (408) impetu se defendentis describitur (vi): nam in Histrorum commemoratione non est quod offendatur, quos probabile est auxiliares fuisse Aetolorum in Ambracia, id quod Flori indicio (i 26, 1) confirmatur. Haec plenius demonstrare studui in comment. academ. a. 1886 p. 18 sqq., ubi etiam de v et vii quid verisimile esset exposui.

Sexto decimo annali Plinius testis est (i) Ennium T. Caecilium Teucrum fratremque eius propter singularem eorum fortitudinem celebrandos sibi sumpsisse. De quo pari fratrum quoniam, quod sciam, nihil compertum est, hoc testimonio non magnopere adiuvamur in restituendis et ad suas res revocandis versibus ex hoc libro allatis, qui satis multi sunt et fere aperta sententia, adeo ut particulas quasdam sermonum actarumque rerum describere licuerit. Quas in comm. acad. a. 1886 p. 25 sqq. diligentius persecutus nunc indiciis marginalibus notavi. Itaque exordii (ii. iii. iv) quae causa fuerit et qui

nexus quasi diluculo perspicitur, sed indicium quod nos edoceat quas res gestas poeta enarret et in quibus temporibus versetur non reperio: nam quod regem qui dicitur XI *quos ubi rex epulo spexit de cotibus celsis* eum esse statuerunt qui a Livio (XLI 11, 1) in medio bello Histrico a. 577 *regulus Aepulo* vocaretur, et hoc igitur bellum ab expugnata Ambracia quae erat in XV decem prope annis semotum huius libri potissimum esse argumentum aliaque plura quae cum his coniuncta esse aut ex iis consectaria fieri videntur sibi persuaserunt, ea quot quantisque dubitationibus esse obnoxia crederem, pluribus verbis in illa quam dixi comment. academ. p. 28 sqq. exposui. Neque si haec vera essent, quae non possum non improbabilia habere, ad declarandas reliquias quae sunt in hoc libro quicquam ex Histrici belli historia quam narrat Livius in libro XLI nancisceremur: omnia inde a Caeciliis Teucris unius Plinii testimonio cognitis tam obscura manerent quam fuerunt ante.

Neque felicior res est in libro decimo septimo, ex quo qui servati sunt versus paene omnes perspicuam habent sententiam et id genus rerum gestarum prae se ferunt quod Ennii annalium proprium est, ut si unum frustum esset quod lucem afferret reliqua suapte sponte secutura essent. Nunc omnia in incertis: quamquam quaedam inter se iungi videntur, velut I. II. III. IV similem quandam indicare condicionem rerum putaveris cum ea quam in X annali vidimus Flaminino obvenisse (p. CXCIV), et *dux ipse vias* (III) nisi fallor eam vim habet quam Livius XLIV 5, 8 exprimit verbis *adeo ut ne dux quidem et auctor itineris infitiaretur parva manu deleri omnem exercitum potuisse.* Non minus quae composui VI. VII. VIII. IX coniungi et ad orationem quandam imperatoris referri videntur qui accusationibus militum respondeat, quod genus est apud Livium (XLV 37, 9) in controversiis de triumpho Aemilii Pauli. In extremo libro posui (X) testimonium Ciceronis de Lepidi et Fulvii censura a. u. c. 575, quod ad Ennium redire ipse aperte significat.

In libro duodevicesimo, postquam ea quae olim hunc locum obtinebant testimoniis victus in duodecimo reposui, remanserunt duo versiculi ex quibus nihil cognoscitur. Neque mirandum est quod quo propius ad finem annalium pervenimus eo incertior fiat opera in definiendis librorum argumentis consumpta, sed tamen ita sentio universam librorum dispositionem a me recte et suis lineis esse descriptam.

cap. VII Tantum de annalium libris. Scenicorum titulo complexus sum primum tragoedias, deinde praetextatas quae creduntur duas, porro comoedias item duas, postremo incertarum fabularum versus maximam partem ad tragoediam pertinentes, alias ad comoediam, reliquas ambiguas. Tragoedias autem numeramus viginti quas non argumentorum cognatione sed ad litterarum seriem ordinavi. In quibus quoniam sive ad indices sive ad versus superstites quae utilia essent aut necessaria adnotavi, non multa restant quae hoc loco exponantur.

Ac de Achille quidem ita sentio unam fuisse huius nominis tragoediam, cui Ennius *Achillem Aristarchi* inscripserit, ut addito Graeci poetae nomine non solum exemplar Graecum quod imitatus esset sed etiam quidquid proprii esset in hac fabula intelligentibus indicaret. Cum enim Festus citaverit *Ennius in Achille Aristarchi* (x) dubium non est quin eandem Ennii tragoediam dicat Plautus cum se scribit commentari velle *Achillem Aristarchi* (I), neque mirum est quod a Festo ipso aliisque testibus eadem tragoedia mero *Achillis* nomine affertur. Certe quae exstant ad idem referri argumentum videntur quod *πρεσβείᾳ πρὸς Ἀχιλλέα* continetur quae est in nono Iliados; nec ambiguum est nisi poeta utrum ista se legatione continuerit an ab initiis usque inimicitiarum Agamemnonis et Achillis repetierit. Velut illa de convocato populo (I), quamquam etiam in nono habent quo referantur (10 sqq.), fieri potest ut redeant ad ea quae in secundo (50. 280) relata sunt. Ab his autem quae sola *Achillem Aristarchi* prae se ferunt (nam x obscurum est nec creat difficultatem) cur secernamus aut ea quae proxime insequi iussi (II), in quibus consilium principum agnoscitur, aut ea quae legatos admonentes Achillem aut hunc illis respondentem patefaciunt (III. IV. V. VI. VII. VIII)?

De Aristarcho Tegeate haec sunt apud Suidam post ea quae mirabilia de eo narravit *οὗτος δὲ ὁ Ἀρίσταρχος σύγχρονος ἦν Εὐριπίδῃ· ὃς πρῶτος εἰς τὸ νῦν αὐτῶν μῆκος τὰ δράματα κατέστησεν, καὶ ἐδίδαξε μὲν τραγῳδίας ἑβδομήκοντα, ἐνίκησε δὲ δύο.* Alias eiusdem Aristarchi tragoedias Ennium expressisse verisimile non est et glossarum auctor ab Usenero protractus (mus. Rhen. XXVIII 419), qui scribit *tragoedias Ennius fere omnes ex Graecis transtulit, plurimas Euripideis, nonnullas Aristarchiis* plus dicit quam credere licet.

Aiacis fabulam, quae a contentione Aiacis et Ulixis de armis Achillis, si quidem I recte enarravi, ad necem quam sibi Aiax conscivit (IV) pertinuit, ex Sophoclis Aiace ductam esse probabile non est propterea quod Livius Andronicus in Aiace mastigoforo tam ob hanc inscriptionem, quam Sophocleae Aiacis fuisse *ὑπόθεσις* tradit, quam propter II R. ex Sophoclis v. 1266 sq. expressum ad Sophoclis exemplum videtur se composuisse.

Ex Alcmeone quae restant pauca unius sunt Alcmeonis aut verba aut cantus, qui primum (I. II) de se quid acciderit et qua condicione nunc sit adveniens nescio cui nuntiat, deinde furiis agitatus in scena clamat ea quae sibi videtur videre, donec mente recepta conquiescit (III). Unde tantum intelligitur, argumentum huius tragoediae fuisse quod Hygini fabula 73 tradit. *Amphiaraus . . augur qui sciret si ad Thebas oppugnatum isset se inde non rediturum, (itaque) celavit se conscia Eriphyle, coniuge sua, Talai filia. Adrastus autem ut eum investigaret monile aureum ex gemmis fecit et muneri dedit sorori suae Eriphylae; quae doni cupida coniugem prodidit. Amphiaraus Alcmeoni filio suo praecepit ut post suam mortem poenas a matre exsequeretur.*

Qui postquam apud Thebas terra est devoratus, Alcmeon memor patris praecepti Eriphylen matrem suam interfecit; quem postea furiae exagitarunt. Quibus ex Apollodori biblioth. III 7, 5 haec addo *χρήσαντος Ἀπόλλωνος αὐτῷ τὴν μητέρα ἀπέκτεινεν . . . Ἀλκμέωνα δὲ μετῆλθεν ἐρινὺς τοῦ μητρῴου φόνου καὶ μεμηνὼς πρῶτον μὲν εἰς Ἀρκαδίαν πρὸς Οἰκλέα παραγίνεται, ἐκεῖθεν δὲ εἰς Ψωφῖδα πρὸς Φηγέα. καθαρθεὶς δὲ ὑπ' αὐτοῦ Ἀρσινόην γαμεῖ τὴν τούτου θυγατέρα κτλ.* His enim probabile fit Ennii fabulam potuisse ad Euripidis alteram huius nominis tragoediam quae *Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος* inscribitur referri, quamquam hoc certis indiciis demonstrari non potest. Altera quae est *Ἀ. ὁ διὰ Κορίνθου* diversa fuit; de utraque vide Nauckium trag. Gr. fragm. II p. 379 sqq.

Ad Alexandri v. 35 quam memoravi Hygini fabulam 91, eam integram perscribam. *Alexander Paris. Priamus Laomedontis filius cum complures liberos haberet ex concubitu Hecubae, Cissei sive Dymantis filiae, uxor eius praegnans in quiete vidit se facem ardentem parere*), ex qua serpentes plurimos exisse. Id visum omnibus coniectoribus cum narratum esset, imperant quidquid pareret necaret, ne id patriae exitio foret. Postquam Hecuba peperit Alexandrum datur interficiendus, quem satellites misericordia exposuerunt. Eum pastores pro suo filio repertum expositum educarunt eumque Parim nominaverunt. Is cum ad puberem aetatem pervenisset, habuit taurum in deliciis. Quo cum satellites missi a Priamo ut taurum aliquis adduceret venissent, qui in athlo funebri quod ei fiebat poneretur, coeperunt Paridis taurum abducere. Qui persecutus est eos et inquisivit quo eum ducerent; illi indicant se eum ad Priamum adducere, qui vicisset ludis funebribus Alexandri. Ille amore incensus tauri sui descendit in certamen et omnia vicit; fratres quoque suos superavit . . . Quod cum Cassandra vaticinaretur eum fratrem esse, Priamus eum agnovit regiaque recepit.* Ex hac enim narratione paene totum tenorem ac nexum versuum ex hac tragoedia superstitum restituere licet, et illud intelligere nihil certius esse quam versus de Hecubae somnio et partu (I), qui sine nomine poetae aut tragoediae afferuntur, in hac tragoedia suam veram sedem nancisci. Ex Euripide, cuius *Ἀλέξανδρος* saepe laudatur, hanc fabulam expressam esse Varro testis est (VII); praeterea nihil est in Graecis quod conferri possit.

In Andromacha longius etiam quam in aliis a Ribbeckii rationibus discessi. Cui fabulae Nonio teste Ennius *Ἀνδρομάχην αἰχμάλωτον* inscripsit, a qua tamen non diversa fuit quae simpliciter *Ennii Andromacha* vocatur. Graecam inscriptionem putabimus poetam ex Graeco exemplari retinuisse, quamquam is titulus in Graecae tragoediae re-

*) Plane ut legitur in v. 35 *parere se ardentem facem,* ad eandemque *facem* redeunt quae Cassandra canit v. 63 *adest fax obvoluta sanguine.* Quo certius est I ad hanc tragoediam recte relatum esse. Cf. Vergilius Aen. x 703 *in lucem dedit.. face praegnas Cisseis regina Parim;* et VII 319 et Servius utrobique.

liquiis hodie non apparet. Ennium Euripideum exemplum secutum esse Varro testatus est (x), sed quae hodie exstat Euripidis Andromacha eam non fuisse facile probatur. Nam ne dicam quae Varro affert in hac tragoedia non legi, argumentum ipsum et re et tempore ab Enniana discretum est. Illa enim Andromacha iam diutius cum Neoptolemo coniugio iuncta puerum ex eo peperit, ipsique et puero ab Hermiona, Menelai filia, quam postea Neoptolemus domum duxit, pernicies paratur. Apud Ennium, quamquam quaedam sunt quae cum ista Andromacha conferri poterant (vide adnotata ad 84; 86—91; x), utpote quae memor esset etiam eorum quae ante gesta erant, apud Ennium inquam omnia magis recentia videntur a ruinis et incendio Troiae et cum eo tempore coniuncta quo Graeci diuturno bello tandem finito reditum in patriam parabant (II), a quo tamen primo tempestatis vi repulsi sunt (I). Quare Enniana Andromacha ad eam condicionem propius accedere videatur qua est in Euripidis Troadibus inde a v. 577, ubi post Astyanactem suum et Hectoris filium e muro deiectum quamvis invita novum maritum sequi coacta est. Ex hac quoque tragoedia quaedam ad Ennii versus adscripsi quae comparari posse viderentur (vide ad III et IV et ad x). Sed tamen multum abest ut Ennius credi possit suam fabulam ex ea quam dico Troadum parte petiisse et ad eam conformasse. Fuerit igitur alia fabula Euripidea, quam cognitam non habemus, quae Ennii Andromachae aechmaloto exemplum dederit. Cui quod Ennius Euripidi assentiens dixit (x) nomen inditum esse quod *ἀνδρὶ μάχεται*, indicium est quo ingenio et qua ferocia uterque poeta Andromacham esse voluerit. Quamobrem putabam VIII. IX. X. XI coniuncta huius depingendae naturae inservire, quae quanto opere respuerit et aspernata sit post Hectorem alii viro in coniugium dari ex Troadum versibus ad x adscriptis intelligitur. Mediam partem, ut nunc res est, obtinet amplissima Andromachae lamentatio, quam Cicero admirabatur, qua illa omnia complectitur quae modo perpessa est, Hectoris praecipue memor, cuius opem implorat (v) et miserrimam cladem deplorat (VI). Cantico praemisi III, quod opinor recte scribi, modo ad nuntiatum consilium Astyanactis e*) muro Troiano deiiciendi referatur. Cui adnexui IV quo de sepultura pueri occisi ageretur. Quae Cicero a. 700 in epistola ad Atticum (IV 15, 6) cum de ludis eius anni ageret de Antiphonte actore scribit *nihil tam pusillum, nihil tam sine voce . . . in Andromacha tamen maior fuit quam Astyanax* eqs, ea si recte intelligo indicio sunt Astyanacta cum matre in scena spectatum esse.

Andromedam Ennium ex Euripidis Andromeda vertisse si nihil aliud ipsum principium fabulae ὦ νὺξ ἱερά κτλ et *sacra Nox quae*

*) Lachmannus puto probe coniecit *e Troiano muro iactari* (pro *de*): sic Serv. Dan. in Aen. III 489 *Calchas cecinit deiiciendum ex muris Astyanacta* et ibid. *praecipitavit e muro*; et saepe ita poetae et scriptores, de quorum usu alibi dicam.

cava eqs (I) duobus poetis commune satis est documenti. Quae praeterea restant ex Ennii fabula, eorum II. III. IV. V. VI ad feram interimendam pertinent, in quibus sunt quae non recte tractentur a doctis. Argumentum refert Hygini fabula 64 *Cassiope filiae suae Andromedae formam Nereidibus anteposuit. Ob id Neptunus expostulavit, ut Andromeda Cephei filia ceto obiiceretur. Quae cum esset obiecta, Perseus Mercurii talaribus volans eo dicitur venisse et eam liberasse a periculo. Quam cum abducere vellet, Cepheus pater cum Agenore cuius sponsa fuit Perseum clam interficere voluerunt. Ille cognita re caput Gorgonis eis ostendit, omnesque ab humana specie sunt informati in saxum. Perseus cum Andromeda in patriam redit.* Addo ex Eratosth. catast. 17 p. 118 Rob. *ἀνθ' ὧν σωθεῖσα ὑπὸ τοῦ Περσέως οὐχ εἵλετο τῷ πατρὶ συμμένειν οὐδὲ τῇ μητρὶ ἀλλ' αὐθαίρετος εἰς τὸ Ἄργος ἀπῆλθε μετ' ἐκείνου,* quae lucem afferunt iis quae extrema posui, quibus Andromeda cum Perseo de connubio et cum matre ei adversante agit (VII. VIII. IX).

De Athamante Ennii qui semel memoratur adiectis quinque versibus continuis Ennio cui abiudicati sunt perdignis non habeo quod afferam.

In Cresphonte secutus sum eas rationes quas olim exposui (vid. ad ind.) adiuvante praecipue Hygini fabula 137 *Merope. Polyphontes Messeniae rex Cresphontem Aristomachi filium cum interfecisset eius imperium et Meropen uxorem accepit* et 184 *Polyphontes occiso Cresphonte regnum occupavit. Filium autem eius infantem Merope mater quem ex Cresphonte habebat absconse ad hospitem in Aetoliam mandavit. Hunc Polyphontes maxima cum industria quaerebat aurumque pollicebatur si quis eum necasset. Qui postquam ad puberem aetatem venit, capit consilium ut exsequatur patris et fratrum mortem. Itaque venit ad regem Polyphontem aurum petitum dicens se Cresphontis interfecisse filium et Meropes Telephontem. Interim rex eum iussit in hospitio manere ut amplius de eo perquireret. Qui cum per lassitudinem obdormisset, senex qui inter matrem et filium internuntius erat flens ad Meropen venit negans eum apud hospitem esse nec comparere. Merope credens eum esse filii sui interfectorem qui dormiebat in chalcidicum cum securi venit inscia ut filium suum interficeret. Quem senex cognovit et matrem ab scelere retraxit. Merope postquam vidit occasionem sibi datam esse ab inimico se ulciscendi, redit cum Polyphonte in gratiam. Rex laetus cum rem divinam faceret, hospes falso simulavit se hostiam percussurum esse**) *eumque interfecit patriumque regnum adeptus est.* Ex his sumpsi quae ad explicandos sermones et personas designandas adscripsi, nisi quod filium infantem Meropes non Telephontem sed cognominem patri Cresphontem appellari malui, quod idem

---

*) *percussurum esse* pro *percussisse* M. Schmidtius. Videtur haec res gesta esse ad eum fere modum quo Aegisthum Orestes in Euripidis Electra 819 sqq. confecit.

Euripidem secutum esse constat (cf. Nauckius trag. Gr. fragm. p. 497). Cuius fabula *Κρεσφόντης* unica est quae hoc nomen fert, unde credibile fit (nam certis argumentis non evincitur) hanc fuisse Ennii exemplum.

Erechthei, quam fabulam item nisi Euripides nemo composuisse fertur, pauca quidem fragmenta servata sunt sed in iis (II) quod cum Praxitheae verbis Euripideae ita conspirat, ut nec de argumento nec de auctore Ennianae tragoediae dubium esse possit; quare I Ennii nomine, non tragoediae allatum haud cunctanter in ea tragoedia posui cui sententia vindicat. De argumento ne quid desideretur afferam ex Lycurgi oratione in Leocratem, cui prolixa *ῥῆσις* Praxitheae Euripideae accepta fertur, haec potissimum 98 sq. *φασὶ γὰρ Εὔμολπον τὸν Ποσειδῶνος καὶ Χιόνης μετὰ Θρᾳκῶν ἐλθεῖν τῆς χώρας ταύτης ἀμφισβητοῦντα, τυχεῖν δὲ κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους βασιλεύοντα Ἐρεχθέα, γυναῖκα ἔχοντα Πραξιθέαν τὴν Κηφισοῦ θυγατέρα. μεγάλου δὲ στρατοπέδου μέλλοντος αὐτοῖς εἰσβάλλειν εἰς τὴν χώραν εἰς Δελφοὺς ἰὼν ἠρώτα τὸν θεόν, τί ποιῶν ἂν νίκην λάβοι παρὰ τῶν πολεμίων. χρήσαντος δὲ αὐτῷ τοῦ θεοῦ, τὴν θυγατέρα εἰ θύσειε πρὸ τοῦ συμβαλεῖν τῷ στρατοπέδῳ, κρατήσειν τῶν πολεμίων, ὁ δὲ τῷ θεῷ πειθόμενος τοῦτ᾽ ἔπραξε καὶ τοὺς ἐπιστρατευομένους ἐκ τῆς χώρας ἐξέβαλε.*

Ex Eumenidibus quae afferuntur non solum *μῦθον* tragoediae (cf. maxime II. III. IV. V) indicant sed etiam eam cognationem cum Aeschyli versibus in cognomine fabula aperiunt, ut iure suam Ennius credatur ad Aeschyli exemplum composuisse. Quare quibusdam Ennianis non ex hac tragoedia citatis (I. VI. VII) licebat hunc locum cum fide assignare.

Hectoris lytra sive *Ἕκτορος λύτρα* quae vocatur tragoedia, ut est aliis locupletior versibus superstitibus ita abundat controversiis, ac me fateor non in paucis rebus a Ribbeckii etiam tertia recognitione dissentire. Sed ut mittamus singula, de argumento si quaeritur et de argumenti finibus, non difficile est tres partes internosci, quarum prima (I—VIII) quasi quandam Hectoris *ἀριστείαν* continet, qui cum vi et fortuna progrediens copias Graecorum fundit et repellit. Quod quia his versibus (II) *Hector vi summa armatos educit foras* et (III) *nos quiescere aequum est? nomus ambo Ulixem* ex hac tragoedia laudatis probatur, non dubitavi iis adnectere versus quosdam Ennianos nullo tragoediae nomine citatos sed qui accurate ei argumento applicantur, primum versus egregios (IV) saucii Eurypyli ad Patroclum advenientis, cui iussus narrare (169) *res Argivum proelio ut se sustinet* orditur ab his verbis *ubi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam dedit;* quibus adduntur versus quidam qui si non ex ipsa hac narratione sumpti sunt (V. VI. VII. VIII), certe eandem rerum condicionem prae se ferunt, in quibus hic (VII) *Hector, qui haud cessat obsidionem obducere.*

Altera autem pars (IX—XVI) affert Achillem tandem ex suo se-

cessu prodeuntem; cuius nomen qui habet versus (XI) *qui cupiant dare arma Achilli, ut ipsi cunctent* (quamquam Ribbeckius depravare maluit quam intelligere) videbar mihi satis certo Homericis versibus et verbis Aeschyli usus probasse ipsius Achillis esse qui clade Patrocli inermis factus secum deliberat unde sibi arma parentur, quem sic loqui arbitror ut interrogando *(ubi sunt) qui cupiant dare arma Achilli (quo fiat) ut ipsi cunctent* nullos esse indicet. Ex hoc autem versu ultro intelligitur et quae praecesserint et quae sint insecuta, ac IX quod dicitur *consilium* quod exspectatur *Achivis auxilio* fore apparet non esse nisi Achillis tandem permoti ut instar sui Patroclum suis armis indutum cum Myrmidonibus in proelium dimitteret; qui si recte intelligo verba venustissima (X) quibus sua ipse arma alloquitur fiduciam successus profitetur. Quae insequuntur a XII ad XVI, quamvis per singula interpretari non liceat, universa haud obscure Achillis certamina indicant, quae si nihil aliud commemoratio *Scamandri* (XVI) prodit.

Denique tertia parte Priamus agnoscitur qui ad Achillem pergit occisi Hectoris ut corpus redimat. Priamus enim est qui (XVII) *Myrmidonum vigiles* appellat, eique forsitan Achilles sit qui respondeat (XVIII), si quidem hoc Ennianum ad hanc tragoediam probabiliter relatum est. Quae restant incerti loci sunt.

Haec tripertitio quam putavi ultro ex ipsis reliquiis emicare non potest non in memoriam revocare tria Aeschyli dramata, quibus is hoc idem argumentum pari paene ambitu exsecutus est, *Μυρμιδόνας*, *Νηρηίδας*, *Φρύγας ἢ Ἕκτορος λύτρα*. Quae nullo teste sed probabili coniectura statuerunt partes esse unius trilogiae, qua se res gestae hoc fere modo excipiebant, ut Myrmidones Patroclum ab Achille cum eius armis et copiis in pugnam missum et occisum, Nereides Thetin cum Nereidibus nova arma Vulcani arte fabricata ad Achillem portantem, denique Phryges vel Hectoris lytra Priamum corpus Hectoris redimentem exhiberent. Quare apparet Ennium, qui haud dubie ex tertio eorum dramate inscriptionem sui mutuatus est, quae ille trium tragoediarum serie explicata dederat, unius tragoediae finibus, normae Aristoteleae incuriosum, complexum esse. Cuius tragoediae iter Hygini fabula 106 cui ex Ennio inscriptum est *Hectoris lytra* ita rettulit. *Agamemnon Briseidem .. ex Mysia captivam propter formae dignitatem quam Achilles ceperat ab Achille abduxit .. Quam ob iram Achilles in proelium non prodibat, sed cithara in tabernaculo se exercebat. Quod cum Argivi ab Hectore fugarentur, Achilles obiurgatus a Patroclo arma sua ei tradidit, quibus ille Troianos fugavit aestimantes Achillem esse, Sarpedonemque Iovis et Europae filium occidit. Postea ipse Patroclus ab Hectore interficitur armaque ei sunt detracta. Patroclo occiso Achilles cum Agamemnone redit in gratiam Briseidemque ei reddidit. Tum contra Hectorem cum inermis prodisset, Thetis mater a Vulcano arma ei impetravit, quae Nereides per mare attulerunt. Quibus*

armis ille Hectorem occidit astrictumque ad currum traxit circa muros Troianorum. Quem sepeliendum cum patri nollet dare, Priamus Iovis iussu duce Mercurio in castra Danaorum venit et filii corpus auro repensum accepit; quem sepulturae tradidit. Quae satis bene accommodantur ad ea quae ex reliquiis Ennianis cognosci vidimus, quamquam Hygini fabulam meram huius tragoediae periocham esse affirmare vix licet. Quae quod a Briseide initium facit, noluit nisi irae Achilleae causam et originem aperire (cf. schol. Gron. ad v adscriptum), cuius rei mentio etiam apud Ennium facta esse potuit. Sed Ennium, qui haud ignarus trilogiae Aeschyleae fuit (ut mittam inscriptionem, vide ad xi adscripta), suam tragoediam ad Aeschyli exemplum composuisse non tam certum est quam videatur. Qui enim quae ex Homericis carminibus ad explicanda Enniana adscripsi consideraverit, intelliget non ineptum esse si qui Ennium existimaverit ad Homericam poesim suam tragoediam conformasse: quod idem valere de Accio notum est. Quidni enim Romani poetae paulatim didicerint quod Graeci semper instituerant ut fabulas suas ex Homeri carminibus ducerent.

Quae insequuntur fabulae tres, Hecuba, Iphigenia, Medea, hoc commune habent ut ex Euripidis cognominibus tragoediis expressae sint. Et Hecubam quidem ab Euripide conversam esse cum Gellius testatur (v) tum confirmant reliquiae, quae fere ita concinunt cum Graecis, ut appareat idem utrobique rerum gestarum iter fuisse. Sunt tamen quae non habent simile in Graecis velut vi et xii, aut habent sed non agnoscitur a doctis, velut Ribbeckius cum alia prave explicuit tum xiv falso ad 803 rettulit. Pauca non dubitavi hac fabula recipere non alia de causa quam quia comparia erant in Graecis (xi et xiii).

Non secus est in Iphigenia, in qua pleraque ultro indicant se esse ex Euripidis Iphigenia Aulidensi ducta, in aliis desideres quod comparari possit e Graecis; ac nonnulla sunt quae cum aperte sententiam et originem suam declarent (velut ix. x. xi), tamen a criticis prave accipiuntur Ribbeckiumque mirere obstinate pergere suas falsas opiniones fovere: sed ea singillatim nunc persequi nolo. Hygini fabula 98 *Iphigenia* non habet quod nos adiuvet.

Quae tertia est, Medea, eam Cicero iis fabulis Latinis adnumerat quas ad verbum e Graecis expressas dicit. Quod ita verum est, ut in plerisque quae exstant exemplum Euripideum agnoscatur, quorum fide nonnulla propter solam similitudinem cum Graecis in hac tragoedia ponere non dubitavi (vi. ix. x). Sed et id intelligitur Ennium sententias magis quam verba Graeci poetae interpretari. Huic tragoediae probabile est Ennium *Medeam exulem* inscripsisse, quo nomine bis terve a Nonio citatur, semel a Probo. Ac Medea Enniana quae Colchorum patria relicta cum Iasone Corinthi moratur et erat exul et se esse Corinthiis matronis veniae impetrandae causa professa est

(IV); et titulo hoc addere, quo condicio personae indicaretur, non minus poetam decebat quam *Ἀνδρομάχην αἰχμάλωτον* appellare: quod utrumque Nonio acceptum fertur, nec miramur quod saepius simpliciter ut Andromacha sic Medea vocatur. Dubitatio oritur ex eo quod quae extrema apposui (XVII) *Asta atque Athenas anticum opulentum oppidum contempla* eqs, ut ab Euripidis Medea, quam Ennius secutus est, aliena sunt, ita pro Corintho scenam Athenis esse poscunt. Ita nata est opinio multorum Ennii duas fuisse Medeas, alteram exulem vel Corinthiam, alteram quae Atheniensis appellari potuerit, cuius id fere argumentum fuerit quod fuit Euripidis *ἐν Αἰγεῖ*, de qua fabula schol. Iliad. XI 741 haec tradunt *Μήδεια ἐγένετο Αἰήτου μὲν θυγάτηρ, Ἰάσονος δὲ γυνή. αὕτη μετὰ τὴν ἀπεργασθεῖσαν ἐν Κορίνθῳ τεκνοκτονίαν φυγὰς εἰς Ἀθήνας ἀφίκετο καὶ ἐγαμήθη ἐκεῖ Αἰγεῖ τῷ Πανδίονος. κἀκεῖ Θησέα τὸν ἐξ Αἴθρας γενόμενον τῷ Αἰγεῖ ἐπὶ τὸν τοῦ πατρὸς ἀναγνωρισμὸν ἐκ Τροιζῆνος ἀφικόμενον, πείθει τὸν Αἰγέα φάρμακον αὐτῷ δοῦναι θανάσιμον . . . τὸ μὲν φάρμακον ἀφείλετο, τὴν δὲ Μήδειαν ἐξέβαλε τῆς Ἀττικῆς*. Itaque sic statuunt versus istos Ennianos in prologo alterius Medeae habitos fuisse et nescio quem, fortasse ipsum Aegeum, advenienti Medeae Athenas et quae aspici poterant*) monstrasse, fere ut paedagogus in prologo Electrae Sophocleae. Haec illi: pauca accipe contra. Quod (p. 162 ad MED. EX.) scripsi Varronem et Ciceronem non videri nisi unam Medeam cognitam habuisse, poterat addi Nonius, qui quidem semel et iterum *Medeam exulem* (II. V) citavit, sed cum XVII 287 *Asta atque Athenas .. contempla* tum versus complures qui non poterant nisi in Medea Euripidea sive Corinthia locum habere (XII. XIII. XIV. XV) ex Ennii *Medea* laudat. Ennium autem non probabile est quam *Medeam exulem* inscripserit secerni voluisse ab altera Medea, non magis quam *Ἀνδρομάχην αἰχμάλωτον* ab altera Andromacha aut Achillem Aristarchi ab altero, quas inscriptiones duplices suam propriam vim habere supra dixi. Quae si probe disputata sunt, consequitur Ennium in una tragoedia Medea, quam e potiore materia *Medeam exulem* appellavit, id argumenti complexum esse quod Euripides in duas fabulas dilatavit: et hoc cur minus credibile habeatur, quam quod modo vidimus in Hectoris lytris, ne de Pacuvii aut Accii tragoediis dicam quae similia plura exhibent. Nemo se vero ab Hygino in errorem adduci patietur qui fab. 25 *Medea* Euripideae argumentum refert, fab. 26 autem cui *Medea exul* inscripsit ita exorsus *Medea Corintho exul Athenas ad Aegeum devenit* Aegei fabulam tradit miscens ea quae discreta sunt.

Melanippa et ipsa est Euripidea, de cuius argumento et exemplo quae sciri possunt adnotavi ad ipsam. De Nemea autem, quamquam eius nominis fabula erat Aeschyli sive ea *Νέμεα* erat sive *Νεμέα*,

---

*) Cf. U. de Wilamowitz-Moellendorff, *philol. Untersuchungen* I p. 128 n.

omnia obscura. Phoenici fieri potest ut Euripidis *Φοῖνιξ*, cuius simile fuit argumentum, exemplar fuerit, sed versibus Ennii cum huius fabulae Euripideis collatis probari si quid video non potest. Contra quae Phoenix in Iliados nono a v. 448 de se suoque patre Amyntore et eius paelice narravit, quorum nonnulla ad versus Ennii adscripsi (II. VII. VIII), ea ita comparata sunt, ut paene omnia quae ex ea tragoedia Ennii hodie supersunt ex illis lucem accipiant.

Perpauca addenda sunt de tribus quae restant tragoediis, Telamone, Telepho, Thyeste. Et Telamo quidem quantum ex reliquiis cognoscitur in summa rei cognationem quandam cum Phoenicis actione prae se tulit, si quidem utrobique potissimae partes fuerunt patris in filium falsis criminibus accusatum saevientis et filii cum libertate animi innocentiam defendentis. Haec enim (V)

Scibas natum ingenuum Aiacem, cui tu obsidionem paras

Telamonis accusantis et haec (VI)

Nam ita mihi Telamonis patris atque Aeaci et proavi Iovis
*Gratia esse**) *est atque hoc lumen candidum claret mihi*

Teucri respondentis esse manifestum est et quid rei gestum fuerit aperiunt ad eaque non nimis difficile reliqua applicantur maxime ascitis iis quae ex Sophoclis Aiace ad iniquam hanc Teucri sortem referri possunt. Sed ex quo exemplari Graeco haec ducta sint incompertum: nam *Τελαμών* non fertur in Graecae tragoediae reliquiis, fertur *Τεῦκρος*, Sophoclis et aliorum, apud Romanos *Teucer Livii Teucer Pacuvii,* sed hae fabulae omnes, quod probari non potest, si Teucrum habebant post Aiacis mortem a Telamone receptum, tamen Ennium credibile est non sine causa maluisse ei fabulae *Telamonem* potius quam *Teucrum* inscribere, atque ex iis quae exstant quodammodo dispicitur qualem hunc Telamonem esse poeta voluerit.

De Telephi fabula notissima ego omissis aliis auctoribus quos plenius Nauckius trag. Gr. fragm. p. 579 recenset afferam Hygini fabulam 101 *Telephus Herculis et Auges filius ab Achille in pugna Chironis hasta percussus dicitur. Ex quo vulnere cum in dies tetro cruciatu angeretur, petit sortem ab Apolline, quod esset remedium: responsum est ei neminem mederi posse nisi eandem hastam qua vulneratus erat. Hoc Telephus ubi audivit ad regem Agamemnonem venit et monitu Clytaemnestrae Orestem infantem de cunabulis rapuit minitans se eum occisurum nisi sibi Achivi mederentur. Achivis autem quod*

---

*) Me hoc *miro acumine* coniecisse scribit Ribbeckius in tertia recognitione ea scilicet fastosa qua semper erga me erat superbia et quae in hac extrema eius opera praecipue exsplenduit. Ipse quod edidit *Gratia ecstet atque hoc* nunc ita interpretatur: *ita mihi hoc lumen extet atque clareat gratiā maiorum*; quo magis appareat, quam absurda sit haec oratio. Ego ab iis profectus sum quae aperta sunt *atque hoc lumen candidum claret mihi* eorumque vim congestis exemplis declaravi, ex quibus colligatur necesse est quid cum iis coniunctum esse potuerit: idque quid sit non inanibus opinionibus sed rursus exemplorum nube patefeci.

responsum erat sine Telephi ductu Troiam capi non posse, facile cum eo in gratiam redierunt et ab Achille petierunt ut eum sanaret. Quibus Achilles respondit se artem medicam non nosse. Tunc Ulysses ait: non te dicit Apollo sed auctorem vulneris hastam nominat. Quam cum rasissent remediatus est eqs. Haec enim satis sunt ad expediendum Ennianae tragoediae argumentum. Cuius reliquiae nonnulla habent (vide ad I. II. III. IV) quae expressa dicas ex versibus cognominis tragoediae Euripideae, ex qua satis multa Aristophanis malitia et eius interpretum sedulitas servaverunt. Quibus cum appareat quem auctorem Ennius secutus sit, sunt tamen alia quae fatendum est obscura esse nec illustrari ex Graecis.

In reliquiis Thyestae, quae extrema fuit Ennii tragoedia (cf. p. XVII), quasi res summa actionis agnoscitur *cena Thyestae* quam Horatius dicit (VII. VIII), quae excipitur a lamentis Thyestis suam fortunam deplorantis et res suas nescio quibus *hospitibus* (349) enarrantis (IX—XIII), denique a ponderosa exsecratione Atrei fratris (XIV). Ex altera parte si versus

Eho tu, di quibus est potestas motus superum atque inferum,
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam

(III), quos qui affert Thesproti esse testatur, Hygini testimonio fretus recte ad hanc tragoediam traxi, quibus versibus IV adnecti poterat, Thesproto intercedente de rupta fratrum concordia restituenda agi videatur. Sed praeterea qui sunt in hac parte versus, non obscura illi quidem sententia, multum tamen abest ut tenorem quendam rerum aut sermonum patefaciant. Vestigium quoddam originis Euripideae praebet versus *Aspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iovem* (V) cum hoc Euripidis incertae tragoediae (941 Nauck.) collatus ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα κτλ, de quo et ad hunc locum et infra ad Epicharmum p. CCXIX dixi. Denique ne quid omittatur ex Hygini fab. 88 tantum afferam quod satis sit ad Atrei et Thyestis necessitudinem cum Thesproto rege Epiri declarandam. *Atreus Pelopis et Hippodamiae filius cupiens a Thyeste fratre suo iniurias exsequi in gratiam cum eo rediit et in regnum suum eum reduxit filiosque eius infantes Tantalum et Plisthenem occidit et in epulis Thyesti apposuit. Qui cum vesceretur, Atreus imperavit brachia et ora puerorum afferri .. Thyestes scelere nefario cognito profugit ad regem Thesprotum, ubi lacus Avernus dicitur esse .... Interim sterilitas Mycenis frugum ac penuria oritur ob Atrei scelus. Ibi responsum est ut Thyestem in regnum reduceret. Qui cum ad Thesprotum regem isset, aestimans Thyestem ibi morari, Pelopiam aspexit* eqs.

De scenicis quae restant, eorum Ambraciam et Sabinas pro praetextatis habemus, quamquam Ambracia, nisi quod nomen ipsum urbis a Fulvio expugnatae admonet (cf. p. XIV sq.), in reliquiis non habet quod ad eam rem referatur; ex Sabinis quae unica laudatur interrogatio *cum spolia generis detraxeritis quam inscriptionem dabitis* tam

aperte Sabinarum acerbitatem prodit qua patres suos cum maritis pugnantes increpant, ut argumentum dubium esse non possit. Cupuncula autem (sive *Caupuncula* malis, sed *Cupiuncula* quod traditur ferri posse non credo) et Pancratiastes sive Pancratiastae comoediae sunt, quarum de illa nihil dici potest, hanc vel paucissimi qui restant versus ostendunt genus Plautinum Terentianumque prae se ferre.

Post scenica de satura dicendum est. Saturarum libros quattuor scripsisse Ennium Porphyrio Horatii interpres (p. LXXXVI) testatur; et ex quattuor libris versus perpauci traduntur. Quia vero e sexto satirarum sex versus continui afferuntur (14—19), necesse est alicubi peccatum sit. Et Usenerus (litteris ad me olim datis) putabat apud Porphyrionem errore IIII scriptum esse pro VII; id quod in hac similitudine formarum, qua ipse in contrariam partem ann. IV fr. V usus sum, non improbabile est, nisi quod codicum scripturae fidem non faciunt, hos versus, quos Terentius imitatus est, e sexto satirarum Ennii ductos esse. Quare hoc in medio relinquendum est.

Quae exstant ex his quattuor libris, perpauca produnt de argumento et forma harum saturarum: morati quiddam h. e. ad castigandos mores quod pertineat agnoscas I fr. I *malo hercle magno suo convivat sine modo*; III fr. II *nam is non bene vult tibi qui falso criminat apud te*; II fr. II *restitant occurrunt obstant* eqs, qui vel Lucilio dignus versus erat; in tertio, quo semet ipse poeta appellari fingit, per sermonum vices rem geri; metrorum autem memorabilem varietatem, trimetros, tetrametros, hexametros, ut in hac paucitate versuum ne unius quidem libri idem genus sit versuum.

Paulo plura dignoscuntur ex iis quae ex satura vel saturis sed non ex certo saturarum libro afferuntur, velut lusus verborum *frustra* et *frustrandi* vocabulorum ambiguitate quaesitus et versibus Sotadeis expositus (III), qualia non male decere saturam videantur; aut quod *Aesopi apologum Ennius in satiris scite admodum et venuste versibus quadratis,* ut ait Gellius, *composuit.* Et si quis contulerit Graeca in Aesopi fabulis (379 Fr. de Fur.) *Χαραδριὸς καὶ αὐτοῦ παῖδες. Χαραδριὸς ἦν τις ἐν χλόῃ νεοττεύων τῷ κορυδαλῷ πρὸς τὸν ὄρθρον ἀντᾴδων καὶ παῖδας ληίου κόμαις θρέψας λοφῶντας ἤδη καὶ πτερίσιν ἀκμαίους. ὁ δὲ τῆς ἀρούρης δεσπότης ἐποπτεύων ἀνθηρὸν ὂν τὸ θέρος εἶπε· νῦν ὥρη πάντας καλεῖν με τοὺς φίλους ἵν' ἀμήσω· καί τις χαραδριοῦ τῶν λοφοφόρων παίδων ἤκουσεν αὐτοῦ τῷ τε πατρὶ μηνύει σκοπεῖν κελεύων ποῦ σφέας μεταστήσει. Ὁ δὲ εἶπεν· οὔπω καιρός ἐστι τοῦ φεύγειν· ὃς τοῖς φίλοις πέποιθεν οὐκ ἄγαν σπεύδει. Ὡς δ' αὖθις ἐλθὼν ἡλίου θ' ὑπ' ἀκτίνων ἤδη ῥέοντα τὸν στάχυν θεωρήσας μισθὸν μὲν ἀμήτορσιν αὔριον πέμπειν, μισθὸν δὲ πᾶσι δραγματοφόροις δώσειν ἔλεγε, εἶπε χαραδριὸς πᾶσι νηπίοις οὕτως· νῦν ἐστιν ὥρη, παῖδες, ἀλλαχοῦ φεύγειν, ὅτ' αὐτὸς αὑτῷ κοὐ φίλοις πιστεύει. Ὁ μῦθος διδάσκει ἡμᾶς ἐπιμελεῖσθαι τῶν οἰκείων ὅση δύναμις καὶ μὴ καταφρονεῖν θαρροῦντας ταῖς τῶν φίλων συνδρομαῖς*, aut Babriana (88) cum illis prope ad verbum conspirantia, fate-

bitur Gellium non temere Ennianae fabulae venustatem praedicasse, quam ne Aviani quidem conformatio (21) assecuta est.

Hanc Gellii narrationem nemo ante me, neque Columna neque qui Columnam instauravit Hesselius, Ennii fragmentis recepit, post me omnes: de qua quae olim scripsi (quamquam nonnulla in adn. attuli) plene repetenda duxi. ʽInter ipsas Ennii reliquias iure meo opinor a Gellio II 29 traditam Aesopi fabulam recepi (inc. sat. II): quam ille ab hoc poeta quadratis versibus compositam tradit. Nimirum aut fallit me sensus aut ibi Gellius plus quam argumentum Ennianae saturae servavit. Cum enim narrationi ipsos quibus poeta fabulam concluserit versus subiiciat, non tam ex Aesopo sua convertisse quam Ennii carmen secutus contexuisse sermonem videtur. Ut e poeta color quidam antiquitatis supersit, quem vel hae voces ac locutiones arguere videantur: *pulli tremibundi, trepiduli, die crastini, messim hanc nobis adiuvent, haec ubi ille dixit et discessit, obsequibilis, primo luci, nidum migravit.* Sed haec erunt fortasse qui ipsum Gellium, quem antiquitatis robiginem imprimis deamasse constat, e suo antiquarum dictionum penu sparsisse opinentur. Esto: at quid dicant illi, si ipsorum versuum quibus hanc fabulam Ennius contexuit reliquias quasdam ac vestigia ostendero? Nam vide num meae me aures fefellerint, cum in his quae sunt *ét manus iam póstulare; et méssim hanc nobis ádiuvent; státim*) dicto oboédiant: it diés et amici núlli eunt; fíet nunc dubió procul; nón metetur néque necessumst hódie uti vos aúferam***), cum in his igitur numeri quiddam trochaici mihi visus sum percipere; atque haec ne litterula quidem immutata se prodiderunt, unde si proficisci licet, proclivi emendatione adhibita aliae eiusdem numeri particulae emergunt, vel *vós modo hoc advértite; si quíd dicetur dénuo; út iam statim próperet inque aliúm sese asportét locum,* alia. Quorum ut nihil re vera hac specie in Ennii satura fuerit, tamen tot dispersa in una narratione metri vestigia non aptius repeti quam ex ipsa Ennii poesi concedes.ʼ Ab hac mea modestia profecti primus a. 1855 B. ten Brinkius libello comiter ad me misso cui inscripsit *M. Terentii Varronis locus de urbe Roma. Accedunt Q. Ennii apologus Aesopicus et reliquiae Euhemeri versibus quadratis. Traiecti ad Rhen.* totum apologum, receptis tantum non omnibus a me propositis et significatis, suis quadratis restituit; dein idem a. 1856 mus. Rhen. x p. 290sqq. Ribbeckius formis non leviter a ten Brinkio diversis temptavit. In quorum versibus, ut fit, non pauci sunt qui ne sibi imputentur poeta valde deprecaturus sit, nec me umquam paenituit in paucis me sed certis aut similibus veri continuisse, quibus quae ex illorum conami-

---

*) De *statim* cf. Aiac. I.

**) R. Ellis The fables of Avianus (1887) p. 88 *Here we seem to have a relic of the Ennian original.*

crastino seges
Non metetur, neque necessumst hodie uti vos auferam.

nibus accesserunt fidem quidem observationis meae confirmare possunt, Ennii reliquias locupletare non possunt.

Sed si quaeritur, quod quaeratur oportet, hic apologus Aesopi ab Ennio versibus perpolitus fueritne integra satura an forte pars tantum alicuius saturae in quam haec fabula ad confirmandam sententiam quae est de inani plerumque amicorum fiducia recepta fuerit, ambigitur nec hoc satis certo ex Gellii verbis diiudicatur. Fieri et hoc potuisse dubium non est, ac videmus saturarum poetas saepius in hunc usum vertisse fabulas, velut Lucilius fabulam de leone et vulpe, quam ex iis quae exstant (xxx 919—924) non nimis breviter videtur consilio non aperto exposuisse; et Horatius in satura fabulis usus est cum alibi velut II 3, 314—320 tum potissimum II 6, 77—117, Cervio fabulam de muribus urbano et rustico lepide admodum garriente. Sed paulo tamen probabilius videtur hanc integram saturam esse, cum quid fabula doceat duobus versibus extremis expressum sit, ut nihil desideretur, et officio saturae admonendi in aetate agenda quid cavendum aut petendum sit vel sic satisfactum videatur.

Certius integrae saturae argumentum percipitur ex iis quae Quintilianus tradidit (I) *sed formas quoque fingimus saepe, ut Famam Vergilius, ut Voluptatem ac Virtutem Prodicus, ut Mortem ac Vitam, quas contendentes in satura tradit Ennius.* Nullum verbum, nullum versum ex ea nobis satura Quintilianus exhibuit, sed argumentum proditur cum iis quae de Ennio dicit tum exemplis quae addidit. Vitam igitur et Mortem tamquam personas inter se concertantes Ennius induxit; quod genus, cuius notissimum est exemplum Hercules Prodici, late patuit; sic, ut pauca afferam, apud Aristophanem *Λόγον δίκαιον* et *Λόγον ἄδικον* in Nubibus, *Πλοῦτον* et *Πενίαν* in Pluto, apud Lucianum in somnio *Παιδείαν* et *Ἑρμογλυφικήν*, in amoribus Ovidii *Elegeiam* et *Tragoediam* personarum vicem gerentes disputare inter se videmus. Quare Ennio, si tamen indigebat, exemplum abesse non poterat, qui quid maxime egerit in hac concertatione non magis patet quam quod Novius in Atellana cui inscripsit *Mortis et Vitae iudicium,* sed certe ei suam partem *παραινέσεως* vel *νουθετήσεως*, ut par est in satura, non defuisse non ambiguum est, quae quidem ne in Lucilianis quidem desideratur.

His quae ex saturis vel saturarum libris allata sunt nonnulla incerta addidi, VI. VII. VIII, quae ex diversis narrationibus sumpta non videbantur ad certum genus carminum referri posse nec melius alibi quam in saturis locum habere. De quorum VIII quaedam de origine in adn. memoravi, de VI autem hoc loco olim haec perscripseram: ʽeam narrationem cuius hic versus est *subulo quondam marinas propter astabat plagas* (inc. sat. VI) ab Herodoto deprompsit I 141: *Ἴωνες δὲ καὶ Αἰολέες, ὡς οἱ Λυδοὶ τάχιστα κατεστράφατο ὑπὸ Περσέων, ἔπεμπον ἀγγέλους ἐς Σάρδις παρὰ Κῦρον ἐθέλοντες ἐπὶ τοῖσι αὐτοῖσι εἶναι τοῖσι καὶ Κροίσῳ ἦσαν κατήκοοι. ὁ δὲ ἀκούσας αὐτῶν τὰ προίσχοντο*

ἔλεξέ σφι λόγον, ἄνδρα φὰς αὐλητὴν ἰδόντα ἰχθῦς ἐν τῇ θαλάσσῃ αὐλέειν, δοκέοντά σφεας ἐξελεύσεσθαι ἐς γῆν· ὡς δὲ ψευσθῆναι τῆς ἐλπίδος, λαβεῖν ἀμφίβληστρον καὶ περιβαλεῖν τε πλῆθος πολλὸν τῶν ἰχθύων καὶ ἐξειρύσαι, ἰδόντα δὲ παλλομένους εἰπεῖν ἄρα αὐτὸν πρὸς τοὺς ἰχθῦς 'παύεσθέ μοι ὀρχεόμενοι, ἐπεὶ οὐδ' ἐμέο αὐλέοντος ἠθέλετε ἐκβαίνειν ὀρχεόμενοι.'

Ex his si colligimus, de Ennii satura quid iudicandum sit, sic sentio, Ennium neque a satura scenica, quam propter Livii verba VII 2, 7 sq. finxerunt, id quod olim vulgarem opinionem secutus statui, profectum esse neque a Graecis hoc genus carminum repetitum Romam transtulisse, sed quia praeter grandioris poesis*) opera poemata multa non magni ambitus et varii argumenti variaeque metrorum formae sed quorum hoc commune consilium erat ut suadendo dissuadendo doctrina et exemplis mores regerent facere consuevit, ea in quattuor libros collegit quibus *Saturarum libri* inscripsit nihil significans nisi quod in *satura* voce inesse grammatici docuerunt.

His iam subiicio testimonia quaedam de satura, a quibus non erat proficiscendum. Itaque Diomedes III de poematibus p. 485 sq. K. haec scribit: *satira dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius, sed olim carmen quod ex variis poematibus constabat satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. satira autem dicta sive a satyris . . . sive satura a lance quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos dis inferebatur et a copia ac saturitate rei satura vocabatur . . . sive a quodam genere farciminis, quod multis rebus refertum saturam dicit Varro vocitatum. est autem hoc positum in secundo libro Plautinarum quaestionum 'satura est uva passa'* eqs . . . *alii autem dictam putant a lege satura, quae uno rogatu multa simul comprehendat, quod scilicet et satura carmine multa simul poemata comprehenduntur. cuius saturae legis Lucilius meminit in primo* [17 L.] *et Sallustius in Iugurtha* [c. 29]. Haec Diomedis quia ex Suetonio de viris illustribus sumpta credidit A. Reifferscheidius in Suetonii reliquiis a se editis (1860) p. 20 sqq. posuit additis aliis testimoniis in summa re conspirantibus, in aliis discedentibus, quae persequi nihil attinet. Quod summum est, varietatem numerorum et varietatem poematum premi, id cadit in Ennii saturam quam cognitam habemus. Neque credibile est Ennium numeros temere miscuisse, sed cum singulae saturae sive singuli saturarum libri, quod Diomedes indicat, compluribus poematibus constarent, numerorum varietatem ad varietatem poematum rexisse. Numerorum varietas quae esset supra vidimus, in quibus quod praeter trimetros et tetrametros hexametri non desunt, idcirco dignum est quod

*) Reminiscendum est de discrimine *poesis* et *poematis* quid Lucilius (p. XXVII) et Varro (p. XXX) docuerint.

attendatur quia a variis metris Lucilius quoque simili non compari modo exorsus denique in hexametrorum usu in parte saturarum posteriore se continuit. Unde poetae posteriores Horatius Persius Iuvenalis nisi herois versibus in saturis non usi sunt. Unus M. Varro in saturis Menippeis cum Ennianam numerorum varietatem referret versibus pedestrem orationem sive mavis pedestrem orationem versibus miscuit et distinxit: cuius rei auctor est Quintilianus x 1, 93 *satura quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius . . . eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. multum eo est tersior ac purus magis Horatius et nisi labor eius amore praecipuus. multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit . . . alterum illud etiam prius saturae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro vir Romanorum eruditissimus.* Nimirum altero illo etiam priore saturae genere Ennianam haud dubie saturam significat, cui cum ceteroquin persimilis esset Varroniana, eo distabat quod et solutam simul et variis carminibus vinctam orationem repraesentabat. Sed doctior haec Varroniana et magis multiplici forsitan argumento quam Enniana fuerit: aequalium cavillationi acriorique morum censurae neutram insignius deditam fuisse existimarim. In qua re principatum obtinet Lucilius, unde poetae qui postea in hoc genere claruerunt colorem ac normam materiae receperunt. Quibus cum ille uti dixi etiam hexametrorum usum praeivisset, inde non iniuria Horatius (sat. I 10, 48) eius saturae quam et ipse coluit et Persius ac Iuvenalis inventorem Lucilium appellavit, cuius tamen poesim falluntur si qui genere ac natura ab Ennii satura distare arbitrentur: immo omnes qui in his carminibus elaborarunt poetae Romani ab Ennio ad Iuvenalem poesim sua natura unam, ingenio autem poetarum variatam prae se ferunt. Qua re Horatius (sat. I 10, 66) cum Graecis intacti carminis auctorem laudet Ennium (Ennium enim ibi nec, quod post alios C. F. Hermannus narrabat, Lucilium dici propius verba poetae intuitus concedet*)), nec secum ipse pugnat, qui eiusdem saturae inventorem Lucilium dixerit, nec a rei veritate abhorret.

V a r i o r u m nomine complexus sum quae restant scripta Enniana, brevitatis causa, ut haberem communem qua ea comprehenderem significationem: nam ea inter se nihil habent communionis et incredibile est, quod fuit qui cogitaret, has omnes fuisse saturarum partes. Immo haec omnia, ut a grammaticis et posterioribus scriptoribus singula afferuntur, probabile est per se esse suis temporibus a poeta in lucem edita. Quorum primum posui librum qui S c i p i o inscribitur, ut Gellius loquitur, qui quod et *Ennium in saturis* laudat et *Ennium in*

*) Non concesserunt sed semper nova incredibili incredibiliora invenerunt ne Ennium significare Horatius videretur: quos ego miror non attendere verba *quamque poetarum seniorum turba*, quae sibi praemitti poetam superioris aetatis poscunt.

libro qui Scipio inscribitur (cf. p. LXXXVI), documento est eum hunc non in saturis legisse. Ex quo libro quae citantur, duo quidem ad Scipionis res in Africa gestas referenda sunt. Quorum his quattuor quadratis perpulchris *mundus caeli vastus constitit silentio* eqs (VI) olim intellexerunt Scipionis in Africam navigationem depingi collato Livio XXVIII 17, 12 (ad a. u. 548) *Scipio . . ipse cum C. Laelio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus tranquillo mari plurimum remis interdum et leni adiuvante vento in Africam traiecit.* Versus alter *quaque propter Hannibalis copias considerat* (VII) scite relatus est ad ea quae Appianus in Libycis c. 39 vol. I p. 224, 22 M. tradidit ὃ μὲν δὴ πέμψας ἔλυσε τὰς ἀνοχὰς καὶ Σκιπίων Πάρθον τε μεγάλην πόλιν αὐτίκα προσπεσὼν εἷλε καὶ π λ η σ ί ο ν Ἀ ν ν ί β ο υ μ ε τ ε σ τ ρ α τ ο π έ δ ε υ ε ν. Cf. C. Lehmannus *Der letzte Feldzug des Hannibalischen Krieges* (1894) p. 569, qui quantum Ennio in harum rerum memoria tribueret iam supra p. CXCII n. laudavi. Tertius sic affertur a Macrobio *tum ferreus hastis horret ager* (Aen. XI 601). *horret mire se habet, sed et Ennius in quarto decimo* [VII] *et in Erechtheo* [IV] *et in Scipione* [VIII] '*sparsis hastis longis campus splendet et horret.*' Quem versum suo loco dixi eundem esse cum eo quem Servius tradidit a Lucilio irrideri, qui dixerit Ennium *horret et alget* scribere debuisse. Quo certius est, quod iniuria addubitabatur, hunc versum hexametrum esse finitum verbis *splendet et horret.* Cui nusquam in describendo proelio locus esse non potuit: quare referatur ad res Scipionis in Africa gestas, licet ei certiorem in his rebus sedem assignare non possis.

Duo igitur fragmenta tetrametris conclusa, unum hexametrum ex hoc libro afferri videmus. Nec tamen in his quae certa sunt subsistendum esse ratus sum. Cum enim Ennius teste Cicerone Scipionem hunc in modum patriam appellantem inducat *desine Roma tuos hostis; nam tibi munimenta mei peperere labores; testes sunt Campi Magni* (V), quos testes advocat *Campos Magnos,* de quibus vide quae adnotavi et Lehmannum l. c. p. 540, indicio sunt haec quae gloriatur a memoria rerum in Africa gestarum non nimis magno intervallo fuisse discreta. Ab his autem quae Cicero, ut solebat, imperfecta sententia nullo libri indicio affert *testes sunt Campi Magni* diversa sunt quae *ex saturarum lib. III* a Nonio citantur (III) *testes sunt lati campi quos gerit Africa terra politos,* quorum sententiam et usum suo loco explicavi. In ea re olim erravi quod quia specie quadam similitudinis deceptus haec duo testimonia ut alii ante me pro uno habebam hoc carmen singulare de laudibus Scipionis Africani compositum (neque enim natura me carminis fefellit) in saturarum tertio locum habuisse conieci. Quodsi haec appellatio Romae urbis et memoria rerum gestarum recte huic carmini adscribitur, facilius opinor concedetur eidem reliqua quae in hoc libro collocavi iure vindicari, IV *vel tu dictator* eqs, quam rem ex Livii verbis ad II allatis intelligitur ad superiora tempora pertinuisse, III *Scipio invicte,* quod vix credas in annalibus posi-

tum fuisse longe post Scipionis obitum coeptis; denique II *quantam statuam faciet populus Romanus* eqs, quod simile est exordium ei a quo Horatius haud dispari occasione c. IV 14 exorsus est *Quae cura patrum quaeve Quiritium plenis honorum muneribus* eqs. Postremo quod Ennius Aeliano teste apud Suidam (I) fassus est Scipionem qui caneret non dignum esse nisi Homerum paene ipsis verbis testimonii proditur ad hoc carmen Scipionis laudi dicatum pertinuisse, neque alibi aptius locum nancisci potuit. Atque hoc igitur carmen est, quod non longo interiecto tempore post reditum Africani ex Africa scriptum, ut alibi dixi, Horatio in mente fuit cum (c. IV 8) *Pierides Calabras* diceret *laudes eius qui domita nomen ab Africa lucratus rediisset clarissime indicasse.*

Scipionem epigrammata excipiunt quattuor, uni Ciceroni quae accepta feruntur (cf. p. LIII), tria singulis distichis, quartum duobus composita, quorum duo priora ipsum Ennium, posteriora duo Scipionem Africanum praedicant, ita quidem ut primum et tertium, quae verissima est epigrammatis natura, aut inscripta fuerint alicubi aut inscribi potuerint. Sic Ennius primo imagini suae quod inscriberetur proposuit; idem altero sibi mortuo quae fieri nollet aeternitatis securus praecepit. De Scipione alterum sepulcrale est h. e. sepulcro Scipionis quod inscriptum aut inscribendum fuerit; alterum, quo poeta Africanum ipsum sua merita extollentem facit, in sententia non multum distat ab illo, ut si recte mentem assequor et ipsum in sepulcro locum habere potuerit. Certe Scipioni hoc inserere velle ineptum erat. Haec unica fuisse epigrammata aut haec cum aliis continentem librum epigrammatum Ennii exstitisse quis hoc aut negabit aut affirmabit.

Sotam Ennium scripsisse Fronto testis est qui scribit *Sota Ennianus,* idemque Varronis Festique consensu evincitur; nam olim fuerunt qui aliter censerent. Sota autem quid esset, O. Muellerus docuit qui ad Festum p. 413 b 2 adnotavit: 'Sota Graece est *Σωτᾶς*, nota hypocoristici forma pro pleniori *Σωτάδης* positum, ut *Ἀλεξᾶς* pro *Ἀλέξανδρος* et multa ad eundem modum formata.' Et hoc igitur nomen clarissimi poetae Ennius poemati suo inscripsit quo Sotadis carmen aliquod Graecum Latine redderet, hoc ad eum modum quem O. Crusius tetigit philol. LVII (1898) p. 645. Versus qui exstant Sotadeum numerum habent omnes sed de argumento carminis nihil produnt, nisi quod ex III et IV coniunctis colligitur varia vitae genera et studia considerata fuisse.

Προτρεπτικός (nam sic opinor scribendum fuit) et Praecepta si sunt quod videntur duo tituli unius libri, quorum uterque semel omnino citatur, credibile fit Ennium hic quoque Graecum exemplum Latine expressum extulisse, et *Προτρεπτικός* non rara fuit in Graecis litteris inscriptio, velut nemo ignorat Aristotelis *Προτρεπτικόν*, ad cuius exemplum Cicero Hortensium scripsisse traditur.

Hedyphagetica verum esse huius carminis indicem codex Flo-

rentinus Apuleii persuadet, pro quo olim *Phagetica, Phagesia, Hedypathica, Hedypathetica,* alia ferebant; sed fortasse rectius dixeris Apuleium ita scripsisse fide eius codicis probari; nam hanc Ennium carmini inscriptionem fecisse haud scio an addubitare liceat propter Apuleii verba, qui cum ita scribat *Q. Ennius hedyphagetica versibus scripsit* argumentum quoddam significare, non afferre indicem videtur: neque enim totum carmen, quod ampliora complecti poterat, sed partem tantum adhibet, eam quae piscibus est dicata, et ne eam quidem integram. Itaque hoc incertum est, res ab Ennio tractatae quem ambitum habuerint et quam inscriptionem carmen. In iis versibus quos Apuleius meminerat sunt quaedam quae Ennium se ad Archestrati exemplum composuisse patefaciunt, olim a me hoc loco allata, nunc ad versus ipsos adscripta. De Archestrato Gelensi, cuius carmen teste Athenaeo variis nominibus, *ἡδυπάθεια, γαστρονομία, δειπνολογία, ὀψοποιία* ferebatur, post Woldemarum Ribbeckium (1856—1877) Paulus Brandtus egit in *poesis epicae Graecae ludibundae* fasc. I a p. 114 addita Archestrati versuum superstitum recognitione a. 1888.

Restant duo libri Enniani, de quibus brevissime expromere sententiam placet. Epicharmus (nam is est alter eorum librorum) iam dubitari nequit quin uno metro trochaico perscriptus fuerit, cum et omnes qui citantur ex Epicharmo versus hunc numerum prodant et eos quos olim hic circumferebant hexametros nobis persuaserimus ex annalium exordio desumptos esse. De qua re, ut olim, ita nunc, et bis quidem disserui, p. XXXVII sq. cum Varronis, ad quem pleraque Epicharmi redeunt, de Epicharmo testimonia disceptavi et p. CXLVII sq. ubi quae in annalium principio Homero tradente exposita fuerint Lucretio duce persecutus sum. Sed his remotis eo difficilius est de ingenio carminis deque ea ratione quae Ennium inter et Epicharmum intercesserit iudicare. Nam quod Ennium sive dispersa in Epicharmi comoediis philosophe dicta compilasse sive ab aliis institutam Epicharmearum sententiarum collectionem adhibuisse sive denique singularem Epicharmi *περὶ φύσεως* librum convertisse arbitrati sunt, eorum nihil est quod aliquo reliquiarum assensu comprobetur. Hoc tertium quod posueram unice verum esse U. de Wilamowitz-Moellendorff affirmavit in Eurip. Hercul. ed. I vol. I (1889) p. 29 sq., qui exstare docet Graeca quae Ennius Latine verterit sive Epicharmi nomine tradita sive apud Euripidem qui sententias Epicharmeas imitatus sit. Eumque secutus G. Kaibelius in commoed. Graec. fragm. vol. I (1899) p. 133 sqq. illa Epicharmi fragmenta Graeca insertis Ennianis recensuit. Qui duo viri docti in eo quoque consentiunt quod librum Epicharmeum (*περὶ φύσεως*), quem Euripides cognitum habuerit quemque eundem suo tempore Ennius secutus sit, non verum fuisse Epicharmeum opus existimant sed quod Epicharmi nomen ementitum sit. De Euripide quidem et Pseudepicharmeis ab illis discedunt cum H. Dielsius (fol. Sibyll. p. 34) tum E. Rohdius (psych. p. 551 n). Sed haec

controversia, de qua Susemihlius quoque nonnulla effutivit (philol. LIII 1894 p. 564 sqq.), nostram causam non attingit ita. Graeca Epicharmi sive veri sive falsi quae cum Ennianis conferrentur iam Hauptius attulit eaque in adnot. memoravi. Sed neque haec nec quae similia a Wilamowitzio Kaibelioque adiecta sunt fateor omni ex parte mihi probari. Haec igitur paucis disceptanda sunt. Ad III *aqua terra anima et sol* praeter ea quae in adn. adscripsi memorari poterant quae Vitruvius VIII prooem. 1 refert . . . *Empedocles Epicharmus aliique physici . . haec principia esse quattuor proposuerunt, aerem ignem terram aquam* eqs, quo confidentius licet illa quae Ennii esse constat ad Epicharmum Ennii referre. Sed quod cum his verbis Ennii conferri iubent versus Menandreos (ad 58 adscr.) ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει ἀνέμους ὕδωρ γῆν ἥλιον πῦρ ἀστέρας, vereor ut satis apte instituatur et Hauptius haec ad VII referri maluit

Istic est is Iupiter quem dico, quem Graeci vocant
Aerem, qui ventus est et nubes, imber postea,
Atque ex imbre frigus, ventus post fit, aer denuo

eqs. Cum his autem versibus Ennianis rursus Kaibelius cum Wilamowitzio versus Euripideos (941 Nck.)

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν

contendit, sed mihi probabilius visum est ad hos tres versus quos Cicero Latine convertit versum Ennii qui est in Thyeste V

Aspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iovem

compositum esse. Ad quem vide adnotata. (Cf. Eurip. fragm. 225 Nauck.)

Quae Epich. IV composui

Terris gentis omnis peperit et resumit denuo
dat cibaria
quod gerit fruges, Ceres

ex Ennio, non ex Epicharmo Ennii allata, sed ad Epicharmum recte relata, ad ea apud Kaibelium 241 ex Euripidis Bacch. 276 adscripta sunt Δημήτηρ θεά· γῆ δ' ἐστίν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλῃ κάλει. αὕτη μὲν ἐν ξηροῖσιν ἐκτρέφει βροτούς κτλ. Sed ea ubi suo loco et plenius perspexeris, haud scio an fateare nihil communionis habere cum Ennianis. Sunt autem haec verba Tiresiae de Baccho

οὗτος δ' ὁ δαίμων ὁ νέος, ὃν σὺ διαγελᾷς,
οὐκ ἂν δυναίμην μέγεθος ἐξειπεῖν ὅσος
καθ' Ἑλλάδ' ἔσται. δύο γάρ, ὦ νεανία,
τὰ πρῶτ' ἐν ἀνθρώποισι· Δημήτηρ θεά·
γῆ δ' ἐστίν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλῃ κάλει·
αὕτη μὲν ἐν ξηροῖσιν ἐκτρέφει βροτούς·
ὃ δ' ἦλθεν ἐπὶ τἀντίπαλον, ὁ Σεμέλης γόνος·
βότρυος ὑγρὸν πῶμ' εὗρε κεἰσηνέγκατο
θνητοῖς κτλ.

Porro ex Plutarchi consol. Apoll. quae afferuntur (245 Kaib.) *καλῶς οὖν ὁ Ἐπίχαρμός φησι*

συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθεν πάλιν,
γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω· τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδὲ ἕν

quorum Euripidem memorem fuisse volunt cum scribit Suppl. 531

ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς,
ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν, πνεῦμα μὲν πρὸ ςαἰθέρα,
τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν,

(quae sunt qui ab Euripide abiudicent), ea iam Hauptius eadem esse statuit cum Ennianis de Epicharmo allatis v (vid. adn.) *terra corpus est, at mentis ignis est* et quae sub vi sequuntur idemque est Kaibelii iudicium. Sed certe quod summum est in Graecis, quod verbis continetur *ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθεν πάλιν*, abest ab Ennianis, et illorum sententia ex altera quidem parte quod ad corpus attinet potius in Epich. iv agnoscatur *terris gentis omnis peperit et resumit denuo,* cui consimilia sunt ann. 13sq. *terra corpus quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum.**)

Itaque apparet non multa esse in reliquiis Epicharmeis quae ad explicandum Ennii carmen adhibeantur, sed tamen quod satis sit ut intelligatur Ennium in Epicharmo sua ex Graecis Epicharmi expressisse, sive is verus fuit Epicharmus sive falsus, quod non dirimo. Ennii ann. 10sqq. quid similitudinis habeant cum sententia Epicharmea de comoedia supra p. cxlviii significavi. Epicharmum autem inscripsit Ennius carmini quo eius poetae librum expressit eo sensu quo Euhemerum et Sotam inscripsit, de quo usu O. Crusius l. p. ccxvii s.**) Nisi quod quia Varro semel et iterum *Epicharmus dicit* vel *Epicharmus Ennii dicit* citavit (cf. p. xxxviii) hoc teneo quod olim proposueram Epicharmum ipsum in hoc carmine loquentem suasque sententias expromentem induci, forsitan ita ut somnianti Ennio (i) obviam factum fingatur quemadmodum in annalibus Homerum, et Epicharmum habere cui tradat v. 57 *quae dico tibi* documento est.

Restat alterum et extremum opus, cui Ennius Euhemerum inscripsit ex eo more quem ad Sotam et Epicharmum tetigi libro nomen eius scriptoris praefigens quem potissimum secutus est. De quo libro quae olim exposui, quamquam habent quae nunc minus probanda

---

*) De horum origine ut recte iudicetur non inutiliter conferentur etiam Pacuviana 93 R. *mater est terra; ea parit corpus, animam aether adiugat;* et 90 (ut videtur de aethere) *quidquid est hoc, omnia animat format alit auget creat sepelit recipitque in sese omnia.*

**) Quem non probo quod verba *animus cernit, animus audit, reliqua surda et caeca sunt,* quibus apud Tertullianum Epicharmi qui dicitur versus *νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει· τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά* (249 Kaib.) translatus legitur, Epicharmo Ennii adscripsit adstipulatus Baehrensio, qui et his et aliis Epicharmi Enniani reliquias locupletavit ea levitate quae regnat in his fragmentis poetarum Romanorum.

videantur, tamen universe adhuc obtineo: quare ea nunc suppleta et hic illic aliter ordinata referam. Igitur Cicero de Euhemero et eius comite Ennio haec scribit (quae ad Euhem. p. 223 adscripsi), esse qui tradant fortes aut claros aut potentes viros post mortem ad deos pervenisse eosque esse ipsos quos nos colere soleamus; *quae ratio* addit *maxime tractata ab Euhemero est, quem noster et interpretatus est et secutus praeter ceteros Ennius, ab Euhemero autem et mortes et sepulturae demonstrantur deorum.* In quibus hoc inest, istam rationem non solum Euhemerum sed maxime tractasse et Ennium non unum Euhemerum sed hunc praeter ceteros secutum esse. Unde patet Enniana non esse ad unam normam reliquiarum Euhemeri referenda. In eandem cum Cicerone sententiam Lactantius (ad Euh. VII) paene iisdem verbis de utroque iudicavit, qui primum de Euhemero haec affert *veteres historiae docent. antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Messene, res gestas Iovis et ceterorum qui dii putantur collegit historiamque contexuit ex titulis et inscriptionibus* eqs, dein subiicit *hanc historiam et interpretatus est Ennius et secutus;* poterantque alii afferri qui idem de Ennio Euhemeri sectatore plerumque non seorsum a Cicerone testati sunt, in quibus Augustinus, de quo vide relat. acad. 1899 p. 277. 279. Apertius etiam Varro (Euh. XIII) dicit cum citat *Ennium in Euhemeri libris versis,* unde fortasse licet colligere Euhemeri Enniani non unum librum fuisse sed plures. Sed Ennius non solum Euhemeri nomen suo libro inscripsit sed addidit qua ille usus erat libri inscriptionem *sacra historia,* ut plenus titulus hic fuisse videatur

EUHEMERUS

SACRA HISTORIA,

quo fere genere Varro (in logistoricis) aliique usi sunt. Sacra autem historia quid vocetur A. Riesius disceptat mus. Rhen. XVIII (1863) p. 448. Itaque Lactantius cui paene soli quae exstant ex eo libro accepta feruntur modo citat *Ennius in Euhemero dicit* (I), aut *dicit Euhemerus* (II) vel *ut Euhemerus* (X), si quidem hoc quoque loco Ennii Euhemerum intelligit; saepius *Ennius in sacra historia* (XI); *in sacra historia sic Ennius tradit* (VI), vel sine Ennii nomine *scriptum in historia sacra* (IX); *sacra vero historia . . testatur* (VI); *docet eadem historia quae dicit* (VIII); *historia sacra testatur* (X); *in historia sacra continetur* (XII); vel *ex sacra scriptione traditum est* (III 82). Loquitur autem Lactantius ita ut ipsa verba Ennii aut sacrae historiae afferre videatur, velut (III. IV) *haec Enni verba sunt;* VII *Ennius, cuius haec verba sunt.* Quaeque laudat ut pedestria sunt ita poetarum fabulis opponit, ut appareat ipsum nescivisse nec cogitasse Ennium poetam hanc sacram historiam unquam versibus conscripsisse: (III. IV) *aperiamus ea quae veris litteris continentur, ne poetarum ineptias in accusandis religionibus sequi ac probare videamur: haec Enni verba sunt*; (XI) *hoc certe non poetae tradunt sed antiquarum rerum scriptores.* Sic Augustinus quoque de cons. evang. I c. 23, 32; cf. l. s. s. Varro quid

senserit cum *Ennium in Euhemeri libris versis* citaverit ambiguum est, sed certe carmen et versus non indicavit. Quod vero olim cum plerisque fidem habui Columellae verbis (IX 2) qui *Euhemerum poetam**) dicat cum Ennium intelligere videatur, id testimonium haud scio an O. Crusius everterit (mus. Rhen. XLVII 1892 p. 63 sq.), qui Columellae disputatione excussa probat illa verba non Columellae esse sed esse Hygini cuius ille sententias afferat, Hyginum autem non Ennii Euhemerum sed una cum Euphorione et Nicandro poetis Graecis Euhemerum Graecum sive Messenium sive Tegeatem appellasse; quem quidem quo consilio aut quo errore *poetam* dixerit nec apertum est neque a Crusio satis explicatum. Sed hoc utut est, ex hoc testimonio ut opinor nihil quod ad Ennium pertineat concludi potest et hoc a reliquiis Ennianis removi. Id vero quod olim statui versum Ennii a Nonio nullo libri indicio citatum *cum suo obsidio magnus titanum premebat* ab Euhemero alienum in annalibus utpote hexametrum collocandum fuisse (I fr. XXII) adhuc obtineo neque me ab ea sententia deturbavit Geyza Némethy, qui a. 1889 Euhemeri reliquiis Graecis una cum Ennianis diligenter collectis et explicatis hanc sententiam defendit versum istum propter similitudinem quandam cum verbis Euhemeri (IV), quae quidem similitudo ex parte ipsius demum emendatione parta est, a Nonio ex Euhemero citari et hoc certissimo testimonio evinci Ennii Euhemerum versibus hexametris compositum esse. Ego vero supra p. XCIII (cf. XCII) demonstrare studui, quam non credibile esset Nonium hunc versum ex Euhemero prompsisse, contra idem quam apte locum in annalibus nancisceretur p. CLI sq. argumento exposito satis opinor probavi, ut iam nihil sit quod illis addam. Atqui si hexametri non sunt quibus Ennius hunc librum composuit, non iam consequitur nullos versus fuisse et hanc verissimam esse Ennii orationem pedestrem. Ac reliquias ipsas crediderunt hoc prodere se quae nunc pedestres essent aliquando versibus conclusas fuisse: atque H. Ilbergius sibi persuasit quae Lactantius ex Euhemero afferret non ita difficile tetrametrorum numerum recipere, eundem quem Ennius Epicharmo et apologo Aesopico adhibuerat. Cuius inventi exempla quaedam olim proposui, quibus motus B. ten Brinkius, quemadmodum apologum Aesopi, ita paene quidquid Euhemeri exstat apud Lactantium et apud Columellam suis metris reddere conatus est. Verum est in his versibus utriusque esse qui severius iudicanti aegre placere possunt et plerosque iis modis mutandi partos esse qui parum faciant ad probabilitatem, et tamen nimis saepe ne orationis quidem formae satisfactum est. Nimirum peccant viri docti idem quod in

---

*) Ex Ottonis Sieroka libello *de Euhemero* (Regimonti 1869), qui multa probabiliter de Euhemero et Ennii Euhemero exposuit et imprimis Krahneri pravam de reliquiarum Ennianarum origine opinionem probe refutavit, hoc quoque didici (p. 23) fuisse qui non *Euhemerum poetam* apud Columellam sed *Euenum poetam* scribendum esse coniiceret.

apologo restituendo tam Ribbeckius quam ten Brinkius peccarunt: integros versus reparare cupiunt ita rati in ea re nullam non libertatem sibi concessam. Ego sic arbitrabar apologum quoniam Gellius testatur quadratis scriptum fuisse, quorum duo affert ipse, posse fieri ut in narratione Gellii quamvis soluta numeris residua essent vestigia quaedam metrorum quae aliquando fuissent, et haec paucis sed certis indiciis patefacere studui. Non aliter in Euhemero, in quo licet nihil nos testimonii adiuvaret (nam Columellam removimus nec Varronis fides est), tamen, quoniam nec mihi nec aliis credibile visum est hanc pristinam esse Ennii quam Lactantius tradat orationem, licebat quaerere ecquanam forte numerosa essent in his reliquiis, quibus quid passa esset haec memoria patefieret. Hoc institui, et iam vide mihi quae nulla adhibita mutatione ex his sententiis prodierint.

60 *prímus in terris imperium súmmum Caelus (habuit)*
72 *túm Saturno fílius qui prímus natus est eum*

Cf. scen. 44.

117 *réges principésve populorum hospitio sibi —*
132 *ómnibusque amicis atque cognatis suis —*

Non hos versus esse aio Ennii sed numerum in his verbis etiam nunc agnosci: et haec quattuor exempla si quis conferre voluerit cum ten Brinkii versibus multa machina paratis intelliget, quid sit quod dixi doctos falli quod versus integros et continuos restituere instant. Sed est aliud genus in promptu. Fr. IV sunt quattuor στίχοι, in quibus nullus est versus integer, nam ne primus quidem

83 *deínde Titan postquam rescivit Saturno filios*

poterat ita scribi a poeta, sed sunt particulae versuum,

84 *sedúcit secum filios*
86 *eosque muro circumegit et custodiam,*

quae fidem faciunt non temere in his agnosci numeros. Ut mittam

99 *deínde Pan eum deducit in (montem),*

fr. VII ab aliis in duos quadratos violenter coactum non vacat numeris, quod omissis aliis vel haec probant

108 *et quaé secundum mare loca essent omnibus.*

Item ex VIII elicias

109 *ea témpestate Iuppiter*
in monte Olympo maximam
110 *ád eum in ius veniébant si quae res in controversia*

et ex IX

113 *humanam carnem solitos esitare*
115 *edicto prohibuisse ne liceret eo cibo v.*

Ex X afferam

119 *amicitiae ac foéderis memoria conservari,*

ut simul dicam ibi plura esse quae minima mutatione ad suos revocari numeros videantur. Cf. 129. 131. Neque omittam ex XI praeter id quod supra attuli

137 *curáverunt decoraveruntque eum.*

Offendimus autem tantum iambicos trochaicosque numeros, nullos dactylicos: quo minus probabile est hunc librum hexametris compositum fuisse. Itaque sic rationem concludo Euhemerum Ennii tetrametris scriptum fuisse, sed nescio a quo aut quo tempore solutis numeris in pedestrem sermonem conversum hac forma divulgatum esse ita ut altera plane periret. Quo factum est ut Lactantius hunc librum nisi prosa oratione cognitum non haberet. Sed is qui hoc instituit, plane ad exemplum Gellii fabulam Ennianam narrantis, ut quaedam numerosa maxime collocatione verborum commendante reliquit, ita prisci sermonis et quae Ennio digna sunt vestigia multa servavit: quod genus, de quo olim nonnulla memoravi, pluribus persecutus est Némethy l. c. Ego haec memorabam fr. VI *montem qui vocatur Caeli stela,* quando hunc poetam constat non infrequenter suam orationem Graecis vocibus distinxisse, qualia sunt *termo* ann. 479. 480; *agea* ann. 492; *spira* ann. 510; *aethra* ann. 435; *lychnus* ann. 323, alia. Atque illa familiaris est Ennio quam p. CXLVI sq. tetigi consuetudo explicandi Latine si quid insolentius aut Graece protulerit: ut *musas quas memorant, nosce nos esse Camenas* ann. 2; *sophiam sapientia quae perhibetur* ann. 218; *vento quem perhibent Graium genus aera lingua* ann. 148; *Ennius dicit Nilum Melonem vocari, Atlantem vero Telamonem* ann. I fr. XXIII. Quibus similia ex Euhemero sunt *Pluto Latine est Dis pater, alii Orcum vocant* Euh. 78; *in eo loco suspexit in caelum quod nunc nos nominamus . . idque Iuppiter quod aether vocatur placans primus caelum nominavit* Euh. 102 sqq.; *Ζὰν Κρόνου id est Latine Iuppiter Saturni* Euh. 140. Quin etiam παρήχησις in his *Curetes filii sui curaverunt* Euh. 137 mihi visa est speciem quandam Ennianam habere. Quibus fortasse non indigna sunt quae nunc addantur *diligeret augeret ornaret* Euh. 129; *exim* Euh. 64 cf. ann. 44, 231; *clanculum* Euh. 76; *solitos esitare* 114, in quo tam *esitare* priscum verbum quam *solitos* est quod attendatur, de quo vide sat. 70; *aetate pessum acta* 136; et quod non solum dicitur *ibique in eo monte* 100 sed etiam *deinde posterius* 73 et *post haec deinde* 91, quae conferas cum ann. 11 *et post inde venit,* pro quo non recte P. Canal *indu* scribi voluit, cf. Servius in georg. III 300 *'post hinc' cum hoc feceris. et 'post hinc' unum vacat, sicut 'primus ibi ante omnes'* (Aen. II 40). Denique *edicto prohibuisse ne liceret eo cibo vesci* 115, quod est ex eo genere, de quo alibi pluribus verbis egi, quo dicitur *ut complere liceat permittitur*; *vagari ut liceat conceditur*; *permissum est ut liceat.* Sunt etiam alia quae priscum sermonem videntur testari, velut 74 *dedere,* quamquam 137 *curaverunt decoraveruntque*; sic Ennius *scripsere,* sed idem *patefecerunt Bruges*; cf. p. XLIII; porro nimis frequentatum *atque* et cumulatum *uti* pro *ut* (66. 68. 70. 71) habent nisi fallor robiginem antiquitatis.

ANNALIUM LIB. I

I

1 Musae quae pedibus magnum pulsatis Olympum — EXORDIUM I—XII

II

2 Musa*s* quas memorant, nosce nos esse *Camenas*

III

3 Nam latos populos res atque poemata nostra
4 cluebant

LIB. I I (1) Varro rer. rust. I 1, 4 'quoniam ut aiunt dei facientes adiuvant, prius invocabo eos nec ut Homerus et Ennius Musas sed duodecim deos consentis.' Idem de l. L. VII 19 'Ennii [scen. 150] . . . [20] «Musae q. pedibus *magnum* pulsatis Olimpum». caelum dicunt Graeci Olimpum, montem in Macedonia omnes: a quo potius puto Musas dictas Olimpiadas.' Servius in Aen. XI 660 'pulsant: Ennius ad Musas (ennius musae Carolir. Sang.) «quae *pedibus* (pedibus om. eidem) *pulsatis* Olympum (olypu Carolir. olimpi Regin. olipi Hamb.)».'

II (2) Varro de l. L. VII 25 'cornua a curvore dicta, quod pleraque curva*m; Ac* quas (curva.[26] «Musas quas Scaliger) memorant nosce nos ee camenarum priscum vocabulum ita natum ac scriptum est alibi. Carmenae ab eadem origine sunt declinatae.' Ennio Scaliger tribuit, cum superiore coniunxit Merula.

III (3) Inc. de ult. syll. G. L. K. IV p. 231, 16 'neutro genere in casi-

---

2 *Sententiam talem fuisse suspicor* Grai Musas quas memorant nosce (*sive* noscet, nosces) nos esse Camenas Dicere. *Et* Grai *sic positum Lucretius vindicabit* II 629 Curetas nomine Grai quos memorant Phrygios; esse Camenas dicere *h. e.* appellare: *Cicero (de nat. deor.* II 41, 105) *in Arateis* ex his altera apud Graios Cynosura vocatur, altera dicitur esse Helice, *quae Graece dicuntur v.* 36 *καὶ τὴν μὲν Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι, τὴν δ' ἑτέρην Ἑλίκην; similia alibi;* nosce, *quod verbum ipsum egregie ponitur* (ex factis nosce rem *Plautus,* quam varia sint genera poematorum nosce *Accius*) *utrum ferri possit an* nosces *sive* noscet *reponi oporteat, quorum utrumque orationis ambitui nullo negotio accommodari poterat, in medio relinquo. Ex aliis aliorum commentis affero I. Maehlyi coniecturam* 'M. q. m. nos noscimus esse Camenas.' harum pr. 4 cluebant *ambigo ad hoc exemplum pertinere*

IV

5 somno leni placidoque revinctus

V

6 visus Homerus adesse poeta

bus supra dictis (nom. acc. voc.) sine ambiguitate brevis est (syllaba finalis) Graecis Latinisque nominibus: per nominativum ut (Verg. ecl. 8, 69) «carmina vel caelo p.», per accusativum ut (Aen. VIII 220) «arma manu», per vocativum (Aen. II 241) «o patria, o divum domus (Ilium et incluta bello moenia Dardanidum»: haec enim addenda sunt ut ratio constet); Graeci etiam nominis exempla subiiciamus: Ennius in primo «nam . . . nostra cluebant» et in Vergilio (Aen. XII 518) «Arcada piscosae cui circum flumina Lernae».' Cf. Lucretii I 119 ad V adscriptum.

IV (5) M. Caesar ad Frontonem I 4 p. 11 Nab. 'transeo nunc ad Q. Ennium nostrum, quem tu ais ex somno et somnio initium sibi fecisse. sed profecto nisi ex somno suscitatus esset, numquam somnium suum narrasset.' Fronto ad M. Caesarem I 5 p. 12 Nab. 'ecce autem circa Ennium aliam malitiosam peltam dedisti, cum ais, nisi ex somno exsuscitatus esset, numquam somnium suum narrasset.' Idem ad eund. IV 12 p. 74 Nab. 'si quando te «somno leni» ut poeta ait «placidoque revinctus» video in somnis, numquam est quin amplectar et exosculer . . . . hoc unum ex annalibus sumptum amoris mei argumentum poeticum et sane somniculosum.'

V (6) Cicero Lucull. 16, 51 'num censes Ennium cum in hortis cum Servio Galba vicino suo ambulavisset dixisse «visus sum mihi cum Galba ambulare»? at cum somniavit, ita narravit «visus . . . poeta». idemque in Epicharmo [I].' Idem ibid. 27, 88 'dormientium et vinulentorum et furiosorum visa inbecilliora esse dicebas quam vigilantium siccorum sanorum. quo modo? quia cum experrectus esset Ennius non diceret se vidisse Homerum, sed visum esse.' Idem de re p. VI 10,10 'fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui.'

Fronto de eloq. p. 146 Nab. 'magistra Homeri Calliopa, magister Enni Homerus et Somnus.' Lucretius I 112 'ignoratur enim quae sit natura animai . . . [116] an pecudes alias divinitus insinuet se, Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno detulit ex Helicone perenni fronde coronam, per gentes Italas hominum quae clara clueret; etsi praeterea tamen esse Acherusia templa Ennius aeternis exponit versibus edens, quo neque permanent animae neque corpora nostra, sed quaedam simulacra modis pallentia miris; unde sibi exortam semper florentis Homeri commemorat speciem lacrimas effundere salsas coepisse et rerum naturam expandere dictis.'

---

dicam an ad alterum casu quod interciderit; Cluvebunt *Ianus Dousa* Clara cluebunt *Ilbergius* 6 in somnis mihi *add. Columna; conf. Verg. Aen.* II 270 in somnis ecce ante oculos maestissimus Hector visus adesse mihi largosque effundere fletus; *quorum et haec postrema ad Ennium redire Lucretii testimonium ad* V *allatum docet*

VI

7 Ei mihi qualis erat

VII

8 «O pietas animi

VIII

9 *Quae cava corpore* caeruleo *corti*na receptat

IX

10 Ova parire solet genus pennis condecoratum
Non animam: et post inde venit divinitus pullis
Ipsa anima

X

13 terra*que* corpus
Quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum

VI (7) Servius in Aen. II 274 'ei mihi (qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore): Ennii versus.' Ad quem tamen partem tantum versiculi redire apparet. Similiter Servius alibi; vide ad v. 199. 200 scen. 92.

VII (8) Cicero Lucull. 27, 88 'nisi vero Ennium non putamus ita totum illud audivisse «o pietas animi», si modo id somniavit, ut si vigilans audiret.' Donatus in Ter. eun. III 5, 12 'o festus dies (hominis): pro homo festi diei. [sic dicitur etiam scelus homo]. Ennius «o pietas animi».'

VIII (9) Varro de l. L. VII 48 'apud Ennium «*quęq; in corpore causa* ceruleo *fęlo orta nare ceptat*». cava cortina dicta, quod est inter terram et caelum ad similitudinem cortinae Apollinis; ea a corde, quod inde sortes primae existimatae.'

IX (10) Varro de l. L. V 57 'principes dei Caelum et Terra . . . [59] haec duo caelum et terra, quod anima et corpus. humidum et frigidum terra, sive «ova *parere solet* g. *pennis* c. n. animam», ut ait Ennius, «et post inde ... anima» sive, ut Zenon Citieus, animalium semen ignis is qui (isque Lachmannus) anima ac mens.' Diomedes I p. 383, 5 K. 'pario: cum ex hoc dicamus infinitivum parere tertio ordine, apud veteres parire dictum reperimus, ut apud Ennium «ova *parire solent*».' Priscianus VIII p. 401, 3 H. 'pario . . . apud vetustissimos quartae coniugationis declinationem habebat. Ennius «ova *parire solet* g. *pinnis* (pennis aliq. codd.) condecoratum».' Eadem fere idem X p. 500, 20 et 540, 7 H. Cf. Lucretius I 116 ad v adscr.

X (13) Varro de l. L. V 60 'recte igitur Pacuius quod ait (93 R.) «ani-

---

9 *Correxit praeeuntibus Turnebo et Scaligero O. Muellerus, et de* cava cortina *Varro ipse non sinit dubitare;* causa *pro* caua *scriptum est etiam v.* 440*; reliqua dittographia explicabit:* quęq; in *h. e.* quequem, *ut* quem *pro* que *bis legitur* VII 8 tectum quem *pro* tescumque*;* ceruleo fęlo *autem non aliter natum quam* VI 11 *pro* caeli *in libris scriptum est* caeli celi *vel* celi caeli 11 et post *Ennio continuavit Lachmannus ad Lucr.* I 117 13 terraque corpus *Bergkius*

XI

15 memini me fier*e* pavum

XII

16 «Lunai portum, est operae, cognoscite, cives.

mam aether adiugat» et Ennius «terram corpus quae *deperit ipsam capere* neque dispendi facere hilum».' Idem ibid. v 111 'ab eadem fartura farcimina extis appellata, a quo in eo quod tenuissimum intestinum fartum, hila ab hilo dicta illo (hila [ab hilo] dicta. Hilo Flor. m. pr. corr. Lachmannus coll. v 72) quod ait Ennius «neque dispendii facit hilum».' Idem ibid. IX 53 'qua re in hoc (caput) volunt (sic Lachmannus, vulgo tollunt) esse analogias? [54] sed nihilum (initium Flor., corr. Lachmannus aliique) vocabulum recto casu apparet in hoc «quae *dedit ira caput* neque dispendi facit hilum» quod valet nec dispendii facit quicquam.'

XI (15) Charisius I p. 98,4 K. 'pavos et pa(vo. pavus) Ennius «*meminit me fieri pavum*»; at Per(sius pavo).' versum Ennii scripsi sic ut est in cod. Neapol., cetera Keilium secutus. Donatus in Ter. Andr. II 5, 18 'memini videre pro vidisse. Ennius «*memini me* (me minime) *quam fieri pavum* (pavidum)».' Idem in ad. I 2, 26 'unde id fieret: fieret producta prima syllaba. Ennius «*memini me* (me minime vel minime) *fieri parvum* (ita Oxon. pravum corr. Vat. V)».' Donatum intelligitur fiere ut fieret legisse. Idem in Phorm. I 2, 24 'memini relinqui ...: et sic dixit «memini relinqui» ut in Andria «memini videri» et «*memini me fieri pavum* (ita Oxon. parvum alii)» Ennius.' Tertullianus de an. 33 I p. 357, 17 ed. Vind. 'pavum se meminit Homerus Ennio somniante.' Idem ibid. 34 p. 358, 20 'sed necessarie hanc quoque speciem intulimus et exclusimus ut superioribus cohaerentem, quo perinde in pavo retunderetur Homerus sicut in Pythagora Euphorbus.' Cf. eundem de resurr. 1 p. 379 B Rigalt. Horatius ep. II 1, 51 'Ennius ... leviter curare videtur quo promissa cadant et somnia Pythagorea': ad haec Porphyrio 'securus iam de proventu suae laudis est Ennius, propter quam ante sollicitus in principio annalium suorum somnio se scripsit admonitum quod secundum Pythagorae dogma anima Homeri in suum corpus venisset.' Persius prol. 2 'nec in bicipiti somniasse Parnaso memini, ut repente sic poeta prodirem.' schol. ad. h. l. 'tangit Ennium qui dixit se vidisse per somnium in Parnaso Homerum sibi dicentem quod eius anima in suo esset corpore.' Cf. Acro in Hor. carm. I 28, 10; ep. II 1, 52. Lactantius in Stat. Theb. III 484. Vide adnotata ad XII.

XII (16) Persius sat. 6, 9 '«Lunai (Luni Montep. 212 Vat.) portum (praetium Montep. 125), est operae, cognoscite (cognoscere idem), cives». cor iubet hoc Enni postquam destertuit esse Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo.' schol. ad v. 10 'hunc versum ad suum carmen de Ennii carminibus transtulit. merito ergo ait «cor iubet hoc Enni postquam destertuit». sic Ennius ait in annalium suorum principio, ubi dicit se vidisse in somnis Homerum dicentem fuisse quondam pavonem et ex eo translatam in se animam esse secundum Pythagorae philosophi definitionem.'

---

15 fiere *scripsimus et ego et Ilbergius coll. v.* 354

XIII

17 Cum veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo

AENEAS
XIII—XXVII

XIV

18 Doctusque Anchisesque Venus quem pulchra dearum
Fari donavit, divinum pectus habere

XV

20 *Tum* fac*e* vero quod tecum precibus pater orat

XIII (17) Priscianus III p. 97, 8 H. 'veterrimus quasi a veter positivo, quod Capri quoque approbat auctoritas et usus antiquissimorum. Ennius «cum veter (uter Paris. P) . . . Pelasgo (pelas[g]co Bern. phelargo Lugd.)».' Ars anon. Bern. Hagen. anecd. Helv. p. 81, 1 'vetus veteris veterrimus quasi a veter positivo. Ennius «cum . . . pelasco».' Aldhelmus epist. ad Acircium p. 310 Giles. 'antiquissimi non vetus sed veter, ut Ennius «cum . . . Pelasgo».'

XIV (18) Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 14, 2 Keil. 'cur ibi (Aen. VI 724) Anchisen facit disputantem quod hic Silenum deum, nisi quod poeta Ennius Anchisen augurii ac per hoc divini quiddam habuisse praesumit sic «*doctusque Anchisesque* V. q. *pulchra dearum fari donavit,* d. p. *habere*». Naevius belli Punici libro tertio sic «postquam avem aspexit in templo Anchisa»' eqs. Schol. Veron. in Aen. II 687 p. 90 Keil. II p. 10 Herrm. 'peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse — — ssunt Naev(ius) — | qui ita de eo ait «*doctus Anchisa* V. q. *pulcherrima diu* (diuum Maius dium Fleckeisenus) *fata docet* (fari add. Bernaysius; possis Fari fata d. ut fatis fandis scen. 58; sed neutrum voluit qui illud scripsit: cf. Aen. XII 111 fata docens et VI 759) divinum *ut* p. *haberet*».' Cynthius Cenetensis in Aen. II 687 (A. Mai class. auct. VII p. 386 p. 59 ed. Dozio) 'Anchises vates fuit auctorque divinandi. Ennius «*doctusque Anchises venis*» et Naevius belli Punici lib. III «templo Anchisa».' Cf. Marii Plotii Sacerdotis ad XXXVIII adscripta.

XV (20) Festus ex apogr. l. XIV p. 234, 27 Th. 'orare antiquos dixisse pro agere (cf. p. 202, 12 Th.) testimonio sunt quod et oratores (causarum actores ex Paulo addendum) et qui nunc quidem legati tunc vero oratores

---

18. 19 *A Cynthio si discesseris vix digno qui afferatur, duas esse formas traditas apparet, quae non miscendae inter se, quod doctis placuit, sed segregandae sunt: e quibus eam quae Probi est in textu posui, non quod vindicare totam possem, sed quia ex ea alteram suis rationibus effictam esse agnoscere videor. Confer* Saturnia sancta dearum, Saturnia magna dearum *ann.* 64. 491*;* dia dearum (*δῖα ϑεάων*) *ann. 22, et ex altera parte* divinare etenim magnus mihi donat Apollo (*Hor. sat.* II 5, 60 *cf. Tibull.* III 4, 48) *et* armaque Lauso donat habere (*Aen.* X 701 V 262, *cf.* IX 360) 20 Tum *addidi* Tu face vero *A. Augustinus. Cf. Catullus* 64, 231 tum vero facito ut memori tibi corde haec vigeant mandata*; Aen.* XII 438 tu facito mox . . sis memor. *Sic Ennius* tum face vero quod

XVI

21 Transnavit cita per teneras caliginis auras

XVII

22 Constitit inde loci propter sos d*ia* d*e*arum

XVIII

23 Est locus Hesperiam quam mortales perhibebant

XIX

24 Quam prisci casci populi tenuere Latini

XX

25 Saturnia terra

XXI

26 Saturno
Quem Caelus genuit

quod rei p. mandatas partis agebant. Ennius quoque quom dixit in l. i annalium «*facere* vero quod *te cum* p. p. orat».' Coniicio annalium tum face vero fuisse.

XVI (21) Servius Vatic. in georg. iv 59 p. 325, 1 Thil. 'et aliter: nare pro volare ut apud Ennium in primo «transnavit ... auras». proprietas tamen vocis aptior est natantibus quam volantibus.'

XVII (22) Festus p. 428, 12 Th. 'sos pro eos antiqui dicebant ut Ennius l. i «constitit ... sos *de adiarum*» et l. iii [v], l. vii [xviii], l. xi [ii].'

XVIII (23) Macrobius Sat. vi 1, 11 'est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt (Aen. i 530. iii 163). Ennius in i «est ... perhibebant».' Unde idem versus Ennii in Servii comm. in Aen. i 530 p. 163, 5 Thil. appictus est ab interpolatore.

XIX (24) Varro de l. L. vii 28 'cascum vetus esse significat Ennius quod ait «quam ... *genuere* Latini».' Cicero Tusc. disp. i 12, 27 'unum illud erat insitum priscis illis, quos cascos appellat Ennius, esse in morte sensum.' Hieronymus epist. 8 t. i p. 21 A Vallars. 'rudes illi Italiae homines, quos cascos Ennius appellat.' Cf. C. Gl. L. vi 1 p. 185.

XX (25) Varro de l. L. v 42 'hunc (Capitolinum) antea montem Saturnium appellatum prodiderunt et ab eo late Saturniam (saturnam Flor.) terram, ut etiam Ennius appellat' scil. Saturnia terra; nam late ad hunc non pertinet.

XXI (26) Nonius p. 197, 9 'caelum neutro. masculino Lucretius [ii

---

tecum agit ut memori mente teneas te cum *Festus, sed intelligit* tecum orat *i. e.* tecum agit*; cf. Plautus Bacch.* 554 tecum orarem ut faceres*; asin.* 662 iube petere atque orare mecum*; Terentius hecyr.* 686 egi atque oravi tecum ut 22 dia dearum *A. Augustinus*: dea diarum 24 tenuere *Columna*: genuere. *Cf. Aen.* i 12 urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni*;* i 532

XXII

28 Cum *saevo* obsidio magnus Titan*u* premebat

XXIII

29 Qui caelum versat stellis fulgentibus aptum

XXIV

30 «Assaraco natus Capys optimus isque pium ex se
Anchisen generat

XXV

32 «Accipe daque fidem foedusque feri bene firmum.

XXVI

33 Olli respondit rex Albai longai

1097]. Varro ... Ennius [546]. idem «Saturno ... genuit».' Charisius i p. 72, 13 K. 'caelum hoc, cum sit neutrum, etiam masculine veteres dixerunt, ut Ennius «quem C. genuit»; item [546].'

XXII (28) Nonius p. 216, 28 'obsidio feminino ... neutro Ennius «cum *suo* o. m. *titanum* premebat».'

XXIII (29) Macrobius Sat. vi 1, 9 '(ubi maximus Atlas) axem humero torquet stellis ardentibus aptum (Aen. iv 482. vi 797): Ennius in i (libro vi Salisb.) «qui ... aptum» et in tertio [xii], in x [viii].' Servius in Aen. i 741 'sane Atlas Graecum est, sicut et Nilus. nam Ennius dicit Nilum Melonem vocari, Atlantem vero Telamonem (inc. 43).' Idem ibid. iv 246 'sane Latine (Atlas) Telamon dicitur, ut Nilus Melo.' Cf. schol. Lucan. x 215.

XXIV (30) Servius Vatic. in georg. iii 35 p. 278, 6 Thil. 'Assaracus avus Anchisae, pater Capyis fuit ..... alii sic: per Assaracum Troianos dicit; nam Assaracus avus Anchisae. Ennius «Assaraco n. Capis o. hisque ... generat».' Cf. idem in Aen. i 273; vi 777 (ad xxviii adscr.): viii 130.

XXV (32) Macrobius Sat. vi 1, 13 'accipe daque fidem, sunt nobis fortia bello pectora (Aen. viii 150): Ennius in i «accipe ... firmum».' Cf. Porphyrio in Hor. carm. iii 24, 50 'scelerum si bene: (bene) pro valde positum, ut apud Ennium frequenter (cf. 234. 527).'

XXVI (33) Atilius Fortunatianus G. L. K. vi p. 284, 20 'maximus qui est versus, syllabas habet xvii ..., minimus habet xii ut est Ennianus «olli ... *Albai* longai».' Donatus art. gr. G. L. K. iv p. 396, 19 'diaeresis ... ut «olli ... *Albai* longai».' Pompeius comment. G. L. K. v p. 297, 30 'diaeresis est «*Albai* longai» pro eo quod est Albae longae.' Ars anon. Bern. Hagen. anecd. Helv. p. 94, 29 'nomina feminina primae declinationis in a desinentia ... apud veteres genetivum et dativum in ai mittebant. inde in *Virgilio* legitur «olli ... *aliba i* longa i», «(aulai) in medio» (Aen. iii 354), «vestis pictai» (Aen. ix 26).' Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. iv p. 548, 2 'veteres pronomina aliter declinaverunt dativo illa ipsa, ut gene-

---

28 sęuo *Iunius*: suo. *Cf.* 487 Cum magno strepitu*;* 485 cum sonitu magno, *ne de* sis *aut* sos *cogitetur* Titanu' *Merula*: Titanum

XXVII

34 Quos homines quondam Laurentis terra recepit

XXVIII

ILIA
XXVIII—XXXIII

35 Et cita cum tremulis anus attulit artubus lumen.
Talia tum memorat lacrimans exterrita somno:
«Eurydica prognata, pater quam noster amavit,
38 Vires vitaque corpus meum nunc deserit omne.
Nam me visus homo pulcher per amoena salicta
40 Et ripas raptare locosque novos: ita sola
Postilla, germana soror, errare videbar
Tardaque vestigare et quaerere te neque posse
43 Corde capessere: semita nulla pedem stabilibat.
Exim compellare pater me voce videtur
45 His verbis: '*o* gnata, tibi sunt ante gerendae
Aerumnae, post ex fluvio fortuna resistet.'
47 Haec effatus pater, germana, repente recessit

tivus et dativus unam declinationem haberent ... cuius rei testis est Plautus vel Ennius, qui ait «*Albai* longai» pro Albae longae.' Idem exemplum irrepsit in edd. aliq. veteres Isidori orig. I 34, 4. Cf. fragm. de speciebus hexam. her. G. L. K. VI p. 636, 26 'non ignoro autem apud Homerum XII pedes simplices in herois versibus inveniri et apud Ennium' et ad v. 623. 624 adscripta.

XXVII (34) Priscianus VII p. 337, 26 H. 'Laurentis etiam pro Laurens dicebant. Ennius in annalibus «quos ... recepit».'

XXVIII (35) Ovidius trist. II 259 'sumpserit annales — nihil est hirsutius illis —: facta sit unde parens Ilia nempe leget.' Servius in Aen. VI 777 (quin et avo comitem sese Mavortius addet Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater educet) 'ergo «avo se addet comitem» aut avito se iunget imperio, aut certe, secundum Ennium, referetur inter deos cum Aenea: dicit namque Iliam fuisse filiam Aeneae; quod si est, Aeneas avus est Romuli. unde etiam addidit «Assaraci quem sanguinis»: nam hoc epitheton ... est proprium Aeneae; nam Assaracus pater est Capyos, Capys Anchisae, Anchises Aeneae.' Servius Danielin. in Aen. I 273 p. 102, 21 Thil. 'Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.' Cicero de div. I 20, 40 sq. 'nunc te ad fabulas revoco vel

---

35 et cita *libri optimi, quod tenui,* excita (*vel* eccita) *vulgo* 38 vita meum corpus *praeter* vita *in rasura corr. Voss. B* 43 Corpu' *Fridericus Marx* 44 Exim *Voss. B* Exin* *Voss. A Vind.* 45 o gnata *Ascensiana* 1521: cognata ferendae *Davisius; conf.* 55, *sed* gerit, *inquit Varro de l. L.* VI 77, id est sustinet, tralatum ab his qui honera gerunt, quod hi sustinent 46. 47 *inverso ordine in optimis, transpositi in Ascensiana* 1521 47 pat̄ effa[tus] *in ras. corr. Voss. B,*

Nec sese dedit in conspectum corde cupitus,
49 Quamquam multa manus ad caeli caerula templa
Tendebam lacrumans et blanda voce vocabam.
51 Vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.»

XXIX

52 «Te sa*l*e n*a*ta precor, Venus, et genetrix patris nostri,
Ut me de caelo visas cognata parumper.

XXX

54 «Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto

XXXI

55 «Ilia dia nepos quas aerumnas tetulisti.

nostrorum vel Graecorum poetarum. narrat enim et apud Ennium Vestalis illa «et cita (35) . . . reliquit (51)».'

XXIX (52) Nonius p. 378, 15 'parumper cito et velociter. Virgilius lib. vi [382]. Ennius annali lib. i «te *sane neta* (tesene neta Paris.) precor . . . cognata (cognota Leid. Harl. m. pr.) parumper». idem in eodem [xliii].'

XXX (54) Macrobius Sat. vi 1, 12 'tuque o Thybri tuo genitor cum flumine sancto (Aen. viii 72). Ennius in i «teque . . . sancto».' Porphyrio in Hor. carm. i 2, 18 'Iliae dum se n. q. i. u. v.: Ilia auctore Ennio in amnem Tiberim iussu Amulii regis Albanorum praecipitata; antea enim Anieni matrimonio iuncta est. atqui hic loquitur quasi Tiberi potius nupserit.' Cf. Servius in Aen. i 273 'Remus et Romus: quos cum matre Amulius praecipitari iussit in Tiberim. tum ut quidam dicunt Iliam sibi Anien fecit uxorem, ut alii, inter quos Horatius, Tiberis.' Cf. Stowasser 'Lexic. Krit. aus Porphyr.' 1893 p. 14 (xen. Austr. i p. 152).

XXXI (55) Charisius i p. 90, 26 K. 'neptis grammatici nolunt dici . . . et

---

consilio videlicet eodem quo supra v. 38 *idem, infra v.* 51 *Vind. et apud Gellium in v.* 251; *cf. quaest. Enn. a.* 1852 *p.* 17   49 *Cf. Apollonius Rhod.* i 248 *αἱ δὲ γυναῖκες πολλὰ μάλ' ἀθανάτοισιν ἐς αἰθέρα χεῖρας ἄειρον εὐχόμεναι h. e. πολλάκις, et sic saepe tam πολλά Graece quam* multa *Latine*   51 cum *Voss. B Vind.* tum *Voss. A*   somn^{e}' relinquit^{s} *corr. Vind.*   52 sale nata *scripsi*: saneneta   *Cf. Catullus* 36, 11 o caeruleo creata ponto; *Ausonius epigr.* 34 *p.* 205 *Schenkelii* orta salo, suscepta salo . . . Venus; *Plutarchus symp.* v 10, 4 *οἶμαι δὲ καὶ τὴν Ἀφροδίτην ἁλιγενῆ τοὺς ποιητὰς προσαγορεύειν*   sale nata *per se posita est appellatio, ut* nate dea, sata Nocte, Anchisa generate, *alia, cui appositi loco nomen adhaeret, velut* Iove nate, Hercules, salve (*Livius* i 7, 10): *unde intelligitur* te genetrix, *quod olim opinabar, necessarium non esse*   53 cognata *h. e. utpote cognata, ut Hauptium non probem* rogitata *proponentem*

XXXII

56 «cetera quos peperisti
Ne cures

XXXIII

58 *ut* Il*i*a reddita nupt*um*

XXXIV

REMUS ET ROMULUS XXXIV—L

59 Haec *ec*fatus, ibique latrones dicta facessunt.

XXXV

60 caenacula maxima caeli

XXXVI

61 bipatentibus

advocant Ennium, quod dixerit ita «*Ilia dia* ... erumnas *tetuli*[sti]».' Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. IV p. 563, 14 (soloecismus) 'per genera, sicut apud Ennium «*alia dia* ... erumnas *tetulisti*» pro neptis.' Nonius p. 215, 7 'nepos dici et femina potest Ennio auctore, quae nunc neptis dicitur: «*ilia da* (alia de m. pr. Harl.) nepos (neptos Wolf. neptis Flor. m. pr. Leid.) q. erumnas *netulisti*».' Cf. Nonius p. 178, 16 'tetulit tulit' cum exemplis. M. Hertzius ad Gellii VI 9, 17. Festus p. 402, 15 Th. 'recto fronte ..... antiquae id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque «a stirpe supremo» (178) et «*iliadi a*nepos» et «lupus feta» (68) et «nulla metus» (549 et scen. 407).' Cf. Festus p. 510, 28 Th. 'specus feminino genere pronuntiabant antiqui, ut metus et nepos.'

XXXII (56) Servius Danielin. in Aen. IX 653 p. 368, 25 Thil. 'cetera id est in ceterum; est autem Ennianum: «cetera ... ne cures».'

XXXIII (58) Servius Danielin. in Aen. III 333 p. 401, 22 Thil. 'reddita more veteri pro data accipiendum est; re ergo abundat. Ennius annalibus «*ad illa* reddita *nuptam*» et alibi (141) «isque dies post aut marcus quam regna recepit» pro accepit.'

XXXIV (59) Nonius p. 306, 23 'facessere est facere. Ennius annalibus lib. I «haec *et fatus* ibique l. d. facessunt».' Cf. Paulus Festi p. 61, 29 Th. 'facessere significat interdum facere, ut est «iussa facessunt» (Aen. IV 295).' C. Gl. L. VI 1 p. 429.

XXXV (60) Tertullianus adv. Valent. 7 p. 291 D Rigalt. 'primus omnium Ennius poeta Romanus «caenacula maxima caeli» simpliciter pronuntiavit de lati situs nomine vel quia Iovem illic epulantem legerat apud Homerum.' Schol. Veron. in Verg. Aen. X 1 p. 102 Keil. II p. 26 Herrm. (panditur interea domus omnipotentis Olympi conciliumque vocat divum pater atque hominum rex sideream in sedem ... considunt tectis bipatentibus) 'Long. utrum sic domum dicit aperiri, quomodo et Homerus χαλκοβατὲς δῶ (Il. I 426 al.), αὐτόμαται δὲ πύλα(ι μύκον οὐρανοῦ ἃς ἔ)χον Ὧραι (Il. V 749) et Ennius non tantum domum sed etiam «cenaculum caeli».'

XXXVI (61) Servius in Aen. X 5 (ad XXXV adscr.) 'bipatentibus phy-

---

58 ut illa (Ilia *Commelinus*) r. nuptum *Daniel*: ad illa r. nuptam 59 ecfatus *Scaliger*: et fatus

XXXVII

62 Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo

XXXVIII

64 Respondit Iuno Saturnia sancta dearum

XXXIX

65 «Unus erit quem tu tolles in caerula caeli
Templa

XL

67 Postquam consis....se fluvius, qui est omnibus princeps

sice dixit. nam caelum patet ab ortu et occasu. est autem sermo Ennianus, tractus ab ostiis, qnae ex utraque parte aperiuntur.' Cf. C. Gl. L. vi 1 p. 142.

XXXVII (62) Apuleius de deo Socr. 2 p. 6, 23 Goldb. 'est aliud deorum genus . . . quorum in numero sunt illi duodecim numeroso situ nominum in duo versus ab Ennio coartati «Iuno . . . *Ceres* . . . Mercurius *Iovis* . . . Apollo» ceterique id genus. Martianus Capella i 42 'tunc etiam ut inter alios potissimi rogarentur ipsius collegae Iovis, qui bis seni cum eodem Tonante numerantur quosque distichum complectitur Ennianum «Iuno . . *Ceresque* . . . Mercurius *Iuppiter* . . . Apollo» item et septem residui.' Cf. scholia in Theoduli eglogam v. 285—288. Capellae si qua fides est Ennianum distichon item in convocando deorum concilio locum habuisse colligas. Conf. Bentleius ad Horatii carm. saec. 16 p. 328 Z.

XXXVIII (64) Servius in Aen. iv 576 (sequimur te sancte deorum quisquis es) 'aut distinguendum «sancte» aut «sancte deorum» secundum Ennium dixit «respondit . . . *sancta* dearum (deorum Monac.)».' Donatus art. gr. G. L. K. iv p. 394, 1 (soloecismus) 'per comparationem sicut «respondit . . . *sancta* dearum» pro sanctissima.' Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. iv p. 563, 20 (soloecismus) 'per comparationem sic «respondit iuno *sca* saturnia (verus ordo indicatur lineis) dearum» pro sanctissima.' Pompeius comment. G. L. K. v p. 291, 17 (soloecismus) 'per comparationem «respondit (respondet corr. Paris. C) . . . *sancta* dearum» . . . pro eo quod est sanctissima.' Marius Plotius Sacerdos G. L. K. vi p. 450, 20 (soloecismus) 'per gradus conlationis, hoc est comparationis, ut est «Saturnia *pulchra* dearum» pro pulcherrima.' Cf. 18.

XXXIX (65) Varro de l. L. vii 5 'dicam in hoc libro de verbis quae a poetis sunt posita . . . [6] incipiam hinc. «unus . . . cerula c. templa».' Cf. Ovidius met. xiv 812 Mavors talibus adfatur divumque hominumque parentem . . . tu mihi concilio quondam praesente deorum (nam memoro memorique animo pia verba notavi) «unus erit quem tu tolles in caerula caeli» dixisti: rata sit verborum summa tuorum.' Idem fast. ii 485 'redde patri (Martis verba sunt) natum: quamvis intercidit alter, pro se proque Remo, qui mihi restat, erit. «unus erit quem tu tolles in caerula caeli» tu mihi dixisti: sint rata dicta Iovis.'

XL (67) Fronto de orat. p. 160 Nab. 'factum est: eodem hoc v(er)bo

67 *In* consis....se *quid lateat nescio,* consistit *Beckerus ephem. Marb.* 1849 *p.* 331

XLI

68 lupus femina feta repente

XLII

69 desunt, rivos camposque remanant.

XLIII

70 Indotuetur ibi lupus femina, conspicit omnis:
*H*inc camp*um* celeri passu p*er*mens*a* parumper
Coniicit in silvam sese

Enni . URMIAK ... CA cla(udi) ait, factum est . . et (faci)nus com(memo)rabile: Tiberis est Tusce Tiber, quem iubes cludi. Tiber amnis et dominus et fluentium circa regnator undarum (cf. Aen. VIII 77). Ennius «POSTQUAM CONSIS| IIIISEILUUIU. QU·OMNIB|. RINCEPS».' Sic fere haec in codice legi B. Kuebleri officiosa voluntas mecum communicavit, qui omnib agnosci affirmat non omnium, ab Ennii autem versu tredecim fere litterarum spatio secreta esse quae insequuntur: qui subcivilia aït; quae si sic recte leguntur, possunt vera esse, ab Ennii certe versu sunt aliena. Cicero orat. 48, 161 'sic enim loquebamur «qui *est* omnibu (omnibus integri) princeps», non omnibus (omnium integri) princeps.'

XLI (68) Vergilius Aen. VIII 630 'fecerat et viridi fetam Mavortis in antro procubuisse lupam: geminos huic ubera circum ludere pendentis pueros et lambere matrem inpavidos; illam tereti cervice reflexam mulcere alternos et corpora fingere lingua.' Servius ad v. 631 'sane totus hic locus Ennianus est.' Servius Danielin. in Aen. II 355 p. 278, 1 Thil. 'sane apud veteres lupus promiscuum erat, ut Ennius «lupus f. feta (facta Cass.) repente».' Festus p. 402, 15 Th. 'recto fronte .... antiquae id consuetudinis fuit ut cum ait Ennius quoque [cf. ad XXXI] et «lupus feta».' Quintilianus I 6, 12 'lupus masculinum, quamquam Varro in eo libro quo initia Romanae urbis enarrat «lupum feminam» dicit Ennium Pictoremque Fabium secutus.' Cf. XLIII. Festus p. 138, 28 Th. Paulus p. 5, 9 et 42, 27 Th.

XLII (69) Festus p. 394, 1 Th. '*remanant* reptent. Ennius l. I «desunt r. c. *remant*».' Paulus '*remant* repetant. Ennius «riuos c. *remant*».' Remanant semel recte scriptum in glossa Festi verum arbitror: cui qui explicandi causa repetunt (hoc enim ex Festi Paulique scripturis reptent, repetant videtur prodire) adscripsit, cum figurato usu verbi accusativos tuebatur: quod genus Vergilius 'patrias remeabo inglorius urbes' (Aen. XI 793) multique similiter scripserunt.

XLIII (70) Nonius p. 378, 18 'parumper cito et velociter ... Ennius annali lib. I [XXIX]; idem in eodem «indotuetur ... *in campo* c. p. *praemens* p. conicit i. s. sese».' Cf. XLI. Inc. de orig. gentis Rom. 20, 3.

---

69 *Versus et sententia suppletur additamentis olim a me propositis* (*mus. Rhen.* XIV *p.* 552) iam stabulis; *quae de gregibus intelligi volo iam stabulis relictis rivos camposque repetentibus: cf. Dionysius Halic. ex Fabio Pictore quae affert* I 79, 6 *ἐν τούτῳ τυγχάνουσιν οἱ νομεῖς ἐξελαύνοντες τὰς ἀγέλας ἐπὶ νομήν* (*ἤδη γὰρ ἐμβατὸν ἦν τὸ χωρίον*) *καί τις αὐτῶν ἰδὼν τὴν λύκαιναν κτλ* 70 omnia *Lach-*

XLIV

73 pars ludicre saxa
Iactant, inter se licitantur

XLV

75 Occiduntur. ubi potitur ratus Romulus praedam

XLVI

76 «Ast *h*ic quem nunc tu tam tor*v*iter increpuisti

XLVII

77 Curantes magna cum cura tum cupientes
Regni dant operam simul auspicio augurioque.

XLIV (73) Nonius p. 134, 13 'licitari congredi pugnare. Ennius «pars ... licitantur».' Cf. Paulus Festi p. 83, 21 Th. 'licitati in mercando sive pugnando contendentes.' C. Gl. L. vi 1 p. 644.

XLV (75) Festus p. 378, 2 Th. 'pro firmo certo ponitur ratus et ratum. Ennius «occiduntur ... praedam».'

XLVI (76) Nonius p. 516, 15 'torbiter ... Ennius *lupiastic* (vel lupi-ast ic) quem n. t. t. *torbiter* increpuisti».' In lupi non LUII sed quod Scaliger scripsit lib. I latere in actis academ. a. 1886 'Über die Annalen des Ennius' p. 11 probavi. Priscianus XV p. 71, 4 H. in catalogo adverbiorum ex Nonio 'torviter.'

XLVII (77) Cicero de div. I 48, 107 sq. 'itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure (cf. de div. II 38, 80) «curantes ... augurioque. *in monte* Remus auspicio (79) ... praepetibus sese *pulchrisque* locis dant (94) ... scamna solumque (96)».' Gellius VII 6, 9 'locos porro praepetes et augures appellant et Ennius in annalium primo dixit (94)

---

mannus ad Lucr. I 1106, *sed conf. Plaut. Amph.* 1110 angues oculis omnis circumvisere 71 hinc campum *Columna*: in campo permensa *Scaliger*: praemens 73. 74 *Sic versus distinxi* (*quaest. Ennian. a.* 1852 *p.* 12) ludicre *neutrum esse adiectivi statuens quod notavit Priscianus* I *p.* 350, 5 *H.* excipitur a vetere vel veteri quod vetera non veteria facit, nec non ab hoc ludicri quod ludicra et non ludicria dicimus 75 *Incidi versum; duplex enim sententia est:* occiduntur *sive latrones praeda onusti* (*Plut. Rom.* 6, 8; *Livius* I 4, 9) *sive pastores alieni* (*Dionys. H.* I 79, 12); *et altera: ubi ratam h. e. certam habet R. possessionem praedae, redit ad suos* 76 ast hic *Scaliger*: astic torviter *edd.*: torbiter 77 tum cupientes *Voss. duo cum Vind. et sic olim edidi; vulgabatur sine fide* concupientes, *quod Madvigius adv. crit.* II 641 *fortasse tolerari posse sed praestare* tum cupientes *scribit* 78 in monte *quod habent libri omnes Ciceronis verba esse Ennii orationem breviantis scripsi ibi ubi hanc omnem narrationem accuratius persecutus sum in relationibus academ. a.* 1894 '*Über das Stadtgründungsaugurium bei Ennius*' *a p.* 1143

in monte

Remus auspicio se devovet atque secundam
80 Solus avem servat. at Romulus pulcher in alto
Quaerit Aventino, servat genus alt*i*volantum.
82 Certabant urbem Romam Remoramne vocarent.
Omnibus cura viris uter esset induperator.
84 Expectant, veluti consul cum mittere signum
Volt omnes avidi spectant ad carceris oras,
86 Quam mox emittat pictis e faucibus currus,
Sic expectabat populus atque ore timebat
Rebus, utri magni victoria sit data regni.
Interea sol albus recessit in infera noctis.
90 Exin candida se radiis dedit icta foras lux
Et simul ex alto longe pulcherruma praepes
92 Laeva volavit avis. simul aureus exoritur sol,
Cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
94 Avium, praepetibus sese pulchrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna solumque.

«praepetibus sese *pulcris* locis dant».' Excerpta ex cod. Cassin. 90 C. Gl. L. v p. 578, 3 'Rome conditor certus nescitur. Salustius dicit . . . Vergilius ab Ebandro, Ennius et alii a Romulo.' Cf. Servius Danielin. in Aen. I 273 ad XXVIII adscriptus.

---

79 Hinc Remus *vulgatur nulla fide* devoverat quae *Voss. A* devoveratq. *Vind.* 80 auē *corr. ex* aut̄ *Voss. B* autem (aut̄) *Voss. A Vind.* 81 altevolantum (alte*uolantum, e *e corr., Voss. B*) *libri. Conf. Lucr.* v 433 Alte volans, *sed Macrobius Sat.* VI 2, 23 Altivolans 82 rem**amne (*fuit* remoramne) *Voss. B* 84 Expectant: *de forma orationis comparativae dixi l. c. p.* 1151 *sq.* cum *corr.* com *Voss. B* cō *Voss. A; opinabar* quom 86 quamox *optimi, correctum in deterioribus; Festus p.* 348, 11 *Th.* quam mox significat quam cito, sed si per se ponas mox, significabit paulo post vel postea. *Eadem Paulus. Cf. Bergkius opusc.* I *p.* 233 *Buechelerus mus. Rhen.* XXXVI *p.* 334 *sq.* 87 ore timebat Rebus, utri: *scripturam quae est optimorum* (ora tenebat *vulgabatur ex deterioribus*) *et orationem varie temptatam vindicavi l. c. p.* 1153 92 &simul *Voss. A et m. pr. Vind.* ** simul *Voss. B, fuit* s& simul 93 quattuor *bisyllabum, cf. Ritschelius opp.* III *p.* 638 *n.* 650 *n. Lachmannus ad Lucr.* III 917 94 Auium *bisyllabum, cf. Lachmannus l. c.* 95 priora *corr. ex* ꝑpriam *Voss. B* propriam *Voss. A Vind.*

XLVIII

97 «Iuppiter, ut muro fretus magis quamde manus *vi*

XLIX

98 «At tu non ut sum summa*m* servare decet rem

L

99 «Nec pol homo quisquam faciet inpune animatus
Hoc nisi tu: nam mi calido das sanguine poenas.

LI

ROMULUS REX LI—LXIII

Romulus cum aedificasset templum Iovi Feretrio, pelles unctas stravit et sic ludos edidit, ut caestibus (corr. Burmannus pro c a e l e s t i b u s) dimicarent et cursu (corr. Hagenus pro c u r r u) contenderent, quam rem Ennius in annalibus testatur.

XLVIII (97) Festus p. 348, 6 Th. ‘quamde pro quam usos esse antiquos cum multi veteres testimonio sunt tam̄ huius (t u m E n n i u s Ursinus) in primo «Iuppiter ut m. fretus m. quā deman’ *impe* (interstitium trium litterarum) scđo [136].’ Extrema sic interpretabar m a n u s u i» i d ē i n s e c u n d o.

XLIX (98) Festus p. 426, 3 Th. ‘sum pro eum usus est enius l. I «at tu non ut sum *summa* s. d. r.» et l. II [x].’

L (99) Macrobius Sat. VI 1, 15 ‘tu tamen interea calido mihi sanguine poenas persolves (Aen. IX 420). Ennius in I «nec (n o n Par. Sal.) pol . . . nam mi c. *das* s. poenas».’ Servius Danielin. in Aen. IX 420 p. 347, 27 Thil. ‘calido mihi sanguine poenas: Ennius in primo «nam mihi (Flor. m i Daniel) c. *dabis* (Flor. d a s Daniel) s. poenas».’

LI Schol. Bern. Hageni (Fleckeis. ann. suppl. IV p. 912, in georg. II 384. Cum hoc testimonio iunxerunt cum haec Servii Danielin. in Aen.

---

97 fretus *est* fretus es (fretu's) *et sententia exclamatio, ut apud Catullum* 66, 30 Iuppiter, ut tristi lumina saepe manu manus vi *Scaliger* 98 astu non ui *opinabar olim, ut Prometheus Aeschyli de deorum contentionibus dicit* (215) *ὡς οὐ κατ' ἰσχὺν οὐδὲ πρὸς τὸ καρτερὸν χρείη, δόλῳ δὲ τοὺς ὑπερέχοντας κρατεῖν, aliique eam contrariorum rationem expresserunt; sed videtur orationis forma sic expediri recte* at tu non, ut eum decet rem summam servare, sic simili cura premeris, *velut Horatius scribit sat.* I 6, 90 eoque non, ut magna dolo factum negat esse suo pars, quod non ingenuos habeat clarosque parentes, sic me defendam at te non ut *Columna* summam *Ursinus:* summa 99 impune animatus *in unum coeunt, velut si dicas* improbe animatus *ut in contrarium* animati probe *dicuntur* (*Plauti Bacch.* 942)*: sic dici is videtur qui est* impunita (*sive* effusa) licentia animatus, *ut Cicero* impunitatem *et* licentiam *copulat* (*Brut.* 91, 316; *pro Mil.* 31, 84) *aut* impunitam mentiendi licentiam *appellat* (*pro Scauro* 8, 15)*: quod si recte statuitur nulla est quae credebatur orationis difficultas*

LII

101 Virgines, nam sibi quisque domi Romanus habet sas

LIII

102 Cum superum lumen nox intempesta teneret

LIV

103 Maerentes flentes lacrimantes commiserantes

III 384 p. 410, 24 Thil. 'et quidam lentandus nove verbum fictum putant, sed in annalibus legitur «confricati oleo lentati paratique ad arma» a verbo lentor' annales dici Ennii annales rati, et verba non nimis difficile hexametri formam recipiunt, tum hanc glossam Pauli epitomatoris Festi p. 25, 17 Th. 'bellicrepam saltationem dicebant quando cum armis saltabant, quod a Romulo institutum est, ne simile pateretur quod fecerat ipse, cum a ludis Sabinorum virgines rapuit.' (Cf. C. Gl. L. VI 1 p. 134). Quam glossam ad Ennium redire O. Muellerus suspicabatur. Quorum ut neutrum ineptum est, ita parum utrumque certum.

LII (101) Festus p. 476, 19 Th. 'sas Verrius putat significare eas teste Ennio qui dicat in l. I «virgines nam . . . sas» cum suas magis videatur significare.' Paulus 'sas suas Ennius «virgines nam . . . sas».' Ante nam orationem incidi Lachmannus ad Lucr. VI 1067 animadvertit et sas Verrium recte, falso interpretari Festum cum Paulo. Cf. ad VII fr. II adscr.

LIII (102) Macrobius Sat. VI 1, 14 'et lunam in nimbo nox intempesta tenebat (Aen. III 587). Ennius in I «cum . . . teneret (tenebat Neap.)».' Cf. C. Gl. L. VI 1 p. 591.

LIV (103) Diomedes II p. 447, 17 K. 'homoeoptoton fit cum oratio excurrit in eosdem casus et similes fines, ut Ennius «merentes . . . *ac miserantes*».' Charisius IV p. 282, 13 K. 'homoeoptoton . . . ut «merentes . . . *ac miserantes*».' Donatus art. gr. G. L. K. IV p. 398, 23 'homoeoptoton . . . ut «merentes . . . *commiserantes*».' Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. IV p. 565 '«merentes . . . *commiserantes*» versus hic *Plauti;* omnes partes orationis in accusativo casu exeunt.' Pompeius comment. G. L. K. V p. 304, 4 'homoeoptoton est si ita dicas «merentes . . . *commiserantes*».' Rhet. ad Herennium IV 12, 18 'compositio est verborum constructio quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. ea conservabitur, . . . si non utemur continenter similiter cadentibus verbis hoc modo «flentes plorantes lacrimantes obtestantes».' Diversum hunc rhetoris versum ab eo quem grammatici frequentarunt Naekius statuit mus. Rhen. III (1829) p. 398.

---

101 virgini' (*sive* virgine). nam *Lachmannus; cui de incisione concedendum est, sed* virgines *non videtur desiderari posse, si quidem recte interpretor haec repetentibus virgines responderi* virgines, nam sibi quisque eas domi Romanus habet, reddi non possunt, *ut apud Dionysium Halic.* II 37, 4 *Sabinorum legatis respondetur* 'Ρωμύλον ἀξιοῦντος τὰς μὲν γυναῖκας, ἐπειδὴ οὐδ' αὐταῖς ἀκούσαις ὁ μετὰ τῶν ἀνδρῶν βίος ἦν, ἐᾶν παρὰ τοῖς γεγαμηκόσι μένειν κτλ

LV

104 «Nerienem Mavortis et Her*e*m

LVI

105 «Nam vi depugnare sues stolidi soli*ti* sunt.

LVII

106 «Aeternum seritote diem concorditer ambo TATIUS LVII—LX

LVIII

107 «Ea mihi reliquae fidei regno vobisque, Quiritis,
Se fortunatim feliciter ac bene vortat.

LV (104) Gellius XIII 23, 18 (Nerienem, Martis coniugem, prima syllaba correpta, tertia producta dici) 'Ennius autem in primo annali in hoc versu «Nerienem M. et *herclem* (erdem Voss. min.)» si quod minime solet numerum servavit, primam syllabam intendit, tertiam corripuit.' Cf. Paulus Festi p. 71, 14 Th. 'Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant, quae a nomine appellabatur heredum et esse una ex Martis comitibus putabatur.' De Nerienes nomine sententias doctorum recensuit Hertzius.

LVI (105) Festus p. 460, 13 Th. 'stolidus stultus. Ennius l. I «nam vide pugnare s. st. *solidi* sunt» et in Alexandro [IV].

LVII (106) Charisius II p. 196, 16 K. 'concorditer Ennius annã lib. I «aeternum . . . ambo».'

LVIII (107) Nonius p. 111, 33 'fortunatim prospere. Ennius annalibus I «ea mihi reliquae fidei r. v. Quiritis . . . vortat».' Cf. C. Gl. L. VI 1 p. 465.

---

104 Herem *Meursius*: herclem 105 vi depugnare *Gulielmius*: vide pugnare soliti *Scaliger*: solidi soliti sunt *h. e.* *εἰώθασι, ut* quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum *in sat.* 76; *cf. ann.* 221 sues *et totam sententiam non aversabitur qui memor est monitorum Hesiodi* 273 *sqq. Kirchh.* 107 *Olim scripsi* quod mihi meaeque fide et, *et* mihi meaeque *et* fide et *iam Grauertus;* resque ea mi, fidei, r. *Baehrensius: ego postea temptabam* ea uti res (*sive* ea res ut) Mique meaeque fide et r. *Formulae usum satis constantem docet Livius* XXXI 5, 4 cum precatione ea, quod senatus populusque Romanus de re p. deque ineundo novo bello in animo haberet, ea res uti populo Romano sociisque ac nomini Latino bene ac feliciter eveniret; XXXI 7, 15; XXXVII 47, 4; XXXVI 1, 2; XL 46, 9 quod in omnibus fere precationibus nuncupabitis verbis 'ut ea res mihi collegaeque meo bene et feliciter eveniat'; XXX 1, 11 *al. Cicero pro Muren.* 1, 1; *carmen a Macrobio Sat.* III 9, 11 *servatum. Inde fit ut apud Ennium quoque quae litteris traditis indicantur* ut ea res, *quocumque modo, fuisse credam* Quiritis: *cf. Festus p.* 338, 1 *Th.* Quirites autem dicti post foedus a Romulo et Tatio percussum communionem et societatem populi factam indicant; *cf. ibidem proxima*

LIX

Ager Romanus primum divisus in partis tris, a quo tribus appellata Titiensium (tatiensium Flor.), Ramnium, Lucerum: nominatae, ut ait Ennius, Titienses ab Tatio, Ramnenses ab Romulo, Luceres, ut Iunius, ab Lucumone.

LX

109 O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

LXI

110 Pectora . . tenet desiderium, simul inter
Sese sic memorant «o Romule, Romule die,

LIX Varro de l. L. v 55. Conf. eundem v 81; 89; 91; Cicero de re p. ii 8, 14 et 20, 36; Livius i 13, 8; 36, 2. Festus p. 516, 23 Th.; Paulus p. 525, 9. Idem p. 558, 19 'Titiensis tribus a praenomine Tati regis appellata esse videtur.' Huic loco adscribenda essent, quae de Tatio habet Varro de l. L. v 74 'arae Sabinum linguam olent quae Tati regis voto sunt Romae dedicatae. nam, ut annales dicunt, vovit Opi Florae Vedio Iovi Saturnoque, Soli Lunae Volcano et Summano, itemque Larundae Termino Quirino Vortumno Laribus Dianae Lucinaeque: e quis nonnulla nomina in utraque lingua habent radices' eqs, si verum esset quod cum Lachmanno Hauptius (opp. iii 355) credidit Ennii annales dici et versus esse hexametros. sed Varro qui scribit v 101 ut annales veteres nostri dicunt, Ennii annales aperte nusquam appellat; nec probabilius Lachmannus (ad Lucr. ii 632) in his Varronis de l. L. vii 85 'itaque in Iove hoc et Homerus et alius aliquotiens' reposuit Ennii annales cogitans et annalis.

LX (109) Priscianus xii p. 591, 12 H. 'brevem te syllabam pro met ei (nominativo tu) addere solent . . . Ennius «o Tite . . . tulisti».' Pompeius comment. G. L. K. v p. 303, 33 'antiqui integros versus ita faciebant ut «o Tite . . . tulisti». versus est Ennianus.' Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. iv p. 565 'eiusdem Enni versus est «tute *ta* tibi tanta tyranne tulisti». omnes enim partes orationis t littera principium sumunt.' Isidorus orig. i 35, 14 'paromoeon est multitudo verborum ex una littera inchoantium, quale est apud Ennium «o Tite . . . tulisti».' Non nominato Ennio: rhet. ad Herenn. iv 12, 18 'compositio est verborum constructio quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. ea conservabitur, si . . . vitabimus eiusdem litterae nimiam adsiduitatem, cui vitio versus hic erit exemplo — nam hic nihil prohibet in vitiis alienis exemplis uti — «o Tite . . . tulisti» et hic eiusdem poetae (scen. 422) «quicquam quisquam . . . neget».' Charisius iv p. 282, 8 K. 'parhomoeon est cum verba omnia similiter incipiunt, ut «o tite tute *tate* tibi tan̄ tyran̄ tulisti».' Donatus art. gr. G. L. K. iv p. 398, 21 'parhomoeon est, cum ab isdem litteris diversa verba sumuntur, ut «o Tite . . . tulisti».' Pompeius comment. G. L. K. v p. 287, 29 'conlisio est . . . ut «o Tite . . . tulisti».' Priscianus partition. xii vers. G. L. K. iii p. 492, 25 'per epectasin tute te correpta, ut «o Tite . . . tulisti».' Martianus Capella v 514 'homoeoprophoron est cum dicitur «o Tite . . . tulisti».' Marius Plotius Sacerdos G. L. K. vi p. 454, 30 'aprepia est absurda et indecens verborum structura, ut «o *tite tate* tibi tanta».' Singillatim codicum scripturas nequam enumerare supersedi.

LXI (110) Cicero de re p. i 41, 64 'iusto quidem rege cum est populus

112 Qualem te patriae custodem di genuerunt!
O pater o genitor o sanguen dis oriundum!
Tu produxisti nos intra luminis oras.

LXII

115 «Romulus in caelo cum dis genitalibus aevum
Degit.

LXIII

117 «Quirine pater veneror Horamque Quirini.

orbatus, «pectora *diu* (DI$\overset{A}{U}$ cod.) tenet desiderium», sicut ait Ennius post optimi regis obitum; «simul inter sese . . . dii *genuerunt. o pater* o *genitor* o s. dis oriundum» (113). non eros nec dominos appellabant eos, quibus iuste paruerunt, denique ne reges quidem, set patriae custodes, set patres et deos. nec sine causa; quid enim adiungunt? «tu . . . oras» (114). vitam honorem decus sibi datum esse iustitia regis existimant.' Iungenda sunt 'sicut ait Ennius post optimi regis obitum' et haec postrema Ciceronis sunt (cf. ii 30, 52), qui ab universa sententia proficiscens propter Ennium transit ad Romuli obitum; itaque diu scripsit nec Ennius quid posuerit sciri potest. Lactantius div. inst. i 15, 30 'nam Romulum desiderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens haec loquitur [31] «o Romule Romule die (dee corr. Par. R dic Par. S diem Vat.) qualem . . . dii *genuerunt. tu produxisti . . . oras. o pater* o (genitor add. Pal.) *patriae* o s. dis (diis) oriundum».' Priscianus vi p. 250, 15 H. 'veteres hoc sanguen dixerunt . . . ut ait Ennius [scen. 26]. idem in ii annali «o *genitor* o s. dis (diis) oriundum».' in i Columna 'pervetustum suum Prisciani exemplar' secutus; nec potest dubitari propter lxiii quod e primo affertur.

LXII (115) Servius in Aen. vi 764 'aevum proprie aeternitatis est quae non nisi in deos venit. Ennius «Romulus . . . cum *diis genitalibus aevum degit*».' Cicero Tusc. disp. i 12, 28 'ex hoc et nostrorum opinione «Romulus in caelo cum *diis agit aevum*», ut famae adsentiens dixit Ennius.' 'Romulus in caelo' paries Pompei. cf. Buechelerus carm. epigr. p. 823. Cicero de orat. iii 38, 154 'verba novantur ut . . . «di genitales».' Cf. Bentleius ad Hor. c. s. 16.

LXIII (117) Nonius p. 120, 2 'Hora iuventutis dea. Ennius annali lib. i «Quirine . . . horamque Quirini (quirint Flor. m. pr. Leid.)».' Gellius xiii 23, 2 'Horam Quirini' inter antiquas comprecationes deorum velut Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Maiam Volcani, al., et quam habet Ennius 104 'Nerienem Mavortis' affert. Ovidius metam. xiv 851 'cum corpore nomen mutat Horamque vocat (Hersiliam scilicet), quae nunc dea iuncta Quirino est.' De hac Hersiliae cum Hora coniunctione docte disputat G. Wissowa 'Philol. Abhandl. f. M. Hertz' 1888 p. 167. Quod Ovidio Hŏra est, non erat, opinor, cur Ennii versum corrigendo corrumperent.

---

117 Teque *add. Columna, cf.* 54

LXIV

118 *pe*de ruit

ANNALIUM LIB. II

I

NUMA POMPILIUS I—IV

119 Olli respondit suavis sonus Eg*e*riai

II

120 Mensas constituit idemque ancilia
Libaque fictores Argeos et tutulatos

LXIV (118) Festus p. 312, 11 Th. '— — (pe)s dr̃ | — — (pe)de ruit | — — l. I an | — — mu | —' Res admodum incerta; de pedis significatione et usu vide Festum p. 258, 26 Th. 'pedem struit in XII significat fugit, ut ait Ser. Sulpicius' et p. 452, 6; Nonium p. 461, 26 'pedem cum hominum et aliquarum animantium dici manifestum sit, Virgilius lib. VIIII (123) etiam fluviorum dici posse ostendit «cunctatur et amnis rauca sonans revocatque pedem Tiberinus ab alto»'; cf. Aen. VIII 240. Lucretius V 272 (VI 638) 'qua via secta semel liquido pede detulit undas.'

LIB. II I (119) Varro de l. L. VII 42 'apud Ennium «olli . . . *egria ·I·*» olli valet illi dictum ab olla et ollo.' Servius in Aen. XI 236 'olli illi secundum Ennium.' Cf. v. 33. Cicero de leg. I 1, 4 'nec dubito quin idem et cum Egeria conlocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem inpositum putent (cf. v. 147 sq.).'

II (120) Varro de l. L. VII 43 'apud Ennium «mensas constituit idemque ancilia» dicta ab ambecisu, quod ea arma ab utraque parte, ut Tracum, incisa. *Saliba quę* (incisa. [44] «libaque Victorius) fictores argeos et tutulatos». liba quod libandi causa fiunt. fictores dicti a fingendis libis. Argei ab Argis . . . . tutulati dicti hi, qui in sacris in capitibus habere solent ut metam. id tutulus appellatus ab eo quod . . . ' Festus p. 534, 34 Th. 'tutulum vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum . . . quidam pilleum lanatum forma metali figuratum, quo flamines ac pontifices utantur, eodem nomine vocari. Ennius «*libaque* fictores argaeos e —».' Paulus 'tutulum dicebant flaminicarum capitis ornamentum . . . Ennius «fictores argeos et tutulatos».' Cf. Varro de l. L. V 45. Paulus Festi p. 11, 34 Th. Servius Danielin. in Aen. II 683 p. 318, 23 Thil.

---

119 Egeriai *Victorius* 120 Menses (menseis *Lachmannus*) *A. Augustinus* (*cf. Livius* I 19, 6; *Plutarchus Num.* 18, 1–3; *Rom.* 21, 1), *sed dicit nisi fallor* mensas, *quas Paulus ex Festo p.* 150, 25 *Th.* in aedibus sacris ararum vicem obtinuisse *scribit. Cf. Naevium apud Probum in Verg. ecl.* 6, 31 *p.* 14, 8 *Keil.* primus *add. Scaliger,* bis sex *Corssenus*

III

122 Volturnalem Palatualem Furinalem
Floralemque Falacrem et Pomonalem fecit
Hic idem

IV

125 «Si quid me fuerit humanitus, u*t* teneatis

V

126 Metioeo Fufetioeo

TULLUS HOSTILIUS V—XVIII

III (122) Varro de l. L. VII 45 'eundem Pompilium ait fecisse flamines, qui cum omnes sunt a singulis deis cognominati, in quibusdam apparent ἔτυμα, ut cur sit Martialis et Quirinalis; sunt in quibus flaminum cognominibus latent origines, ut in his qui sunt versibus plerique «volturnalem ... *floralēq* ... idem» quae obscura sunt. eorum origo Volturnus, diva Palatua, Furrina, Flora, Falacer pater, Pomona.' Cf. idem ibid. v 84 'flamines quod in Latio capite velato erant semper ac caput cinctum habebant filo flamines dicti. horum singuli cognomina habent ab eo deo cui sacra faciunt, sed partim sunt aperta, partim obscura. aperta ut Martialis Volcanalis; obscura Dialis et Furinalis, cum Dialis ab Iove sit, Diovis enim, Furinalis a Furrina, cuius etiam in fastis feriae Furinales sunt (cf. VI 19). sic flamen Falacer a divo patre Falacre.' Versus qui sunt superiore loco Ennii hexametros esse O. Muellerus statuit, quem secutus sum; et hos Saturnios esse et ad Naevium redire, quod nunc credunt, mihi multis nominibus incredibile visum est. quo enim referimus fecit hic idem? nimirum ad Numam, eundem, qui ab Ennio modo dicebatur mensas constituisse idemque ancilia libaque (de idem cf. v. 144). Idcirco Varro ipse scribit eundem Pompilium ait fecisse fl. Ennius videlicet ait, de quo eodem Ennius ante similia memoravit. Vix poterant haec artius inter se cohaerere. De versuum forma licet ambigere, et Lachmannum video aliter distribuere, sic Volturnales | Palatuales Furinales Floralesque | Falacres et Pomonales fecit hic idem |. Si duriores sunt hexametri, ne Saturnii quidem isti quos volunt insigniore venustate placent, et haec invicta sesquipedalium nominum necessitas vel optimi poetae virtutem fregisset.

IV (125) Festus p. 156, 7 Th. 'me pro mihi dicebant antiqui ut Ennius cum ait l. II «si quid me fuerit (sic cum Muellero Thewrewkius ex codice; Keilii indicium mutierit testantis falsum) h. *uti* teneatis» et Lucilius (1092 L.) «nunc ad te redeo, ut quae res me impendet agatur».' Paulus idem sine exemplis. Apparet structuram agi, non formam pronominis.

V (126) Quintilianus I 5, 12 'duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinga Placentinus ... preculam pro pergula dicens et immutatione cum c

---

122 *sq. Nomina olim vulgabantur numero plurali* Furrinalem Floralemque *O. Muellerus* 125 *Cf. Plaut. Poen.* 1085 si quid me fuat*; trin.* 157 si quid eo fuerit*; et* si quid mihi humanitus accidisset *Cicero Phil.* I 4, 10 ut *olim corr.*: uti 126 Metioeo Fufetioeo *G. Hermannus, quae est paene ipsa librorum scriptura, quorum quae*

VI

127 «quianam legiones caedimus ferro

VII

128 Et simul effugit, speres ita funditus nostras

VIII

129 Hic occasus datus est: at Oratius inclutus saltu

IX

130 «Qui ferro minitere atque in te ningulus

X

131 At sese, sum quae dederat in luminis oras

pro g uteretur et transmutatione cum r praeponeret antecedenti. at in eadem vitii geminatione *etieo fufetioeo* (ita Bern. mettioeo et furetioeo, sed oeo et, ret, eo e corr., Ambr.) dicens Ennius poetico iure defenditur.'

VI (127) Servius in Aen. x 6 'quianam cur quare. Ennianus sermo est «quianam . . . ferro».' verba Ennii servavit Danielinus. Cf. 259.

VII (128) Festus p. 492, 6 Th. 'speres antiqui pluraliter dicebant ut Ennius l. ii «et simul . . . nostras» et l. xvi [xix].'

VIII (129) Festus p. 194, 14 Th. 'occasus interitus . . . quo vocabulo Ennius pro occasione est usus in l. ii «hic . . . saltu». item in l. v [i]. item in l. viii [xx].'

IX (130) Festus p. 188, 30 Th. 'ningulus nullus, ut Ennius l. ii «qui f. m. atque inte ninculus mederi queat».' Enniani versus particulam interiisse prodit Pauli glossa 'ningulus nullus. Marcius vates «ne ningulus mederi queat».'

X (131) Festus p. 426, 4 Th. 'sum pro eum usus est enius l. i [xlix] et l. ii «at se se . . . oras».'

---

est discrepantia tenuis admodum ad hanc formam redit ētieo fufetioeo*; et haec quomodocumque in versu posita possunt videri ex Homerica imitatione expressa,* μεγάλοιο Κρόνοιο; ἱεροῖο δόμοιο; ἀνέμοιο δυσαέος ὀρνυμένοιο. *quam vero eandem vitii geminationem Quintilianus dicat, quam praecipue recuperare et in uno quidem nomine quaerens olim* Mettoi Fubettoi *posueram ad exemplum dativi* populoi Romanoi *a Mario Victorino* (*G. L. K.* vi *p.* 17, 20) *memorati, nec Buechelerus nec Ritschelius docuerunt. Alia nec mihi probabilia nuper exposita a Schoellio in mus. Rhen.* xl *p.* 320 *sq.* 128 *Distinxi: sententia enim, puto, haec est* et simul effugit (*Aen.* v 151), speres ita funditus nostras Evertens 131 Ad sese *putarunt, ego aliquando* Ast e se*; sed erat fortasse* At sese, sum quae dederat in luminis oras, Obtulit *vel* Prostravit

XI

132 «Ingens cura mis cum concordibus aequiperare

XII

133 «Adnuit sese mecum decernere ferro

XIII

134 «Ferro se caede*i* quam dictis his toleraret.

XIV

135 Haec inter se totum *egere diem tuditan*tes.

XV

136 «Quand*e* tuas omnes legiones ac popularis

XVI

137 tractatus per aequora campi

XI (132) Priscianus XIII p. 3, 6 H. ʻsic ergo *ἐμοῦ σοῦ οὗ* mei tui sui, *ἐμοῦς σοῦς οὗς* mis tis sis. sed propter supra dictam causam tacitus est tertiae huiuscemodi genetivus. Ennius in II «ingens cura mis cum concordibus (cum cordibus Heidelb. c̣ū concordibus Halb.) aequiperare (aequi$\overset{ar}{p}$are Sang.)».'

XII (133) Priscianus X p. 504, 26 H. ʻvetustissimi inveniuntur etiam produxisse (paenultimam perfectorum in ui desinentium) ut eruo erūi, arguo argui, annuo annūi. Ennius in II «adnuit (annuit) sese (om. pauci) m. d. ferro».'

XIII (134) Festus p. 540, 13 Th. ʻtolerare patienter ferre. Accius [466 R.]. Ennius l. II «ferro se *cęde* ... toleraret».'

XIV (135) Paulus Festi p. 531, 9 Th. ʻtuditantes significat negotium tundentes id est agentes. Lucretius (II 1142) «nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam».' Festus ʻ— — (u)ditantes tundentes | — — (en)tes significare ait Cincius | — — nius l. II «haec inter se totum | — — (t)es» et Lucretius item l. II [1142].'

XV (136) Festus p. 348, 7 Th. ʻquamde pro quam usos esse antiquos cum multi veteres testimonio sunt tam̄ huius (tum Ennius Ursinus) in primo (XLVIII) «Iuppiter ... qua deman' impe (interstitium trium litterarum) sc̄do (puto manus ui» idē in secundo) «*quan|dit uas* o. l. ac popularis» et Lucretius [I 640].'

XVI (137) Macrobii exc. Bob. G. L. K. V p. 651, 34 ʻtractare saepe trahere et habitare saepe habere ... Ennius «tractatus p. a. campi».'

---

133 *Intelligitur* decernere ferro Velle 134 caedi *Ursinus*: caede *Fuisse credas interrogationem huius modi* quis non magis ferro se caedi quam dictis his toleraret? 135 egere diem *addidi* tuditantes *Scaliger* 136 quande tuas *Ursinus*: quan|dit uas

XVII

138 Vulturus in *spinis* miserum mandebat homonem.
Heu quam crudeli condebat membra sepulcro.

XVIII

140 At tuba terribili sonitu taratantara dixit.

XVII (138) Priscianus VI p. 206, 23 H. 'vetustissimi tamen etiam homo homonis declinaverunt. Ennius «vulturus (vulturis Par. R Halberst.) in *silvis miserum* m. *homonem* heu . . . sepulcro». nam et vultur et vulturus (vulturis) et vulturius dicitur.' Eadem fere, nisi quod vulturis et hei, e schol. cod. Bamberg. in Statii Theb. III 508 teste O. Muellero affert L. Muellerus.

Charisius I p. 147, 15 K. 'vulturius . . Cicero . . . vultur Maro . . . volturus Ennius «vulturus in *spineto supinum* m. *hominem*».' Servius in Aen. VI 595 'sane in usu est vultur; licet Cicero vulturius dixerit . . . Ennius «vulturus (vulturis Reg. Mon. vulturius Sang.) in *campo* (silvis Carolir. Sang. Mon.) *miserum* (supinum Hamb. Flor. Cass.) m. *homonem*».'

XVIII (140) Priscianus VIII p. 450, 6 H. (ὀνοματοποιίαι) 'ut . . . taratantara. Ennius «at . . . dixit».' Servius in Aen. IX 501 'at tuba terribilem sonitum: hemistichium Ennii: nam sequentia iste mutavit: ille enim ad exprimendum tubae sonum ait «taratantara dixit».' Vergilius Aen. II 486 'at domus interior gemitu miseroque tumultu miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes femineis ululant; ferit aurea sidera clamor. tum pavidae tectis matres ingentibus errant amplexaeque tenent postes atque oscula figunt.' Servius in h. l. 'at domus interior: de Albano excidio (scil. quod est apud Ennium) translatus est locus.' Idem in Aen. II 313 'clangor Graecum est: nam κλαγγὴ dicitur. illud sane sciendum est, quia morem tetigit expugnationis; plerumque enim ad tubam evertuntur civitates, sicut Albam Tullus Hostilius iussit everti (apud Ennium videlicet).'

---

138 Vulturus (*vel* Volturus) *testimonia firmant; nec erat spernendum cum Bergkio* vulturis *flagitante; cf.* Iuppiter Anxurus *Aen.* VII 799 in spinis *H. A. Kochius exerc. crit. p.* 13 *coll. Aen.* VIII 645 raptabatque viri mendacis viscera Tullus per silvam et sparsi rorabant sanguine vepres*; et his nominibus variat Lucretius* IV 61 serpens exuit in spinis vestem: nam saepe videmus illorum spoliis vepres volitantibus auctas*; a Vergilio pendens Claudianus* XV 254 laniandaque dumis impia diversis aptarem membra quadrigis*; Livius haec copulat* XXXVIII 23, 7 pars in silvis mepribusque occisa*;* XXV 21, 3 in villis circa vepribusque et silvis disponit*; quare credibile est ex Ennii* in spinis *nata esse illa* in silvis, in campo*; ex hac forma* in spinu spineto *Bergkius opp.* I 150 *ortum esse* in spineto supinum *putat* hemonem *Merula, conf. Paulus Festi p.* 71, 18 *Th.* hemona humana et hemonem hominem dicebant 140 *Lucretius* VI 155 terribili sonitu

ANCUS MARCIUS XIX—XXII

XIX

141 Isque dies post aut marcus quam regna recepit

XX

142 et Tiberis flumen vomit in mare salsum

XXI

143 i caerula prata

XXII

144 Ostia munita est; idem loca navibus pulchris
Munda facit; nautisque mari quaesentibus vitam

XIX (141) Servius Danielin. in Aen. III 333 p. 401, 22 Thil. 'reddita more veteri pro data accipiendum est; re ergo abundat. Ennius annalibus [58], et alibi «isque dies post aut marcus quam r. recepit» pro accepit; aut reddita, quod Heleno debebatur imperium (et pro accepta ut reddita q. h. debatur i. Flor. quae correxi).'

XX (142) Macrobius Sat. VI 4, 3 'mane salutantum totis vomit aedibus undam (georg. II 462). pulchre «vomit undam» et antique; nam Ennius ait «et Tiberis . . . salsum».'

XXI (143) Festus p. 400, 31 Th. 'rigido | — — Ennius (523) locatus videtur | — — (l)i. est enim a manis no | — — re usus est. et l. II | — — i caerula prata»: cae | — — et alibi [524].'

XXII (144) Festus p. 346, 15 Th. 'quaeso ut significat idem quod rogo, ita quaesere ponitur ab antiquis pro quaerere, ut est apud Ennium l. II «Ostia m. est idem *loca* navibus *pulchris mundo facit nautisque mari* quę sentibus vitam» et in Chresponte [II] et in Andromeda [VII].' Paulus 'quaeso significat id quod rogo. quaesere tamen Ennius pro quaerere posuit.' Paulus p. 121, 3 Th. 'mundus quoque appellatur lautus et purus.' Festus ex apogr. l. XII 'Ennius «idem *loco* navibus *celsis munda facie atque etiam aere*».'

---

141 postquam Ancus Marcius *Ilbergius* pos aui quam Marcius *Bergkius. Si haec ad Ancum Marcium pertinent, et reliqui hoc loco, possit* ancus *pro* marcus *scribi* Isque dies post aut Ancus quam regna recepit Aut obiit Tullus*; sed res est valde incerta; de orationis forma conf. Varro de l. L.* VI 18 non multo enim post hic dies quam decessus Gallorum ex urbe 142 *Ne quid supplendi metri causa prave addatur, haec ad situm Ostiae pertinere Ovidius fast.* IV 291 Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum dividit et campo liberiore natat *et Festus subindicat p.* 228, 14 *Th.* Ostiam urbem ad exitum Tiberis in mare fluentis Ancus Marcius rex condidisse et feminino appellasse vocabulo fertur 143 Neptuni *vel* ponti c. p. *augurantur incerta coniectura, nisi quod haec quoque ad Tiberim et Ostiam referri videantur*

ANNALIUM LIB. III

I

TARQUINIUS PRISCUS I—IX

146 Olim de caelo laevum dedit inclytus signum

II

147 Et densis aquila pennis obnixa volabat
Vento quem perhibent Graium genus aera lingua.

III

149 Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit

IV

150 Tarquinio dedit imperium simul et sola regni

V

151 Circum sos quae sunt magnae gentes opulentae

LIB. III I (146) Nonius p. 51, 14 'levum significari veteres putant quasi a levando . . . Ennius annali lib. III «olim . . levum . . signum».'

II (147) Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 19, 11 Keil. 'pro aere venti hic extrinsecus accipiuntur: ad quod argumentum collegimus Ennii exemplum de annalium tertio «et densis a. pennis (pinnis vel primis alii) . . . lingua».' Cf. Cicero de leg. I 1, 4 ad II fr. I adscr.

III (149) Festus p. 428, 20 Th. 'sos . . . interdum pro suos ponebant ut cum per dativum casum idem Ennius effert «postquam . . . reliquid».' Paulus 'sos interdum pro suos ponebant; per dativum casum idem Ennius effert «postquam lumina sis oculis» pro suis.'

IV (150) Festus p. 426, 33 Th. 'solum terram Ennius l. III «Tarquinio d. i. simul et s. r.» et aliubi [455].'

V (151) Festus p. 428, 14 Th. 'sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius l. I [XVII] et l. III «circum . . . opulentae». l. VII [XVIII]. l. XI [II].'

---

146 Olli *Passeratius* 147 *sq.* aquila in *Keilius,* aquila hinc *Lachmannus ad Lucr.* II 27; *intelligas* densis pennis vento obnixa volabat: *de* vento quem perhibent aera *cf. Epicharm.* VII. *Cicero de nat. deor.* II 36, 91 spirabili natura, cui nomen est aer, Graecum illud quidem sed perceptum iam tamen usu a nostris . . . dicaturque tam aether Latine quam dicitur aer; *Acad. post.* I 7, 26 aer, hoc quoque utimur enim pro Latino 149 *Cf. Lucretius* III 1025 lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit 150 dedit *scil.* populus; *cf. Cicero de re p.* II 20, 35 itaque mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius

VI

152 «Hac noctu filo pendebit Etruria tota.

VII

153 Postquam defessi sunt st*are* et spargere sese
Hastis, ansatis concurrunt undique telis

VIII

155 Exin Tarquinium bona femina lavit et unxit.

IX

156 Prodinunt famuli: tum candida lumina lucent.

VI (152) Macrobius Sat. I 4, 17 'Ennius enim, nisi cui videtur inter nostrae aetatis politiores munditias respuendus, «noctu concubia» dixit his versibus [164 sq.]. [18] quo in loco animadvertendum est non solum quod «noctu concubia» sed quod etiam «qua noctu» dixerit. et hoc posuit in annalium septimo, in quorum tertio clarius idem dixit «hac . . . tota».'

VII (153) Macrobius Sat. VI 1, 16 'concurrunt undique telis indomiti agricolae (Aen. VII 520). Ennius in III «postquam . . . *stant* et . . . telis».'

VIII (155) Servius in Aen. VI 219 'lavant frigentis et ungunt: versus Ennii qui ait «*Tarquinii corpus* bona f. lavit (labit Flor.) et unxit».' Donatus in Ter. hec. I 2, 60 'uxor dicitur . . . vel quod lotos maritos ipsae ungebant, cuius rei Ennius testis est «*exin Tarquinium* (Tarquinum Oxon.) bona . . . unxit».'

IX (156) Festus p. 284, 23 Th. 'prodinunt prodeunt, ut Ennius annali l. III «prodinunt . . . lucent».' Paulus 'prodinunt prodeunt. Ennius «prodinunt . . . lucent».'

---

152 *Cf. Valerius Max.* VI 4, I cum admodum tenui filo suspensa rei publicae salus ex sociorum fide penderet 153 stare et *scripsi*: stant et*; conf. v.* 571 decretumst stare et fossari corpora stantes *Scriverius* 154 hastis ansatis *Columna, cf.* 172 *Huic adnecti poterat* 572 *in hunc tenorem* concurrunt undique telis Etiam pes premitur pede et armis arma teruntur, *coll. Sil. It.* IV 351 *sqq. sed vide etiam ann.* 443 *sqq.* 155 Tarquinii corpus *quod est apud Servium* (*unde* Tarcuini c. *effecerunt; melius erat* Tarquinium corpus *ut* Tarquinium nomen) *fortasse errore ortum est ex Vergilii versu qui habet* corpusque lavant f. et ungunt 156 *Cum lychnis scilicet vel cum ardentibus taedis* prodinunt famuli, *ne quis* famuli tum c. *iungi iubeat cum Bergkio opp.* I *p.* 312*; cf. Verg. Aen.* XI 143 *sqq. et Servius Danielin. ad h. l. Od.* XIX 25 *δμωὰς δ᾽ οὐκ εἴας προβλωσκέμεν, αἵ κεν ἔφαινον et* 34 *πάροιθε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη, χρύσεον λύχνον ἔχουσα, φάος περικαλλὲς ἐποίει; ibid.* XXIII 294*; Aristoph. ran.* 1338 *ἀλλά μοι, ἀμφίπολοι, λύχνον ἅψατε*

X

SERVIUS TULLIUS X. XI

157 Et qui se*xtus* erat Romae regnare quadratae

XI

158 Inde sibi memorat unum super esse laborem.

XII

159 Caelum *su*spexit stellis fulgentibus aptum.

ANNALIUM LIB. IV

I

160 «No*b*is unde forent fructus vitaeque propagmen

X (157) Festus p. 346, 9 Th. 'quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur, ubi reposita sunt quae solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quia saxo munitus est initio in speciem quadratam. eius loci Ennius m. (h. e. meminit) cum ait «*et quis est* erat R. r. q.».'

XI (158) Gellius I 22, 14 'an superesse dixerint veteres pro restare et perficiendae rei deesse, quaerebamus. [15] nam Sallustius in significatione ista non superesse sed superare dicit ... [16] sed invenimus in tertio Enni annalium in hoc versu «inde ... laborem» id est reliquum esse et restare, quod, quia id est, divise pronuntiandum est, ut non una pars orationis esse videatur sed duae.'

XII (159) Macrobius Sat. VI 1, 9 'axem humero torquet stellis ardentibus aptum (Aen. IV 482. VI 797). Ennius in I [XXIII] et in tertio (in III, om. et, Salisb.) «caelum *prospexit* ... aptum» (et in ... aptum om. Par.), in X (VIII) «hinc Nox processit stellis ardentibus apta».'

LIB. IV I (160) Nonius p. 64, 31 'propages est series et adfixio continua vel longe ducta. pages enim conpactio unde conpages; et propagare

---

157 Et qui sextus erat *Hertzius*: et quis est erat Et qui se sperat *Salmasius* *Tenui quae nunc vulgo spernitur Hertzii emendatio: oratio quo tenore haberi potuerit Dionysius Halic. ostendere potest, qui* III 65, 6 *Servium Tullium imperatorem rem gerentem in bello Tarquinii cum Sabinis ita designat* ἔταξεν ἄνδρα γενναῖον . . . ᾧ Ῥωμαῖοι μετὰ τὴν Λευκίου Ταρκυνίου τελευτὴν βασιλεύειν τῆς πόλεως ἐπέτρεψαν 159 suspexit *scripsi*: prospexit*; quod fortasse in versu proximo quod sequitur* processit *errore creavit. Cf. Cicero de nat. deor.* II 18, 49 dum palato quid sit optimum iudicat, caeli palatum, ut ait Ennius (*inc.* XVI), non suspexit*; idem ibid.* II 2, 4 cum caelum suspeximus*;* III 4, 10 cum caelum suspexissemus*; Aen.* XII 196 Suspiciens caelum tenditque ad sidera dextram 160 Nobis *Iunius*: novis *vel* bonis propagmen*: cf. Lachmannus ad Lucr.* VI 613 *Hoc responsum*

II

161 Romani scalis: summa nituntur opum vi.

III

162 Vulsculus perdidit Anxur. A. U. C. CCCXLVIII

IV

163 non*is* Iunis soli luna obstitit et nox A. U. C. CCCL

genus iuge longe mittere. Pacuvius Antiopa (20 R.) «salvete, gemini, mea propages sanguinis». Ennius «*novis* unde *florent* (forent Wolf.) f. *vitaeque propaginem*».' Idem p. 221, 8 'propago, propages ut saepe generis est feminini. Pacuvius Antiopa «salvete, gemini, mea propages sanguinis». neutri Ennius «*bonis* unde (boni secunde Harl. m. pr. Leid. Escur. boni secundi Flor. m. pr.) *forent* f. *utaeque* (aeque Flor. m. pr.) *propagmen* (propagimen Harl. Leid. m. pr. Escur.)».'

II (161) Macrobius Sat. vi 1, 17 'summa nituntur opum vi (Aen. xii 552). Ennius in quarto «Romani (Ennius in [interstitium trium litterarum] Romanis Par. Romanis etiam Neap.) scalis s. n. opum vi» et in xvi [iii].' Servius in Aen. xii 552 'summa nituntur opum vi: hemistichium Ennianum.'

III (162) Paulus Festi p. 16, 36 Th. 'Anxur vocabatur quae nunc Tarracina dicitur Vulscae gentis, sicut ait Ennius «Vulsculus perdidit Anxur».'

IV (163) Cicero de re p. i 16, 25 'id autem postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit, anno quinquagesimo [ccc] fere post Romam conditam «non Iunis . . . nox»; adque hac in re tanta inest ratio adque sollertia, ut ex hoc die quem aput Ennium et in maximis annalibus consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint usque ad illam quae nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo.'

---

esse Cincinnati ab agris ad dictaturam vocati a. u. ccxcvi, *cui Dionysius haec tribuit* (x 24 *p.* 37, 26 *K.*) ἀπολεῖται ἄρα καὶ τούτου τοῦ ἐνιαυτοῦ ὁ καρπὸς διὰ τὰς ἐμὰς ἀσχολίας καὶ πεινήσομεν ἅπαντες κακῶς, *probare studui prooem.* 1892/93 *p.* 7 161 *Intelligitur* temptant ascendere muros R. scalis: summa n. o. vi; *videtur enim hoc hemistichium et hoc loco ut altero per se positum esse. Cf. Aen.* ix 505 quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros; *Livius* xxxvi 24, 4 partim scalis ascensus temptant; xxxvii 32, 4 alii scalis etiam ascensum in muros temptarent. *Quamquam etiam in unum coire poterat* ascendere muros R. scalis nituntur, *velut Livius* xliv 11, 8 his tuentibus muros cum subire Romani summa vi niterentur, *sed illud probabilius* 162 Vulsculus: *cf. Bergkius opp.* i *p.* 215; *Mommsenus de dial. Ital. inf. p.* 245. 262 163 nonis *edd.* Quom nonis *Bergkius* Iunis: *cf. Lachmannus ad Lucr.* v 85; Iunonis *Hullemanus de annal. max. p.* 73 *coll. Macrobii Sat.* i 12, 30

V

GALLICUS TUMULTUS A. U. C. CCCLXIV

164 Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti
Moenia concubia vigilesque repente cruentant

ANNALIUM LIB. V

I

166 Iniicit inritatus: tenet occasus, iuvat res.

II

BELLUM SAMNITIUM A. U. C. CCCCXI

167 Bellum aequis manibus nox intempesta diremit.

III

168 euax aquast aspersa Latinis

V (164) Macrobius Sat. I 4, 17 'Ennius enim, nisi cui videtur inter nostrae aetatis politiores munditias respuendus, «noctu concubia» dixit his versibus «qua Galli . . . cruentant». [18] quo in loco animadvertendum est non solum quod «noctu concubia» sed quod etiam «qua noctu» dixerit. et hoc posuit in annalium septimo (quarto correxi, h. e. ex VII effeci IIII), in quorum tertio clarius idem dixit [VI].' Osbernus panorm. (thes. nov. Lat.) A. Mai class. auct. VIII p. 148 'concubium quaedam pars noctis. Ennius «qua . . . cruentant».'

LIB. V I (166) Festus p. 194, 15 Th. 'occasus interitus . . . : quo vocabulo Ennius pro occasione est usus in l. II [VIII]. item in l. V «inicit inritatus . . . res». item in l. VIII [XX].'

II (167) Acro in Hor. ep. II 2, 98 'lento Samnites ad lumina prima duello: sensus: invicem odiosi sumus fallendo nos et mala carmina praedicantes et hoc sine fine facientes ut Romani quondam pugnaverunt cum hostibus Samnitibus usque ad noctem; unde et Ennius inquit «bellum (vel Ennius bellum inquit) aequis manibus . . . diremit».'

III (168) Charisius II p. 240, 6 K. 'euax. Plautus in Bacchidibus (247) «euax aspersisti aquam» (fili nuntio). Ennius quoque annalium libro «aquast aspersa Latinis».' sic cod. Neap. 'annalium [Euax] liber aquas istas pe[r]nsa lituus' excerpta Cauchiana: quae sunt plane eadem leviter corrupta quae habet cod. Neapolitanus neque iis quicquam communionis est cum exemplo Plautino; nisi quod euax quod desideratur in Neap. recte adiectum est in excerptis; vide relat. acad. a. 1899 p. 275 sq. De euax cf. Varro de l. L. VII 93 et C. Gl. L. II p. 316, 25.

---

164 Qua *h. e.* qua via, *non* qua noctu *et Macrobius hac parte peccat; cf. Bergkius symb. gr. Lat.* I *p.* 79 167 aequis manibus *h. e.* Marte aequo, *ut Livius scribit* XXVII 12, 10 cum iam nox instaret, Marte aequo discessum est, *et huc respiciens* 13, 5 aequis manibus hesterno die diremistis pugnam 168 aqüast *Bergkius opp.* I 309. 345, *cf. Lachmannus in Lucr.* VI 552

IV

169 Cives Romani tunc facti sunt Campani.

V

170 Cum nihil horridius umquam lex ulla iuberet

VI

171 Cogebant hostes lacrimantes ut misererent.

VII

172 ansatas mittunt de turribus

VIII

173 Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen.

ANNALIUM LIB. VI

I

174 Quis potis ingentis oras evolvere belli PYRRHI BELLUM I—XIX

IV (169) Fragm. de metris G. L. K. vi p. 612, 6 'hexameter heroicus . . . totus ex spondiis «cives . . . Campani».' Ibid. p. 616, 9 'ac primus trimetrus sit heroicus spondiazon «cives . . . Campani».' Referunt editores ad Ennium: cuius si est, de quo licet dubitare, huic sedi recte vindicatus est.

V (170) Orosius hist. iii 9,5 'anno autem post hunc (quem 9, 1 dixit 'ab urbe condita ccccviiii') subsequente Minucia virgo Vestalis ob admissum incestum damnata est vivaque obruta in campo, qui nunc sceleratus vocatur.' Eadem Livius viii 15, 7 ad a. u. c. ccccxvii. Supra Orosii verba ruta . . . nunc in cod. Sangall. 621 saec. x manu Ekkeharti iv scripta sunt 'Ennius «cum . . . iuberet».' De 'scelerato campo' Festus p. 494, 22 Th.

VI (171) Priscianus viii p. 428, 14 H. (misereo) 'quo vetustissimi sunt usi, ut supra dictum est. Ennius in v annalium «cogebant hostes (hostis pauci) . . misererent».'.

VII (172) Nonius p. 556, 24 'ansatae iaculamenta cum ansis. Ennius lib. v «ansatas . . . turribus».' Cf. C. Gl. L. vi 1 p. 73.

VIII (173) Macrobius Sat. vi 4, 4 'agmen pro actu et ductu quodam ponere non inelegans est, ut «leni fluit agmine Thybris» (Aen. ii 782); immo et antiquum est. Ennius enim in quinto ait «quod . . . flumen».'

LIB. VI I (174) Quintilianus vi 3, 86 'dissimulavit Cicero, cum Sex. Annalis testis reum laesisset et instaret identidem accusator 'dic M. Tulli si quid potes de Sexto Annali'; versus enim dicere coepit de libro Ennii annali sexto «*quis* . . *causas* e. belli».' Macrobius Sat. vi 1, 18 'et mecum

---

172 hastas *add. Columna,* altis *Quicheratius; cf.* 154 173 *Lucretius* v 271 (vi 637) inde super terras fluit (redit) agmine dulci 174 ingentis oras belli*: cf. Lachmannus ad Lucr.* iv 142

II

175 Tum cum corde suo divum pater atque hominum rex
Effatur

III

177 Navus repertus homo Graio patre Graius homo rex

IV

178 Nomine *Bu*rrus uti memorant a stirpe supremo

V

179· «Ai*i*o te Aeacida Romanos vincere posse.

ingentes oras evolvite belli (Aen. IX 526). Ennius in VI «*quis* (qui Sal.) p. ingentes *oras* e. belli».' Servius in Aen. IX 526 'oras evolvite belli: hoc est ingentis belli. narrate non tantum initia sed etiam extrema bellorum. nam orae sunt extremitates.' add. Danielin. 'est autem Ennianum «*qui* .. *oras* e. belli».' Diomedes I p. 385, 32 K. 'dicebant . . potis est pro potest, ut apud . . Ennium «*quis* . . *oras* evolvere (orase volvere Par. B orare volvere Par. A oras evolare Mon.) belli».'

II (175) Macrobius Sat. VI 1, 10 'conciliumque vocat divum pater atque hominum rex (Aen. X 2). Ennius in VI «tum (tunc Neap.) . . . effatur».'

III (177) Festus p. 170, 33 Th. 'navus celer ac strenuus a navium velocitate videtur dictus. Ennius l. VI «navus . . . rex» et l. XVI [XVII].'

IV (178) Nonius p. 226, 30 'stirpem generis feminini . . . masculino Ennius annalium lib. V (VI Merula) «*homines pyrrus* uti m. a styrpe supremo».' Festus p. 454, 30 Th. 'stir — — — | re antiqu(i) . . . . . . | «*nomine pyrrh* — — | a stirpe supremo».' Idem p. 402, 15 Th. 'recto fronte . . . antiquae id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque «a stirpe supmo» et «Ilia dia nepos» (55) et «lupus feta» (68) et «nulla metus» (549. scen. 407).' Cf. Paulus p. 42, 27 Th. et Festus p. 138, 27 Th. ad XI fr. IV adscr.

V (179) Cicero de div. II 56, 116 'Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? num minus ille potuit de Croeso quam de Pyrrho fingere Ennius? quis enim est qui credat Apollinis ex oraclo Pyrrho esse responsum «aio

---

175 cum corde suo*: cf.* 540 effudit voces proprio cum pectore sancto   divum pater atque hominum rex *saepe variata formula; vide* 580. 581   178 Pyrrhus *vel* Pyrrus *Nonius et Festus, sed Cicero orat.* 48, 160 Burrum semper Ennius, numquam Pyrrhum; 'vi patefecerunt Bruges' (*scen.* 176) non Phryges; ipsius antiqui declarant libri *et Quintilianus* I 4, 15 sed b quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde Burrus et Bruges et Belena. *Cf. Paul. Fest. p.* 22, 30 *Th.* *πυῤῥόν* burrum, *πύξον* buxum dicebant. *Ter. Scaurus G. L. K.* VII *p.* 14, 5   *Ceterum* nomine *recte scribi, Nonium peccare, et hos duos versus, in quibus frustra emendandi occasio quaeritur, continuos sexto libro, quem Festus dicit, non quinto, quem Nonius, recte adscribi, accuratius exposui in actis acad. a.* 1886 ('*Über die Annalen des Ennius*') *p.* 11 *sq.*

VI

stolidum genus Aeacidarum:
Bellipotentes sunt magis quam sapientipotentes.

. . . posse». primum Latine Apollo numquam locutus est; deinde ista sors inaudita Graecis est; praeterea Pyrrhi temporibus iam Apollo versus facere desierat; postremo, quamquam semper fuit, ut apud Ennium est, «stolidum . . . bellipotentes (belli petentes Voss. B m. pr.) . . . sapientipotentes» (vi), tamen hanc amphiboliam versus intellegere potuisset 'vincere te Romanos' nihilo magis in se quam in Romanos valere.' Aurelius Victor de vir. ill. 35, 1 'Pyrrhus rex Epirotarum . . . cum imperium orbis agitaret et Romanos potentes videret, Apollinem de bello consuluit: [2] ille ambigue respondit «aio . . . posse».' Ammianus Marcellinus xxiii 5, 9 'nam et oracula dubia legimus . . . sortemque his posteriorem veram quidem sed non minus ambiguam «aio te eacida . . . posse».' A Cicerone pendens Minucius Felix Octav. 26, 6 'de Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit, cum iam Apollo versus facere desisset; cuius tunc cautum illud et ambiguum defecit oraculum, cum et politiores homines et minus creduli esse coeperunt.'

Augustinus de civ. dei iii 17 p. 125, 2 Domb. 'cui (Pyrrho) sane de rerum futuro eventu consulenti satis urbane Apollo sic ambiguum oraculum edidit, ut e duobus quidquid accidisset ipse divinus haberetur; ait enim «dico te Pyrrhe vincere posse Romanos».' Hieronymus comm. in Isaiam lib. xii c. 41 t. iv p. 504 A Vallars. 'sic sententias temperarint, ut seu boni seu mali quid accidisset, utrumque posset intelligi, ut est illud Pyrrhi regis Epirotarum «aio . . . posse» et Croesi «Croesus transgressus Halym maxima regna perdet».' Quintilianus vii 9, 6 'in coniunctis plus ambiguitatis est. fit autem per casus, ut «aio te eacida . . . posse».' Porphyrio in Hor. art. poet. 403 'dictae per carmina sortes: per versus exametros reddidit responsa Phemonoe t pyrroclio tamquam purphoeri poetae (haec extrema Plasbergius Pyrrho Epirotae interpretatur, mihi talia legere videbar Phemonoe et Pyrro Clio tamquam προφορᾷ (prophora) poetae) «aio . . . posse».' Charisius iv p. 271, 28 K. 'amphibolia . . . sententia, ut «aio te eacida . . . posse».'

Diomedes ii p. 450, 3 K. 'amphibolia . . . in ambiguo posita sententia ut «aio . . . posse».' Isidorus orig. i 33, 13 'amphibologia ambigua dictio . . . per casum accusativum ut illud responsum Apollinis ad Pyrrhum «aio . . . posse».' Priscianus xviii p. 234, 21 H. 'auctores frequentissime hyperbatis id est transitionibus utuntur, ut «aio te Aeacida (eacida) . . . posse». est enim ordo: te Aeacida: id est quod Romani te possunt vincere.' Donatus art. gr. G. L. K. iv p. 369, 2 (positione longae fiunt syllabae cum correpta vocalis desinit) 'in i litteram solam inter duas vocales loco consonantis positam [quam nonnulli geminant], ut «aio . . . posse».' Inc. de ult. syll. G. L. K. iv p. 221, 11 'i littera duplicem sonum designat una quamvis figura sit, si undique fuerit cincta vocalibus ut . . . «aio . . . posse».' Velius Longus G. L. K. vii p. 55, 24 'quotiens . . duabus vocalibus interiecta haec littera (i) est, duarum consonantium obtinet vicem; sic non erit acephalus versus . . . et «aio . . . posse».' Non imperite Valesius versum in hunc modum Graece convertit: *νικᾶν σ' Αἰακίδη Ῥωμαίους φημὶ δύνασθαι.*

VI (180) Cicero de div. ii 56, 116 ad v adscriptus. Ad sententiam scite confertur Hesiodi fr. 225 Rzach.

VII

182 *I*ntus in occulto mussaba*n*t

VIII

183 Proletarius publicitus scut*i*sque feroque
Ornatur ferro, muros urbemque forumque
Excubiis curant

IX

186 Balantum pecudes quatit, omnes arma requirunt

X

187 Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt,
Percellunt magnas quercus, exciditur ilex,
Fraxinus frangitur atque abies consternitur alta,

VII (182) Paulus Festi p. 425, 5 Th. 'summussi murmuratores. Naevius «odi» inquit «summussos . . .».' Festus '— — ussi dicebantur | — — Naevius . . . Ennius in sexto | «— — ntus in occulto mussa | — — s in Andromacha [VIII].' Paulus p. 127, 6 Th. 'mussare murmurare. Ennius «in occulto mussabat». vulgo vero pro tacere dicitur, ut idem Ennius (446) «non decet mussare bonos».' Cf. C. Gl. L. VI 1 p. 721.

VIII (183) Gellius XVI 10, 1 'legebatur in consessu forte conplurium Enni liber ex annalibus. in eo libro versus hi fuerunt «*proletarius* publicitus (iam add. Par. Voss. mai.) *sicuti isque* (sicut iisque) *feroque ornatur* ferro muros (mur' Par. Voss. mai.) . . excubis curant». [2] tum ibi quaeri coeptum est quid esset proletarius . . . [5] nam Q. (namque codd.) Ennius verbum hoc ex duodecim tabulis accepit, in quibus . . . ita scriptum est [I 4 p. 116 Schoell.]. [6] petimus igitur ne annalem nunc Q. Ennii sed duodecim tabulas legi arbitrere' eqs. Nonius p. 155, 21 (ex Gellio) 'proletarii cives dicebantur qui in plebe tenuissima erant et non amplius quam mille et quingentos aeris in censum deferebant. Ennius annali «*proletari ut* p. *scutaque ferique ornatus*».'

IX (186) Macrobius Sat. VI 1, 54 'pulverulentus eques furit: omnes arma requirunt (Aen. VII 625). Ennius in VI «balantum (balatum) . . . requirunt».'

X (187) Macrobius Sat. VI 2, 27 'itur in antiquam silvam stabula alta ferarum. procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur scinditur, advolvunt ingentes montibus ornos (Aen. VI 179). Ennius in VI «incedunt . . . frondosai (191)».'

---

182 Intus *O. Muellerus* mussabat *Paulus Thewrewkii* mussabant *vulgo* Quintus . . . mussabat *Merula* 183 scutisque *Iuntina Gellii* scuteisque *Gronovius* 186 Balantum pecudes *Lucretius* II 369 *(cf. Verg. georg.* I 272 *Aen.* VII 538*), ne corrigendo pergant hariolari* 187 peralta *Is. Hilbergius*

190 Pinus proceras pervortunt: omne sonabat
Arbustum fremitu silvai frondosai.

XI

192 «Qui antehac invicti fuere viri, pater optime Olympi,
Hos ego in pugna vici victusque sum ab isdem.

XII

194 «Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:
Non cauponantes bellum sed belligerantes,
196 Ferro, non auro, vitam cernamus utrique.

XI (192) Orosius hist. IV 1, 14 in narratione pugnae Heracleensis 'sed Pyrrhus atrocitatem cladis quam hoc bello exceperat dis suis hominibusque testatus est adfigens titulum in templo Tarentini Iovis, in quo haec scripsit «qui *antehac* (antehoc Rehd.) invicti fuere *viri* p. o. O. hos ego in *pugna* vici *victusque* sum ab isdem (hisdem)»; et cum a sociis increpitaretur cur se victum diceret qui vicisset, respondisse fertur: ne ego si iterum eodem modo vicero sine ullo milite Epirum revertar.' Eadem historia miscella II 16 p. 31, 3 Eyss., cuius cod. Bamb. 514 titulum ita scriptum exhibet: 'qui *antea* invicti fuere *vires* p. o. O. hos ego in *pugnā* vici *victus* sum ab hisdem.'
Ennio Lud. Lautius vindicavit versus. Cf. Naekius opusc. I 212 qui et ipse versus Ennianos habet, mitigatos fortasse ab eo, cui Orosius debet, Livio: quos ille eleganter hoc Graeco epigrammatio expressit: *Ζεῦ πάτερ, οἳ τὸ πάροιϑεν ἀνίκατοι πέλον ἄνδρες, οἱ μὲν ἐνικήϑησαν, ἐνικήϑην δὲ πρὸς αὐτῶν.*

XII (194) Cicero de off. I 12, 38 'Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara «nec . . . dis (201)». regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia.' Servius in Aen. X 532 'gnatis parce tuis: . . . parce autem est

---

190 ꝓceros *Par.* proceres *alii* pu°rtunt *Par.* 192 *Reliqui quae Orosius dedit, qui cum ne versus quidem descripserit in afferendis verbis lapsus videtur; sed nec* antehac *(cf.* 203 *et Paulus Festi p.*6, 19 *Th.* antehac Terentius pro antea ponit*;* q. i. ante fuere *Pithoeus in hist. misc.) neque vero* viri (fuerant *sine* viri *Heynius opp. acad.* II 230) *velis abesse: quae retineri non possunt ita ut quod oportet versus duo integri exstent, nisi hoc modo* qui invicti antehac fuere viri, fuere *ut sit bisyllabum: sed haereo incertus;* qui invicti fuvere viri p. o. O. (fuvere *cum Lautio*) *Zangemeisterus* 193 et ego in p. *Pithoeus* egomet p. *cum Sang. corr. Zangemeisterus* ego vi pugna *Speijerus Mnemos.* XIX (1891) *p.* 50 195 non *Pal. Harl.* nec *ceteri* *Aeschylus septem* 528 *ἐλϑὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην cf. G. Canterus nov. lect.* III 9
196 ferro non auro*: de Camillo Livius* V 49, 3 ferroque non auro recuperare patriam iubet*; de eodem Plutarchus vit. Cam.* 29, 2 *ὡς σιδήρῳ πάτριόν ἐστι Ῥωμαίοις, οὐ χρυσῷ τὴν πατρίδα σῴζειν*

197 Vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors
Virtute experiamur. et hoc simul accipe dictum:
199 Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem *libertati me* parcere certum est.
201 Dono, ducite, doque volentibus cum magnis dis.

XIII

202 «Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementes sese flexere via*i*?

XIV

204 «sed ego hic animo lamentor

secundum antiquos serva, ut apud Lucilium et Ennium invenitur.' Pertinet ad 199. 200 et falso olim editores versiculo qui Vergilii est Ennium locupletarunt. V. 196 Servio in Aen. XII 709 addiderunt Itali.

XIII (202) Cicero Cat. mai. 6, 16 'ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset; tamen is, cum sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius «quo vobis . . . dementes sese flexere *via*» ceteraque gravissime; notum enim vobis carmen est.' Hanc dementes sese flexere via potiorum codicum scripturam esse, ex qua non sine consilio dementi se (vel sese) flexere via et nonnulla etiam liberiora videntur effícta, ex Christiani Dahlii duobus libellis 'Zur Handschriftenkunde des Cato m.' (Christianiae) I (1885) p. 13 et II (1886) p. 22, et ex S. G. de Vriesii commentatiuncula de cod. Cic. Cat. mai. Ashburnhamensi nunc Paris. (Lugd. Bat. 1889) p. 26 cognoscitur.

XIV (204) Donatus in Ter. Phorm. V 4, 2 'parare in animo: et venuste

---

197 era *pars librorum* hera *vulgo; intelligitur autem, puto,* era Fors; *sic Leo quoque intellexit, cuius vide anal. Plaut.* I (*Gotting.* 1896) *p.* 20 198 accipe: *cf. Reisigius coniect. in Arist. p.* 35 199 Quorum *Pal. Bern. c* quorumve *ceteri, corr. Ambr. Bamb.* virtuti *Ambr. Bern. c* virtute *Bamb. m. pr. Herb. Bern. b* 200 Eorundem *trisyllabum, tetigit Lachmannus ad Lucr.* VI 456 libertati me *idem*: me libertati 201 Dono, ducite, doque*: cf. Verg. Aen.* V 385 ducere dona iube. *De imperativo interposito dixi in prooem.* 1880 *p.* 16
203 viai *post Lambinum* (*ad Hor. carm.* III 5, 45) *Lachmannus ad Lucr.* I 29, *qui* a *pro* ai *in his genetivi formis saepe scribi in codd. Lucretianis probat; ad sententiam nihil simplicius aut aptius, quam* quo viai sese flexere*; Lucretius* III 498 feruntur qua quasi consuerunt et sunt munita viai*; Iliad.* XXIV 201 *ὤ μοι πῇ δή τοι φρένες οἴχονθ᾽ ᾗς τὸ πάρος περ ἔκλε᾽ ἐπ᾽ ἀνθρώπους; nec de positu dubitare sinit vel Ovidius am.* II 11, 1 *sq.* 204 sed quid ego *ex dett. vulgatur; cf.* 314

XV

205 Aut animos superant atque asp rima era belli
Spernunt

XVI

207 Orator sine pace redit regique refert rem.

additum animo. Ennius (Ennius om. in lac. Ricc. Oxon.) in sexto (vi°) «sed (sed et Ricc. Oxon.) ego ... lamentor».'

XV (205) Schol. Veron. in Aen. v 473 p. 95 Keil. ii p. 18 Herrm. 'hic victor superans (animis tauroque superbus) —— (sse cui superes — animus) pugnandi vires | «si superant fetus, pariter frumenta sequentur». Ennius in vi «aut animos superant atq. asp — rima | — — era belli spernunt». quod tamen Democritus — — — cuius ex gloria est | — eficiat probat animos sibi post pugnam superesse, et ferunt Pollucem victo Amyco bacchia | — — — | dominus — — appareret long — | — esse victoria.' Totam adnotationem adscripsi, quae quamvis magnis sit hiatibus interrupta, tamen aliquo modo licet interpretis mentem agnoscere: qui affertur versus, georg. i 189, similitudinis causa afferri videtur, qua, ut si superant fetus pariter frumenta sequentur, sic cui superesset animus pugnandi superesse vires probetur; et haec quae summa esse sententia videtur apertius proditur proximis probat animos sibi post pugnam superesse. in exemplo Pollucis et Amyci, quod supplere non possum, bracchia puto scriptum fuit. verba autem Ennii, quod prave dubitatur, ad spernunt usque pertinent; haec enim in unam sententiam coeunt 'superant animis atque aspera belli (quae quidem perpessi sunt) spernunt' h. e. nauci faciunt.

XVI (207) Varro de l. L. vii 41 'apud Ennium «orator ... rem». orator dictus ab oratione; qui enim verba [orationum] haberet publice adversus eum quo legabatur, ab oratione orator dictus; cum res maior, orationi legabantur potissimum qui causam commodissime orare poterant. itaque Ennius ait «oratores doctiloqui» (582, ubi vide adnotata).'

---

205 animo *Keilius* asperrima *A. Maius* aspera prima *Keilius in mus. Rhen.* vi (1848) *p.* 375 *hac forma proposita* atque aspera prima Munera belli spernunt, *postea in editione, quia* f *vel* d *ante* era *agnosci videretur, hac* aspera prima | (sequuntur Nec) fera belli spernunt, *ab A. Herrmanno recepta; utrumque Keilii commentum non uno argumento reiectaneum; et verborum* sequuntur nec *ipso editorum testimonio constat nihil in codice apparere; ne de spatio quidem, quoniam Keilius ipse variavit, certum indicium. Mihi verisimile visum est primum versum in* belli *desiisse, a* spernunt *incepisse alterum: quo posito sic scribi potest* Aut superant animo atque asperrima volnera belli Spernunt aut —; superant animo *ut in Vergilii versu* superans animis; volnera *olim conieci;* belli volnera sufferre *Lucretius* v 1303. *Si vero* fera *recte legitur (quod mihi affirmat Plasbergius), possis* asperrima et effera belli, *sed incerta sunt omnia. De sententia vide quae Plutarchus in Pyrrhi vita* 21, 13 *post Asculanam quidem pugnam Pyr-*

XVII

208 «divi hoc audite parumper,
Ut pro Romano populo prognariter armis
210 Certando prudens anima*m* de corpore mitto.

XVIII

211 Vertitur interea caelum cum ingentibus signis.

XIX

212 Ut primum tenebris abiectis in*d*albabat

ANNALIUM LIB. VII

I

EXORDIUM I. II

scripsere alii rem
214 Versibus quos olim Faun*ei* vatesque canebant,

XVII (208) Nonius p. 150, 6 'prognariter strenue fortiter et constanter. Plautus Persa [588]. Ennius annalium lib. VI «*diu* ... prognariter ... *anima* de c. mitto».'

XVIII (211) Macrobius Sat. VI 1, 8 'vertitur interea caelum et ruit oceano nox (Aen. II 250). Ennius in libro VI «vertitur ... signis».'

XIX (212) Achilles Statius ad Catull. 63, 40 'lustravit aethera album: sic albae luces a Martiali dicuntur in X (62, 6) «albae leone flammeo calent luces». et Ennius de sole [89]. et in sexto «ut primum ... *inalbabat dies*».'

Apuleius metam. VII 1 in. 'ut primum tenebris abiectis *dies inalbebat* et candidum solis curriculum cuncta conlustrabat.' Statii testimonium fallax esse et Ennii versum ex Apuleio fictum iecit Bergkius (opp. I p. 308), alii crediderunt. Conf. ad inc. XLVI.

LIB. VII I (213) Cicero Brut. 19, 75 'tamen illius quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius bellum Punicum quasi Myronis opus delectat.

---

rhum dicentem facit (τοὺς Ῥωμαίους) ταῖς ἥτταις οὐκ ἀποβάλλοντας τὸ θαρρεῖν ἀλλὰ καὶ ῥώμην καὶ φιλονικίαν ὑπ' ὀργῆς ἐπὶ τὸν πόλεμον προσλαμβάνοντας 208 diui *Iunius*: diu 209 prognariter *bis Nonius; idem p.* 154, 30 prognariter audaciter. Plautus Persa (588) 'age indica prognariter'. *Cf. Paulus Festi p.* 67, 33 *Th.* gnarus cum significet id quod scius, peritus, tamen invenimus prognare significare aperte. *Nonium puto recte scribere sed falli interpretando: coniunguntur enim* prognariter prudens, *ut* impie ingratus, inimice infesti, inepte stultus, humane commoda (*cf. ann. gymn. Austriac.* 1874 *p.* 13), *et in ea parte vis est sententiae* 210 animam *olim correctum*: anima

212 indalbabat Orta dies *Wakefieldus ad Lucr.* I 83; *cf. Verg. Aen.* XII 114 spargebat lumine montes Orta dies, *quamquam poterat etiam* indalbabat Cuncta dies 214 Faunei *ex* fauni et *apud Varronem*

215 Cum neque Musarum scopulos

nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc.

217 Nos ausi reserare

II

218 Nec quisquam *sophiam* sapientia quae perhibetur
In somnis vidit prius quam sam discere coepit.

[76] sit Ennius sane ut est certe perfectior: qui si illum ut simulat contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. sed ipse dicit cur id faciat: «scripsere» inquit «alii rem vorsibus»: et luculente quidem scripserunt etiam si minus quam tu polite: nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel si negas surripuisti.' Idem orat. 47, 157 'nec vero reprehenderim «scripsere alii rem», et scripserunt esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor.' Idem Brut. 18, 71 'quid, nostri veteres versus ubi sunt, «quos o. *Fauni* vatesque canebant cum neque Musarum scopulos nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc», ait ipse de se, nec mentitur in gloriando.' Idem orat. 51, 171 'ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere «versibus q. o. *Fauni* vatesque canebant»; mihi de antiquis eodem modo non licebit? praesertim cum dicturus non sim «ante hunc» ut ille, nec quae sequuntur «nos ausi reserare».' Varro de l. L. VII 36 «versibus q. o. *Fauni et* vatesque canebant». Fauni dei Latinorum, ita ut et Faunus et Fauna sit; hos versibus quos vocant Saturnios in silvestribus locis traditum est solitos fari, quo fando Faunos dictos. antiquos poetas vates appellabant a versibus viendis.' Ex Varrone Servius Lemovic. in georg. I 11 p. 133, 4 Thil. 'sed Varro ad Ciceronem ita ait «dii Latinorum ita ut Faunus et Fauna sit per ex (fortasse sit par: eos) versibus quos vocant Saturnios in silvestribus locis solitos fari futura atque inde Faunos dictos».'

Festus p. 476, 10 Th. 'versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur, quibus et a Naevio bellum Punicum scriptum est et a multis aliis plura composita sunt.' Ex Varrone et Festo sua hausit scriptor de origine gentis Romanae 4, 5. Cicero de div. I 50, 114 'eodem enim modo multa a vaticinantibus saepe praedicta sunt neque solum verbis sed etiam «versibus quos olim (quosolum m. pr. Voss. A) *Fauni* vatesque canebant».' Quintilianus IX 4, 115 'ante enim carmen ortum est quam observatio carminis; ideoque illud «*Fauni* (faciem pauci) vatesque canebant».'

II (218) Festus p. 476, 22 Th. 'sas Verrius putat significare eas teste

---

esse efficiendum in quaest. Ennian. a. 1852 *p.* 18 *scripsi, ut* taurei *ex* tauri et *effecit Lachmannus in Catulli c.* 63, 10   215—217 *De his versibus ordinandis (nam recte scripti sunt in libris) dixi in actis academ. a.* 1886 *('Über die Annalen des Ennius') p.* 12 *sq.*   218 sophiam *Scaliger*: philosophiam   *Idem grammatici interpretamentum* quae doctrina Latina lingua (nomen) non habet *sive fuit* nom̄ habet, *quod Plas-*

PRIMORDIA CARTHAGINIS III—V

III

220 Poenos Sarra oriundos

IV

221 Poeni *suos soliti* d*is* sacrificare puellos

V

222 Qualis consiliis quantumque potesset in armis

BELLUM PUNICUM PRIMUM VI—XXV

VI

223 Appius indixit Karthaginiensibus bellum.

VII

224 Explorant Numidae totum: quatit ungula terram

Ennio qui dicat in l. i [lii] cum suas magis videatur significare, sicuti eiusdem l. vii fatendum est eam significari cum ait «*nec* quisquam *philosophiam quae doctrina Latina lingua non habet* sapientia quae peribetur, in somnis ... cępit».' Paulus 'sam eam. idem Ennius «*ne* quisquam *philosophiam* in somnis ... coepit».'

III (220) Probus in georg. ii 506 p. 53, 21 Keil. 'Sarrano dormiat ostro: Tyriam purpuram vult intelligi Sarranum ostrum. Tyron enim Sarram appellatam Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur auctorem, cum dicit «Poenos Sarra oriundos».' Cf. 290 'Poenos Didone oriundos'. Et illud quoque non uno loco poni poterat, sed est indicio Ennium de Sarra vel Tyro origine Carthaginiensium egisse.

IV (221) Festus p. 324, 17 Th. 'puelli per deminutionem a pueris dicti sunt. itaque et Ennius ait «*pęnisolitis uos* s. puellos».' Paulus 'puelli pueri per deminutionem. Ennius «*Poeni soliti suos* s. p.».' Nonius p. 158, 20 'puellos pueros. Varro .. Lucilius .. Lucretius .. Ennius «*suos divis* s. p.».'

Cf. Iustinus xviii 6, 12; xix 1, 10. Orosius iv 6, 3.

V (222) Orosius iv 6, 21 (ex Iustino xxi 6, 1) 'post haec Carthaginienses cum Tyrum urbem auctorem originis suae ab Alexandro magno captam eversamque didicissent, timentes transitum eius in Africam futurum, Hamilcarem quendam cognomento Rhodanum virum facundia sollertiaque praecipuum ad perscrutandos Alexandri actus direxerunt' eqs. In cod. Orosii Sangall. 621 saec. x manu Ekkeharti iv ad sollertia ... direxerunt adscripta sunt 'Ennius. «Qualis c̃siliis. q̊ntūq, potesset in arm$_{1}$s».' Ex his duobus testimoniis (iv et v) maxime perspicuum fit Ennium quoque, ut Livius (perioch. ex lib. xvi) et Iustinus (xviii 3), de origine Carthaginis initio belli Punici verba fecisse.

VI (223) Cicero de inv. i 19, 27 'historia est gesta res ab aetatis nostrae memoria remota, quod genus «Appius i. Karthaginiensibus (cartaginensibus pauci) bellum».' Ennii versum editor Lipsiensis a. 1825 agnovit.

VII (224) Macrobius Sat. vi 1, 22 'quadrupedante putrem sonitu quatit

---

bergio placuit conl. Senecae epist. 89, 7, *ab Ennii verbis segregavit* peribetur*: cf. Lachmannus ad Lucr.* iii 597 221 suos soliti dis *scripsi* dis soliti sos *Hugius* 224 totum *tenui; intelligitur* campum Explorant Numidae totum

VIII

225 Mulserat huc navem conpulsam fluctibus pontus

IX

226 Et melior navis quam quae stlataria portat

X

227 *tonsas* ante tenentes
Parerent, observarent, portisculus signum
Cum dare coepisset

XI

230 «Poste recumbite vestraque pectora pellite tonsis.

XII

231 Pone petunt: exim referunt ad pectora tonsas.

ungula campum (Aen. VIII 596). Ennius in VI (VII Cuperus) «explorant Numidae (ita Salisb. humidę vel umidae ceteri) totum (totã Par.) q. u. terram». idem in VIII [VI]. idem in XVII [I].'

VIII (225) Priscianus IX p. 486, 13 H. 'mulgeo quoque mulsi facit, quamvis differentiae causa quidam mulxi protulerunt, quia mulceo quoque mulsi facit. sed Virgilius in III georgicon [400]. Ennius in VII annalium «mulserat h. navem (navim pauci) ... pontus».' Mulserat Ennii ad mulcendum h. e. leniter movendum referri oportet, neque obstat conpulsam. Cf. Wakefieldus ad Lucr. IV 139.

IX (226) Ad Iuvenalis sat. 7, 134 'Tyrio stlattaria purpura filo' haec adnotat G. Valla 'stlataria. Probus exponit illecebrosa. Ennius «et ... portat» i. multisonalis quae dicitur vulgo batalaria.'

X (227) Nonius p. 151, 24 'portisculus proprie est hortator remigum, id est qui eam perticam tenet, quae portisculus dicitur, qua et cursum et exhortamenta moderatur. Plautus asinaria [518]. Ennius lib. VIII (VII Merula) annalium «*tusante* tenentes ... coepisset».' Conf. Servius in Aen. V 114 (prima pares ineunt gravibus certamina remis) 'prima certamina: Punico bello primum naumachias ad exercitium instituere Romani [coeperunt], postquam probarunt gentes (Carthaginienses Hagenus) etiam navali certamine plurimum posse: ad quam rem in hoc certamine plurimum adludit poeta.' Dicit, puto, Ennii narrationem, ut II fr. XVIII. Ceterum conf. ann. lib. inc. XVII—XXIV.

XI. XII (230. 231) Festus p. 538, 34 Th. 'tonsam Ennius significat remum, quod quasi tondeatur ferro, cum ait l. VII «postere cumbite ... tonsis». item «pone p. exim ... tonsas» et in nasota [var. 27].' Paulus 'tonsa remus, quod quasi tondeatur ferro. Ennius «pone p. exim ... tonsas».'

---

227 tonsas ante *Columna* tonsam ante *Scaliger*: tusante
Cf. 230. 231

XIII

232 Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti
Proiciunt sese

XIV

234 Haece locutus vocat, quocum bene saepe libenter
Mensam sermonesque suos rerumque suarum

XIII (232) Gellius xviii 5, 2 'Iuliano nuntiatur *ἀναγνώστην* quendam ... Ennii annales legere ad populum in theatro ... [4] quem cum iam inter ingentes clamores legentem invenissemus, legebat autem librum ex annalibus Ennii septimum, hos eum primum versus perperam pronuntiantem audivimus «denique ... *equus* (ecus pauci) atque ... sese» neque multis postea versibus additis celebrantibus eum laudantibusque omnibus discessit. [5] tum Iulianus egrediens e theatro quid vobis inquit de hoc anagnosta et de quadrupede equo videtur? sic enim profecto legit «denique ... *equus* (ecus pauci) atque ... sese». [6] ecquid putatis, si magistrum praelectoremque habuisset alicuius aeris, quadrupes equus dicturum fuisse, ac non quadrupes eques? quod ab Ennio ita scriptum relictumque esse nemo unus litterarum veterum diligens dubitavit ..... [11] sed enim contentus inquit ego his non fui et ut non turbidae fidei nec ambiguae, sed ut purae liquentisque esset, equusne an eques scriptum Ennius reliquisset, librum summae atque reverendae vetustatis, quem fere constabat Lampadionis manu emendatum, studio pretioque multo unius versus inspiciendi gratia conduxi et eques, non equus, scriptum in eo versu inveni.' Nonius p. 106,30 'equitem pro equo Virgilius georgicorum lib. iii [116]. Ennius annali lib. vii «an non quadrupedes equites».' (ac non Rothius; sumpta enim haec a festinante Nonio ex Gellii verbis supra scriptis 'ac non quadrupes eques'; quo de dixi quaest. Enn. a. 1852 p. 11). Macrobius Sat. vi 9, 9 'omnes antiqui scriptores ut hominem equo insidentem, ita et equum cum portaret hominem equitem vocaverunt et equitare non hominem tantum sed equum quoque dixerunt. [10] Ennius libro annalium septimo ait «denique ... *eques* atque ... sese». numquid dubium est quin equitem in hoc loco ipsum equum dixerit cum addidisset illi epitheton quadrupes.' Servius Vatic. in georg. iii 116 p. 286, 15 Thil. 'et aliter: hic equitem sine dubio equum dicit, maxime cum inferat insultare solo. Ennius annalium septimo «denique ... *eques* atque ... sese».' De hac equitis significatione Woelfflinus agit arch. lexicogr. x p. 286; alii aliter velut Haverfieldus Class. Rev. xiii (1899) p. 305.

XIV (234) Gellius xii 4, 1 'descriptum definitumque est a Quinto Ennio in annali septimo graphice admodum sciteque sub historia Gemini Servili viri nobilis quo ingenio qua comitate qua modestia qua fide qua linguae parsimonia qua loquendi oportunitate quanta rerum antiquarum morumque veterum ac novorum scientia quantaque servandi tuendique secreti religione qualibus denique ad minuendas vitae molestias fomentis levamentis solaciis

---

234 Haece locutus *corr. pauc.* quocum *pauci* quodcum *libri plerique; cui mero scribendi errori nihil tributum oportuit* bene saepe*: cf. ad* i *fr.* xxv

236 Comiter impertit magnam cum lassus diei
Partem fuisset de summis rebus regundis
Consilio indu foro lato sanctoque senatu,
Cui res audacter magnas parvasque iocumque
240 Eloqueretur et cuncta malaque et bona dictu
Evomeret si qui vellet tutoque locaret,
242 Quocum multa volup [gaudia] clamque palamque,
Ingenium cui nulla malum sententia suadet

amicum esse conveniat hominis genere et fortuna superioris ..... [4] «*haec elocutus* (234) ... *compellat Servilius sic* (251)». [5] L. Aelium Stilonem dicere solitum ferunt Q. Ennium de semet ipso haec scripsisse picturamque istam morum et ingenii ipsius Q. Ennii factam esse.' Quam creduli fuerint aut arguti vel Varronis aetate priscorum poetarum interpretes cum multa indicio sunt tum haec de Ennii pictura ab ipso facta opinatio Aelii Stilonis: cui compar et comparabilis est Doederlini hariolatio de puero Horatii speciem prae se ferente in epistola ad Florum (II 2).

---

236 Congeriem partit *temptavi olim et post me similiter alii; sed explananda magis quam emendanda oratio videtur quae sensim a coepto itinere deflectit: hoc voluit opinor* quocum mensam sermonesque suos partiri solet (quicum partiri curas *Aen.* XI 822) et cui rerum suarum comiter impertit*; genetivus iste partitivus qui apud Graecos multa habet similia sed sive is Graecus est sive Latinus non videtur repudiandus: de quo genere nuper nonnulla Fr. Leo quaest. Plaut. p.* 92 237 recundis *Bern. Par.* regendis *Thuan. Urs.* fecundis *Voss. mai.* 240 et cuncta malaque et bona *vel* et cuncta malusq; (cunctam aliisq;) et bona *libri; in quibus peccatum esse duplex vitium* (eloqueretūr et cunctā mala) *fidem facit;* el. et haud cunctans m. *Bergkius,* el. nec cunctans m. *Fr. Marxius; ego putabam* el. et unose malaque et bona dictu*; quam vocem Nonius testatur p.* 183, 20 unose simul. Pacuvius Iliona (213 *R.*) 'occidisti, ut multa paucis verba unose obnuntiem'*; cf.* unose simul *C. Gl. L.* V *p.* 648, 44*; et Lucretius scribit* IV 262 non privam quamque solemus particulam venti sentire et frigoris eius sed magis unorsum (*sive* unvorsum)*: cf. quae Lachmannus ad h. l., ego in Herm.* XII *p.* 400 *scripsimus, novissime Birtus mus. Rhen.* LI *p.* 252 *n. et Leo ad mostell.* 607 242 Quicum *Voss. min.* volup gaudia *Voss. min. Christ. Pet. Magl.* volup . . gaudia *Bern.* voluptas gaudia *Thuan. Urs.* voluptate gaudia *Paris. quae mihi videntur persuadere et* volup *verum esse et* gaudia *prave interpretamenti loco adscriptum: coniiciebam* multa volup sibi fecit. *Cf. Nonius p.* 187, 5 volup pro voluptate. Plautus asinaria (942) 'si . . quid . . suo animo fecit volup', *sed Plauti libri* voluptatis*; Casin.* 784 facite vestro animo volup

243 Ingenium*: cf. Horatius ep.* II 2, 81 suasset *proponebam*

244 Ut faceret facinus, levis, haud malus, doctus, fidelis,
Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
Scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum
247 Pau*cum*, multa tenens, antiqua sepulta vetustas
Quae facit; et mores veteresque novosque tenentem,
Multorum veterum leges divumque hominumque,
250 Prudentem, qui dicta loquive tacereve posset,
Hunc inter pugnas Servilius sic *conpellat.*

XV

252 Alter nare cupit: alter pugnare paratust.

XVI

253 Deducunt habiles gladios filo gracilento.

XV (252) Festus p. 170, 28 Th. ʻnare a nave ductum Cornificius ait, quod aqua feratur natans ut (n)avis. Ennius l. VII «alter . . . parat'·τ· (h. e. paratust)».'

XVI (253) Nonius p. 116, 7 ʻgracilitudo et gracilens pro gracilis, et gracilentum pro gracili, et gracilium pro gracilitas. Accius [88 R.]. Ennius. lib. VII «deducunt . . . gracilento».'

Herm. XII *p.* 253 244 haut *vel* haud *plerique* aut *Voss. min.* 247 Paucum *Turnebus*: paucorum 247 *sqq.* Quae facit *pro veris habeo et sic interpretor* multa quae vetustas facit antiqua et sepulta (*cf. Herm. l. c.*)*; loquitur ut Cicero de legg.* III 9, 20 quae iam prisca videntur propter vetustatem, *et Seneca* (*ad Helv.* 7, 8) ut antiquiora, quae vetustas obduxit, transeam, *multique alii.* *Cf. Festus p.* 274, 5 *Th.* intermortua iam et sepulta verba *Proxime qui insequuntur accusativi* et mores v. n. tenentem, leges d. h., Prudentem qui l. t. posset, *utrum ad* Hunc (251) *relati interruptam orationem indicent vel potius poetam nunc tandem multis interiectis ad initium redire ut ita dicat* haec locutus vocat eum quocum vivere solet, qui est homo tot et talium virtutum, et (248) mores v. n. tenentem, prudentem qui l. t. posset, hunc compellat, *an peccatum sit in his sive Gellii sive eius scribarum culpa, velut de defectu cogitarunt, post* paucorum (247) *Havetus* (*Revue de philol.* II 1878 *p.* 96 *totum fragmentum cum cura persecutus*)*, ante* tenentem (248) *Bergkius, ego* tenens res Multorum (248) *et* Prudenter qui (250) *proposui, res est ambigua admodum* 250 loquive tacereque *libri plerique* 251 inter pugnas *h. e.* inter pugnandum, *ut* inter proelia, media inter proelia, *similia saepe* Servilius sic compellat *cum Fr. Dousa Lachmannus ad Lucr.* VI 1067: conpellat servilius sic *Cf. ad* 47 253 Deducunt *procudendo ut videtur* (mucronum duci

XVII

254 legio reddit *m*urum*qu*e ruinas,
Mox auferre domos populi rumore secundo

XVIII

256 Dum censent terrere minis, hortantur *i*be*i* sos.

XIX

257 «Fortibus est fortuna viris data

XX

258 «Non semper vestra evertit: nunc Iuppiter hac stat.

XXI

259 «quianam dictis nostris sententia flexa est?

XXII

260 Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas.

XVII (254) Nonius p. 385, 15 'rumor favor auxiliatio. Virgilius lib. VIII [90] ... Ennius annali lib. VII «legio *redditu rumore* ruinas mox ... secundo».'

XVIII (256) Festus p. 428, 15 Th. 'sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius l. I [XVII] et l. III [V]. l. VII «dum ... hortantur *be* sos». l. XI [II].'

XIX (257) Macrobius Sat. VI 1, 62 audentes fortuna iuvat (Aen. X 284). Ennius in septimo «fortibus ... data».'

XX (258) Macrobius Sat. VI 1, 19 'ne qua meis dictis esto mora: Iuppiter hac stat (Aen. XII 565). Ennius in VII «non s. vestra (nostra Salisb.) evertit ... stat».'

XXI (259) Festus p. 340, 30 Th. 'quianam pro quare et cur positum est apud antiquos ut Naevium ... et Ennium in l. VII «quianam ... f. est».' Paulus 'quianam pro quare et cur ponitur. Ennius «quianam ... f. est».' Cf. 127.

XXII (260) Priscianus VI p. 223, 4 H. 'Nar quoque Nāris monosyllabum

fastigia procudendo *Lucretius* V 1265), *quamquam etiam* hostis gladio deducto invaderet *dicebat Gellius* V 9, 2. *De* filo *Lachmannus ad Lucr.* V 571. *Ceterum Gallorum* μαχαίρας *Plutarchus scribit in Camillo* 41, 5 τὸν σίδηρον μαλακὸν καὶ λεπτῶς ἐληλαμένον *habuisse* 254 reddit murumque *scripsi h. e.* redditūrumQUE, *unde apparet qui nata sit librorum scriptura* redditu rumore; reddit urbemque *iam Ribbeckius. Tota sententia fuit fortasse* tum turrem legio reddit murumque ruinas, mox auferre domos p. r. s. iussi. *Vide quae scripsi et attuli in relat. acad. a.* 1888 *p.* 48 256 ibi *Lindemannus* ibei *O. Muellerus*: be 258 *Malim* nostra evertet 259 heu, quianam tanti cinxerunt aethera nimbi *in diversa sententia Vergilius Aen.* V 13, *unde* heu *addi Ennii versui iusserunt; eadem sententia idem* X 6 caelicolae magni, quianam sententia vobis versa retro 260 spiramina naris *Bergkius opp.* I *p.* 311, *qui*

XXIII

261 Russescunt frundes

XXIV

262 longique cupressi
Stant *r*ectis foliis et am*aro* corpore buxum

XXV

264 Fici dulciferae lactantes ubere toto

ANNALIUM LIB. VIII

I

BELLUM HANNIBALICUM I—XXV

265 Poeni stipendia pendunt

similiter producit a in genetivo et est proprium fluvii. nam si nasum velimus significare, haec naris huius naris similem genetivo nominativum proferimus, sicut Ovidius in iii metam. (675) «panda naris erat» . . . Lucanus in ii (183) genetivum protulit «hic aures, alius spiramina naris aduncae amputat» . . . et sciendum quod pār et Nār producitur in nominativo, ut . . . Virgilius in vii (517) «sulphurea Nar albus aqua» sed Nār servavit a productam etiam in obliquis. Ennius in vii annalium «sulphureas (solphureas, solphoreas, sulporeas) p. s. Nāris ad undas».'

XXIII (261) Charisius i p. 130, 29 K. 'frus, haec frus, quia sic ab Ennio est declinatum annalium libro vii «russescunt frundes», non frondes.'

XXIV (262) Servius Vatic. in georg. ii 449 p. 260, 20 Thil. 'buxum lignum non arborem dixit, quamvis Ennii exemplo et arborem potuerit dicere neutro genere. ille enim sic in septimo «longique . . . *sectis* f. et *amore* c. b.».'

XXV (264) Charisius i p. 128, 31 K. 'fici Ennius «fici . . . toto». Lucilius (1128 L.) «fici» inquit «comeduntur et uvae».' Cf. Capri orthographia G. L. K. vii p. 98, 2 'lactens lacte abundans ut «lactentes ficus».'

LIB. VIII I (265) Varro de l. L. v 182 'milites stipendiarii (sic exc. Victor. stipendii ceteri) ideo quod eam stipem pendebant; ab eo etiam Ennius scribit «Poeni st. pendunt».'

Priscianum errasse sibi persuasit, et Ennium non sulphureas Naris undas, *ut Vergilius* sulphurea Nar albus aqua, *sed* ad sulphureas undas posuit spiramina naris *dixisse, ut Lucanus* spiramina naris aduncae, *ille quidem sine obscuritate ulla, Ennius si sensit quod Bergkius voluit cum insigni ambiguitate, ut mirum non sit post Priscianum doctos omnes falsos esse* 263 rectis f. et amaro *Ursinus*: sectis f. et amore

II

266 postquam Discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit,

III

268 Pellitur e medio sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
270 Haut doctis dictis certantes nec maledictis
Miscent inter sese inimicitiam agitantes,
272 Non ex iure manum consertum, sed magis ferro
Rem repetunt regnumque petunt, vadunt solida vi.

II (266) Servius in Aen. vii 622 'rupit Saturnia postes: acyrologiam fecit commutando Ennii versum. nam ille ait «belli . . . refregit».' Horatius sat. i 4, 60 'non ut si solvas «postquam Discordia taetra belli ferratos postes portasque refregit» invenias etiam disiecti membra poetae.' Porphyrio in h. l. 'est sensus: si dissolvas versus vel meos vel Lucilii, non eadem verba invenies quae sunt (in) Ennianis versibus (sic haec nunc eduntur, vix recte: nam inepta sunt) qui magno scilicet spiritu et verbis altioribus compositi sunt, velut hi sunt «postquam . . . refregit».' Acro ibid. 'non ut si solvas: id est non ita invenies quemadmodum si solvas versus Ennii aut Pacuvii, qui etiam soluti altitudinem et tumorem obtinent poematis, cuius est «ferratos . . . refregit» . . . postquam Discordia tetra: et hic et sequens Ennii.'

III (268) Gellius xx 10, 1 'ex iure *manum* consertum verba sunt ex antiquis actionibus . . . [3] ex Ennio ergo inquam est magister quod quaero; Ennius enim verbis hisce usus est. [4] . . . tum ego hos versus ex octavo annali absentes dixi, nam forte eos tamquam insigniter praeter alios factos memineram «pellitur . . . *vi geritur res spernitur* (269) . . . (272) *manu* (manum

---

270 sed *Columna prave; cf. Cic. in Anton.* xiv 3, 7 quae sunt urbanarum maledicta litium, non inustae belli internecivi notae; *Livius* v 8, 13 acta in senatu res est certatumque inter collegas maledictis 271 inimicitias *vulgabatur olim, et licet dubitare; nam et melius dicitur* inimicitias agitantes, *ut* nostras inimicitias ipsi inter nos geramus *Cic. pro Balbo* 27, 60; inimicitias gessit cum Caesare: nemo amicitiam eius extimuit *Seneca de ira* iii 23, 6, *nec deterius* miscent i. s. inimicitias, *ut* miscere proelia, miscere pugnas, miscere certamina *Livius Siliusque et alii* 272 *Ista iuris formula Varro utitur de l. L.* vi 64 sic conserere manu (*Flor.*) dicimur cum hoste (*sed Festus p.* 148, 11 *Th.* per eos dies non cum hoste manus conserebant); sic ex iure manu consertum vocare; *Cicero pro Mur.* 12, 26 ego te ex iure manu consertum voco . . tu me ex iure manu consertum vocasti (*libri bis* manu); *de orat.* i 10, 41 te ex iure manu (*pauci* manum) consertum vocarent. *Sed haud dubie verum est* manum consertum, *et Ennius cum deberet* non ex iure manum consertum vocant sed ferro rem repetunt, *uno verbo defunctus est*

IV

274 at non sic dubius fuit hostis
Aeacida *Bu*rrus

V

PUGNA CANNENSIS V—XX

276 Marsa manus, Peligna cohors, *V*estina virum vis

Pet.) c. *sed magis errore rei* repetunt (petunt)... solida vi (273)». [5] cum (solita uicum) hos ego versus Ennianos dixissem...... [9] institutum est... ut litigantes non in iure apud praetorem manum consererent, sed ex iure manu (sic codd.) consertum vocarent ... [10] idcirco Ennius significare volens bellum non ut ad praetorem solitum est legitimis actionibus neque ex iure manum (manu pauci) consertum sed bello ferroque et vera vi atque solida vadi (quod libri) videtur dixisse, conferens vim illam civilem et festucariam quae verbo diceretur non quae manu fieret cum vi bellica et cruenta.' Lactantius div. inst. v 1, 5 'disceptatione sublata «pellitur... sapientia (sapientiae Put.) *vi* (cui Bon.) *geritur res* (res om. Vat.)» ut ait Ennius.' Cicero ad fam. VII 13, 2 'tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum prosit. nam, ut audio, istic «non ex iure *manum* c. *sed magis ferro rem* repetunt».' Idem pro Murena 14, 30 'etenim, ut ait ingeniosus poeta et auctor valde bonus, proeliis promulgatis (quae Ciceronis sunt, non Ennii) «pellitur (tollitur codd. Lag.) e medio» non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae sed etiam ipsa illa domina rerum «sapientia: *videtur respuitur* (Helmst. videtur respui spernitur vel videtur r. p. spernitur vel videtur resperni ceteri) orator» non solum odiosus in dicendo ac loquax, verum etiam «bonus: horridus miles amatur». vestrum vero studium totum iacet: «non ex iure *manum* (manu quidam) consertum *sed ferro*» inquit «*rem* repetunt».'

IV (274) Orosius IV 14, 3 de Hannibale 'odio Romani nominis quod patri Hamilcari cum esset novem annos natus fidelissime alias infidelissimus ante aras iuraverat P. Cornelio Scipione et Ti. Sempronio Longo coss.' eqs. Supra haec verba 'infidelissimus... et publio (pro Ti.)' in cod. Orosii Sangall. 621 saec. x teste Zangemeistero manu non Ekkeharti IV sed alius scriptoris paulo prioris haec scripta sunt 'in bello dic̃, in q̊ erat infidus. animo longe leviori qā pyrrus. De q̊ Ennius. «At ñ sic dubius fuit hostis eacida phyrrus».'

V (276) Charisius IV p. 282, 6 K. 'schesis onomaton est cum in textu plures antonomasiae ponuntur, ut «*marsa* m. p. c. *festina*|*rum* vis».' Diomedes II p. 446, 26 K. 'schesis onomaton est cum singulis nominibus epitheta coniuncta sunt, ut «*marsa* m. p. c. *festina virum* vis (Par. A; festinavimus vis Mon. festina virum Par. B)».' Donatus art. gr. G. L. K. IV p. 398, 19 'schesis onomaton est multitudo nominum coniunctorum quodam

---

274 *sq. Fortasse unus fuit versus in hunc modum compositus* At non sic dubius Pyrrhus fuit Aeacida hostis, *quemadmodum Valmaggium quoque Bollett.* IV (1898) *p.* 259 *coniectare video, nisi quod* Burrus dirus *De nominis scriptura vide ad* 178 *Synaloepham vindicaverit* 78 auspicio augurioque *et* 238 276 Vestina *Ianus Dousa*: festina

VI

277 Consequitur. summo sonitu quatit ungula terram.

VII

278 «praecox pugna est

VIII

279 «Certare abnueo: metuo legionibus labem.

IX

280 «Hostem qui feriet mihi erit Carthaginiensis
Quisquis erit; cuiatis siet

X

282 Iamque fere pulvis ad caelum vasta videtur

habitu copulandi, ut «*marsa* m. p. c. *festina virum* vis».' Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. IV p. 565 'de scematibus . . . . Enni versus: omnes partes orationis quibus versus compositus est nomina sunt, nulla alia interposita. eiusdem Enni versus est [109].' Enni versum qui dicitur sed non affertur Donatus persuadet non esse nisi 'marsa . . . vis'. Pompeius comment. G. L. K. V p. 303, 21 'faciebant versum in quo versu non invenies nisi omnia nomina, ut «*magna* m. p. c. *festina virum* vis».' et sic postea eadem singillatim relata.

VI (277) Macrobius Sat. VI 1, 22 'quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum (Aen. VIII 596). Ennius in VI [224]. idem (idem om. Par.) in VIII «consequitur (cum sequitur pauci) summo . . . terram». idem in XVII [I].'

VII (278) Nonius p. 150, 16 'praecox et praecoca, quod est inmatura. Ennius annali lib. VIII «praecox p. est».' Cf. idem p. 156, 31 'praecox id est praecoqua.'

VIII (279) Diomedes I p. 382, 11 K. 'apud veteres et abnueo dictum annotamus, ut Ennius octavo annalium «certare . . . labem».' Schol. Veron. in Aen. X 8 p. 102 Keil. II p. 27 Herrm. '(Abnueram: E)nnius anna(lium) — — haec abnu —' Lunulis inclusa unius A. Mai fide constant; omnino haecine ad hunc locum pertineant an ad alium valde incertum.

IX (280) Cicero pro Balbo 22, 51 'neque enim ille summus poeta noster Hannibalis illam magis cohortationem quam communem imperatoriam voluit esse «hostem qui feriet *erit*» inquit «*mihi* (sic Par. olim inquit mihi erit vulgabatur) Carthaginiensis quisquis erit cuiatissiet (sic Par. civatis siet Wolf. civitatis siet Gembl. Erf.)». id (immo ita) habent hoc leve (scil. quaerere cuiatis quis sit) et semper habuerunt.'

X (282) Nonius p. 217, 11 'pulvis generis masculini ut saepe. feminini Ennius lib. VIII annalium «iamque . . . videtur». idem lib. VIIII [X].'

---

278 praecoca *qui Ennio adscribunt Nonium falso interpretantur, qui utroque loco et omnibus exemplis docet* praecox *et femininis adhiberi Cf. quae dixi in actis acad. a.* 1886 ('*Über die Annalen des Ennius*') *p.* 14 281 cuiatis siet *scil.* non anxius quaero*; mutatum enim tempus et modus indicant illa a sua sententia pendere Ciceroni omissa*

XI

283 Amplius exaugere obstipo lum*in*e solis

XII

284 Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

XIII

285 Densantur campis horrentia tela virorum.

XIV

286 Is pernas succidit iniqua superbia Poeni

XV

In Ennio inducitur Iuppiter promittens Romanis excidium Carthaginis.

XVI

287 «multa dies in bello conficit unus:

288 Et rursus multae fortunae forte recumbunt:
Haudquaquam quemquam semper fortuna secuta est.

XI (283) Festus ex apogr. l. xiv p. 220, 27 Th. '*obstitum* obliquum ('*obstitum* oblicum' Paulus). Ennius L. xvi [x] et in L. viii «amplius e. *obstipolumve* solis».' Obstipum, cuius in altero versu Ennii tenue vestigium mansit ('obstipolumve), non obstitum in hoc capitulo agi Gifanius intellexit.

XII (284) Macrobius Sat. vi 1, 52 'ac ferreus ingruit imber (Aen. xii 284). Ennius in viii «hastati . . . imber».'

XIII (285) Priscianus ix p. 480, 5 H. 'denseo denses et denso densas . . . a denso Ennius in viii (vii Sang.) annalium «densantur . . . virorum».'

XIV (286) Paulus Festi p. 439, 9 Th. 'suppernati dicuntur quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius «*his* . . . Poeni».' Ex his apud Festum haec leguntur ' — | pernati dicu — — | na sunt succisa — — | rum pernaru(m) — — | «*is* pernas succ(i) — — | Poeni».'

XV Servius in Aen. i 20 (Iuno progeniem . . . Troiano a sanguine duci audierat, Tyrias olim quae verteret arces; hinc populum late regem belloque superbum venturum excidio Libyae) 'audierat: a Iove aut a Fatis. . . et perite audierat; in Ennio enim inducitur . . . Carthaginis.'

XVI (287) Macrobius Sat. vi 2, 16 'multa dies variusque labor mutabilis aevi rettulit in melius, multos alterna revisens lusit et in solido rursus fortuna locavit (Aen. xi 425). Ennius in viii «multa . . . unus et rursus . . . recumbunt haudquaquam quemquam (quemquam Salisb. om. plerique) . . secuta est».'

---

283 obstipo lumine *A. Augustinus*: obstipolumve 286 Is *h. e.* iis, *cf. Lachmannus ad Lucr.* iv 933 287 *Praemitti poterat* Infit, *ut* 394; *post hunc autem intercidit puto versus qui contrariam insequenti sententiam habebat*

XVII

290 Poenos Didone oriundos

XVIII

291 *Romanis Iuno coepit placata favere*

XIX

292 «Nunc hostes vino domiti somnoque sepulti
Consiluere

XX

294 «Aut occasus ubi tempusve audere repressit

XXI

295 Quintus pater quartum fit consul A. U. C. DXL

XVII (290) Priscianus vi p. 210, 10 H. 'quod autem Ionis et Calypsonis et Didonis dicitur, ostendit hoc etiam Caesellius Vindex in stromateo his verbis: Calypsonem. ita declinatum est apud antiquos . . . Ennius in viii (vel in viii Ennius) «poenos (vel penos vel phoenos) D. o.».'

XVIII (291) Servius in Aen. i 281 'consilia in melius referet: quia bello Punico secundo, ut ait Ennius, «placata Iuno coepit favere Romanis».'

XIX (292) Macrobius Sat. vi 1, 20 'invadunt urbem somno vinoque sepultam (Aen. ii 265). Ennius in viii «nunc hostes (hostis Neap.) . . . sepulti».' Paulus Festi p. 41, 5 Th. 'consiluere Ennius pro conticuere posuit.'

XX (294) Festus p. 194, 17 Th. 'occasus interitus . . . quo vocabulo Ennius pro occasione est usus in l. ii [viii]; item in l. v [i]; item in l. viii «aut . . . rep̄ssit».'

XXI (295) Gellius X 1, 6 'verba M. Varronis ex libro disciplinarum quinto haec sunt: aliud est quarto praetorem fieri et quartum: quod quarto locum adsignificat ac tres ante factos, quartum tempus adsignificat et ter ante factum. igitur Ennius recte quod scripsit «Quintus . . . consul».' Nonius p. 435, 13 'quartum et quarto prudentes differre dixerunt. Varro disciplinarum quinto «aliud est quarto et aliud quartum praetorem fieri (sic Harl. m. pr. Par.; alii aliud est quarto praetorem fieri, aliud quartum): et quarto (Leid. quartum cett.) locum significat et tres ante factos, quarto (sic) tempus significat, ter ante factum. Ennius recte «Quintus (quintum Harl. m. pr. Par. Leid.) . . . consul».'

---

291 *Hexametrum restituit Hugius* 292 *Cf. Verg. Aen.* ix 234 Rutuli somno vinoque soluti conticuere*; cuius exemplo illa duo testimonia connexui. Cf. Lucretius* v 974 taciti respectabant somnoque sepulti 294 Ast *Columna* audere repressit*: cf. Lachmannus ad Lucr.* iv 244 295 Quintum patrem *appellat nisi fallor quia Q. Fabius filius simul creatus est praetor, poteratque versus suppleri* filius praetor*; cf. Livius* xxiv 9, 3 creatique consules Q. Fabius Maximus quartum, M. Marcellus tertium . . . praetor . . . Q. Fabius consulis filius

XXII

296 de muris rem gerit Opscus.

XXIII

297 Ob Romam noctu legiones ducere coepit.

XXIV

298 Summus ibi capitur meddix: occiditur alter.

XXV

MARCELLUS A. U. C. DXLIII 299 Tibia Musarum pangit melos

XXII (296) Festus ex apogr. l. xiv p. 234, 30 Th. 'Oscos quos dicimus ait Verrius Opscos antea dictos teste Ennio quom dicat «de . . . Opscus».'

XXIII (297) Paulus Festi p. 193, 13 Th. 'ob praepositio . . . pro ad, ut Ennius «ob . . . coepit».' Apud Festum ex his haec tantum apparent: '— — «ob Romam noc | — — «ob Troiam duxit» | (inc. 5).' Festus ex apogr. l. xiv p. 218, 9 Th. 'praepositionem ob pro ad solitam poni testis hic versus . . . et Ennius «ob . . . coepit».' Paulus p. 131, 11 Th. 'mortem obisse ea consuetudine dicitur qua dixerunt antiqui «ob Romam legiones ductas» et «ob Troiam duxit exercitum» pro ad.' Exc. ex cod. Cassin. 90 C. Gl. L. v p. 573, 45 'ob . . . significat propter, significat contra, significat circum, ut Ennius «ob . . . cępit».'

XXIV (298) Paulus Festi p. 88, 34 Th. 'meddix apud Oscos nomen magistratus est. Ennius «*summus ibi* capitur . . alter».' Osbernus panorm. (thes. nov. Lat.) A. Mai class. auct. viii p. 360 'meddis magistratus, didascalatus. *Caecilius «ubi summus* capitur . . alter».'

XXV (299) Schol. Bern. Hageni (Fleckeis. annal. suppl. iv p. 959) in georg. iv 67 (de apum pugnis) 'saepe duobus regibus incessit magno discordia motu . . . namque morantes Martius ille aeris rauci canor increpat et vox auditur fractos sonitus imitata tubarum': ad haec igitur, quae plenius afferenda erant, adnotatur ad v. 72 'inde Ennius in viii ait «tibia M. p. melos».' Haec enim quae Ennius dicit de tibia Musarum (h. e. pacis) melos pangente opposita esse subindicat interpres illis quae Vergilius de Martio aeris rauci canore et de fracto sonitu tubarum exponit. De discrimine tubae et tibiae cf. Servius in Aen. v 138.

---

298 *De hoc versu et de meddice Oscorum egit olim Bergkius (opp.* I *p.* 211 *sqq.), praeterea vide Schoemannum (opp.* III *p.* 411 *sqq.), Mommsenum de dial. Ital. inf. p.* 278. 304, *denique Buechelerum mus. Rhen.* XLIII *p.* 132 299 *Possis addere ad supplendum versum et sententiam* at tuba Martis, *referreque haec ad Marcellum a.* 543 *post Syracusas captas non triumphantem sed ovantem, quem Plutarchus Marcell.* 22 *scribit* οὐκ ἐπὶ τοῦ τεθρίππου βεβηκότα . . . οὐδὲ περισαλπιζόμενον ἀλλὰ πεζὸν . . . ὑπ' αὐλητῶν μάλα πολλῶν *ingressum, idque discrimen belli inter et pacis speciem persequens ait* καὶ γὰρ ὁ αὐλὸς εἰρήνης μέρος; *cf. nunc relat. acad. a.* 1899 *p.* 266 *sqq.*

ANNALIUM LIB. IX

RES PUNICAE EXTREMAE AB HASDRUBALIS CAEDE I—XVII

I

300 *Fortuna* varia validis *cum* viribus luctant.

II

301 Livius inde redit magno mactatus triumpho A. U. C. DXLVII

III

302 Europam Libyamque rapax ubi dividit unda

IV

303 Additur orator Cornelius suaviloquenti A. U. C. DL
Ore Cethegus Marcus *Tuditano* collega

LIB. IX I (300) Nonius p. 472, 7 'luctant pro luctantur Ennius lib. VIIII «varia (Bamb. Montep. varria Colb. viri a Leid. Wolf. Harl.) *validis viribus* luctant».'

II (301) Servius Danielin. in Aen. IX 641 p. 367, 7 Thil. 'mactus (Daniel macte Flor.) autem apud veteres etiam mactatus dicebatur, ut Ennius «Livius .. magno (magnum Flor.) m. triumpho».'

III (302) Cicero Tusc. disp. I 20, 45 'etenim si nunc aliquid adsequi se putant, qui ostium Ponti viderunt et eas angustias per quas penetravit ea quae est nominata «Argo quia Argivi in ea delecti viri vecti petebant pellem inauratam arietis» (scen. 250 sq.), aut ii qui Oceani freta illa viderunt «Europam lybiamque . . . unda», quod tandem spectaculum fore putamus cum totam terram contueri licebit.' Idem de nat. deor. III 10, 24 'quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius, quid freto Siciliensi, quid Oceani fervore illis in locis «Europam libiamque . . . unda».'

IV (303) Cicero Brut. 15, 57 'quem vero exstet et de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor, et idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius, praesertim cum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo: ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum. [58] est igitur sic apud

---

300 Fortuna *addidi, ut* varia *constaret, qua voce nihil verius; in ineptias abierunt, qui ex* viri a *aliquid probi efficere vellent* cum *addidit Ianus Dousa, id quoque convenienter mori; cf. de hoc versu quae scripsi in relat. acad. a.* 1888 *p.* 47 304 Tuditano collega m. (*h. e.* marci) filius *primus Schuetzius restituisse dicitur, et nomen* Tuditani *restitutum est ipso Cicerone teste* 15, 60. conlega *vel* conlegae Tuditano *temere coniectarunt; cf. acta acad. a.* 1886 ('*Über die Annalen des Ennius*') *p.* 14 *sq.*

Marci filius
306 is dictust ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant
308 Flos delibatus populi suadae*que* medulla.

illum in nono ut opinor annali «additur . . . marcus *studio collegam* filius». et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit . . . sed est ea laus eloquentiae certe maxima «is *dictus popularibus* olim qui . . . aevum *agebant* f. d. populi»; [59] probe vero; ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt; «*suadat* (suadas corr. suadai et suadae Flor.) medulla»: πειθὼ quam vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc suadam appellavit Ennius; eius autem Cethegum medullam fuisse vult . . . [60] at hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo quaestorque is cos. M. Cato modo plane annis cxl ante me cos., et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset.' Quintilianus xi 3, 31 'nam sonis homines ut aera tinnitu dinoscimus. ita fiet illud quod Ennius probat cum dicit «suaviloquenti ore Cethegum» fuisse.' Gellius xii 2, 3 'in libro enim vicesimo secundo epistularum moralium quas ad Lucilium composuit (Annaeus Seneca) deridiculos versus Q. Ennium de Cethego (decet ego h. e. de cetego et hic et § 11 libri nonnulli, alii de cethego, cf. Hertzium ad loc. prior.) antiquo viro fecisse hos dicit «is *dictus tollis popularibus* olim qui . . . aevum *agitabant* f. d. *populis uada* (populi suada pauci) medulla». [4] ac deinde scripsit de isdem versibus verba haec: admiror eloquentissimos viros et deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos eius versus et hos refert. . . . [7] ponit deinde quae aput Ciceronem reprehendat quasi Enniana, quod ita scripserit in libris de re publica (v 9, 11) «ut Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas», et quod alio in loco dixerit «breviloquentiam in dicendo colat» (cf. 'blandiloquentia' in Medea vii).' Servius Danielin. in Aen. viii 500 p. 271, 22 Thil. 'flos veterum: Ennianum.' quamquam Ennius non 'flos veterum' sed 'flos populi' dixit. Cicero Cat. mai. 14, 50 'M. vero Cethegum quem recte «*suadae* (suada Par. m. pr.) medullam» dixit Ennius quanto studio exerceri in dicendo videbamus etiam senem.' Quintilianus ii 15, 4 (Isocrates) 'finem artis temere comprehendit dicens esse rhetoricen persuadendi opificem, id est πειθοῦς δημιουργόν; neque enim mihi permiserim eadem uti declinatione qua Ennius M. Cethegum «*suadae* medullam» vocat.' Cf. schol. cod. Rehdig. in rhet. ad Herenn. (mus. Rhen. vii p. 293).

---

306 dictust ollis *Gronovius ad Gellii l. c.* *Ne* ollis *aut* olim *abiicientes unum versum efficerent cavi iis quae scripsi in prooem.* 1878 *p.* 4 *sq. et* 1879/80 *p.* 5 *sqq.* 307 aevum agebant *cum hiatu Ciceronem non scripsisse sed quod ex Seneca Gellius tradidit* aevum agitabant *Lachmannus adnotavit ad Lucr.* ii 466 308 que *additum in Bruti codicibus aliquot deterioribus*

V

309 Navibus explebant sese terrasque replebant.

VI

310 Africa terribili tremit horrida terra tumultu

VII

311 perculsi pectora Poeni

VIII

312 «mortalem summum Fortuna repente
Reddidit *e* summo regno *ut famul inf*imus esset.

V (309) Servius in Aen. vi 545 'explebo numerum . . : explebo est minuam. nam ait Ennius «navibus e. sese (ēē Flor.) t. replebant», quem Caper secutus cum de praepositione ex tractaret hoc exemplum posuit.' Aliorum grammaticorum similia tradentium testimonia Lachmannus affert ad Lucretium (iv 532) eandem et ipsum ambiguitatem secutum.

VI (310) Festus p. 140, 24 Th. 'metonymia . . . quae continet quod continetur, ut Ennius cum ait «Africa t. *tremis* . . tumultu».' Cicero orat. 27, 93 'quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit cum dixit Ennius «arce et urbe orbam» (scen. 88), alio modo si pro patria arcem dixisset; et «horridam Africam terribili tremere tumultu» cum dicit, pro Afris immutat Africam.' Idem de orat. iii 42, 167 'ne illa quidem traductio atque inmutatio in verbo quandam fabricationem habet sed in oratione «Africa terribili (terribilis mutili) *tremit* . . tumultu».' Idem ad Varr. epist. ix 7, 2 'sed ridicula missa; praesertim cum sit nihil quod rideamus: «Africa t. *tremit* . . tumultu».' Cf. Varro sat. 225 B. mus. Rhen. xiv p. 424.

VII (311) Columna p. 239 'hoc fragmentum mihi e Cosentia Fabius Aquinas misit: quod a quodam suo vetustissimo Statii interprete M. S. excerpsit: cuius nomen, cum in illius libri principio et fine multae desiderentur paginae, prorsus ignoratur. constat tamen ex collatione non esse Lactantium.' mihi non aliunde innotuit fragmentum. similiter Silius viii 242 'instincti pectora Poeni.'

VIII (312) Nonius p. 110, 7 'famul famulus. Ennius lib. viiii «mortalem summum (summa Harl. m. pr. Flor. Leid.) f. r. *reddidit summo* regno *famul ut optimus* esset».' Cf. Lucretius iii 1034 'Scipiadas, belli fulmen, Cartha-

---

312 *Addas* Quem non 313 e summo regno ut *Gifanius* e summo ut regno *Scaliger* ut summo e regno *Columna* infimus *Lipsius* (*cf. Plaut. capt.* 305 me, qui liber fueram, servom fecit, e summo infimum) ultimus *N. Faber* *Orationis forma haec est* Fortuna summum mortalem reddidit (fecit) ut esset e regno famulus*; loquitur ut Terentius Andr.* 390 hic reddes omnia quae nunc sunt certa ei consilia incerta ut sient, *vel Plautus aulul.* 443 ego te faciam miserrimus mortalis uti sis, *et saepe similiter; ceterum nihil est quod temptetur: cf. relat. acad. a.* 1888 *p.* 45 *sqq.*

IX

314 «Sed quid ego haec memoro? dictum factumque facit frux

X

315 Pulvis fulva volat

XI

316 praeda exercitus undat

XII

317 libertatemque ut perpetuita
Sint quae maxime

ginis horror, ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.' Versu Lucretiano, non Enniano utitur Marius Victorinus G. L. K. VI p. 56, 9 ad lib. inc. fr. CI adscr.

IX (314) Priscianus VI p. 278, 16 H. 'frux etiam frugis facit genetivum, quia ἀπὸ τοῦ φρύγω Graeco verbo nascitur. Ennius in XVI annali [XXI]; idem in VIIII pro frugi homo frux ponit quod est adiectivum «sed . . . frux» id est frugi homo.' Ars anon. Bern. Hagen. anecd. Helv. p. 119, 29 'pro frugi Ennius frux homo posuit.'

X (315) Nonius p. 217, 12 'pulvis generis masculini ut saepe. feminini Ennius lib. VIII annalium (X) «iamque fere pulvis ad caelum vasta videtur». idem lib. VIIII «*iamque fere pulvis* fulva volat».' iamque fere in hoc altero versu per errorem repetitum esse ex priore olim a me et Hugio statutum nunc quoque aliis praefero.

XI (316) Servii excerpt. Lindenbrog. (G Lionis) in georg. II 437 'undantem abundantem. Ennius lib. IX «praeda e. undat».'

XII (317) Nonius p. 150, 31 '*perpetuitas sit* perpetua aeterna. Ennius annali lib. VIIII «libertatemque ut *perpetuitas sint* (perpetuis sint Leid. m. pr.) que maxime (Harl. maximae ceteri)».' perpetuita adiectivum dici (ut fortuitus, gratuitus) Usenerus statuit et mecum communicavit: vere, opinor, et Nonius aut eius librarii ex adiectivo nomen vulgatum perpetuitas effecerunt.

---

314 dictum factumque facit*: cf. Terentius Andr.* 381 dictum ac factum invenerit causam*; hautont.* 760 dictum ac factum reddidi*; ibid.* 904 dictum factum huc abiit Clitipho*; quae unde nata sint aperit Herodotus quod scribit* III 135, 1 *ταῦτα εἶπε καὶ ἅμα ἔπος τε καὶ ἔργον ἐποίεε et quae huic similia sunt. De sententia Cicero Tusc. disp.* IV 16, 36 iam proverbii locum obtinet, hominem frugi omnia recte facere

317 perpetuita Assit quaeso (*vel* quaesumus) maxime *Usenerus; ego accepto ab illo* perpetuita *malui* perpetuita Sint quae m. *et hariolari si libet, haec fere fuerit sententia* fac pacem libertatemque ut perpetuita Sint quae maxime avent homines

XIII

319 Rastros dentefabres capsit causa poliendi
Agri

XIV

321 Cyclopis venter velut olim turserat alt*e*
Carnibus humanis distentus

XV

323 *Florebant flammis* lychnorum lumina bis sex

XVI

324 Debi*l* homo

XVII

325 tunicata iuventus

XIII (319) Nonius p. 66, 27 'politiones agrorum cultus diligentes, ut polita omnia dicimus exculta et ad nitorem deducta. Ennius satyrarum lib. III [III]. idem annali lib. VIIII «rastros (r a t r o s Flor. m. pr. Leid.) dentefabres . . . agri».' Cf. Paulus Festi p. 40, 18 Th. 'capsit prenderit'; idem p. 50, 34 Th. 'depolitum perfectum quia omnes perfectiones antiqui politiones appellabant.'

XIV (321) Priscianus IX p. 486, 15 H. 'in geo desinentia l vel r antecedentibus geo in si conversa faciunt praeteritum perfectum, ut . . . turgeo tursi, tergeo tersi . . . . . . Ennius in VII annalium [VIII]. idem in VIIII «Cyclopis . . . turserat (terserat) *alti* c. h. distentus».'

XV (323) Macrobius Sat. VI 4, 17 (Vergilius) 'inseruit operi suo et Graeca verba, sed non primus hoc ausus; auctorum enim veterum audaciam secutus est. [18] dependent lychni laquearibus aureis (Aen. I 726), sicut Ennius in VIIII «lichnorum l. bis sex».' Servius in Aen. VII 804 'Ennius et Lucretius florere dicunt omne quod nitidum est.' Lucretii versum dicit IV 450 'bina lucernarum florentia lumina flammis' quod ad exemplum Ennii versum supplevi in relat. acad. a. 1896 p. 720.

XVI (324) Nonius p. 95, 32 '*debilo* debilis. Ennius lib. VIIII «*debilo* h.».'

XVII (325) Gellius VI 12, 7 'Q. quoque Ennius Carthaginiensium «tunicatam iuventutem» non videtur sine probro dixisse.' Nonius p. 536, 31 'tunica est vestimentum sine manicis . . . Ennius probro Carthaginiensium «tunicatam iuventutem» voluit dicere.' quod contra Aen. I 282 'Romanos rerum dominos gentemque togatam'; cf. Macrobius Sat. VI 5, 15.

---

319 dentiferos *Hugius* dentifabres *Roeperus* dentifabros *Onions* 321 alte *Ianus Dousa*: alti 323 Florebant flammis *addidi l. s. c.* 324 debil *Lipsius*: debilo *Possit Sergius dici* neutra manu neutro pede satis utilis, plurimis stipendiis d e b i l i s m i l e s, bis ab Hannibale captus . . .*: qui* in praetura sacris arcebatur a collegis ut d e b i l i s *Plin. nat. hist.* VII 104. 105

ANNALIUM LIB. X

I

BELLUM PHILIPPI

326 Insece Musa manu Romanorum induperator
Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

II

328 Leucata*m* campsant

III

A. U. C. DLIV

329 Graecia Sulpicio sorti data, Gallia Cottae

LIB. X I (326) Gellius XVIII 9, 3 'grammaticus . . . insequenda enim scribi inquit oportuit, non insecenda, quoniam insequens significat . . . traditumque 'esse inseque quasi perge dicere et insequere itaque ab Ennio scriptum in his versibus «*inseque* . . . Philippo». [4] alter . . . perseverabat Velio Longo, non homini indocto, fidem esse habendam, qui in commentario quod fecisset de usu antiquae lectionis scripserit non inseque apud Ennium legendum sed *insece* . . . [5] ego arbitror et a M. Catone insecenda et a Q. Ennio *insece* scriptum sine u littera. offendi enim in bibliotheca Patrensi librum verae vetustatis Livii Andronici, qui inscriptus est *Ὀδύσσεια*, in quo erat versus primus cum hoc verbo sine u littera «virum mihi Camena insece versutum» factus ex illo Homeri versu (*ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον*)' eqs. Totum locum ex uno Buslidiano codice, qui codex hodie evanuit, rettulit G. Canterus nov. lect. II 6. Paulus Festi p. 79, 29 Th. '*inseque* apud Ennium dic; insexit dixerit.'

II (328) Priscianus X p. 541, 15 H. 'cambio *ἀμείβω* ponit Charisius et eius praeteritum campsi, quod *ἀπὸ τοῦ κάμπτω ἔκαμψα* Graeco esse videtur. unde et campso campsas (c a m s o c a m s a s pauci) solebant vetustissimi dicere. Ennius in X «*Leucatan* (sic Reg. Halb. l e u c a t a n Bern. l e o c a t e n Sang. Lugd. Carolir. l e u c a t e m Bamb.) campsant (c a m s a n t pauci)».' Cf. C. Gl. L. VI 1 p. 172 'campsat flectit.' Gloss. antiq. A. Mai class. auct. VII p. 554 'camsare flectere iter.'

III (329) Isidorus orig. I 35, 3 'zeugma est clausula dum plures sensus uno verbo clauduntur, quae fit tribus modis. nam aut in primo aut in

---

326 *De* manu *abundanter adiecto et de eius collocatione dixi in prooem.* 1886/87 *p.* 18 328 Leucatam *scripsi;* Leucatam flectere *Cicero ad Att.* V 9, 1, superato Leucata *Livius* (XXVI 26, 1 *et* XLIV 1, 4), *sed* fervere Leucaten *Vergilius Aen.* VIII 677 campsant *Graecorum more velut κάμψας τὸ ἀκρωτήριον* (*Herod.* IV 43)*; κάμψας τὸν Πάχυνον, κάμψαι τὴν ἄκραν τοῦ Παχύνου* (*Polyb.* I 54, 1. 6)*; κάμψαντες τὸν Πάχυνον* (*Diodor. exc.* XXIV 1, 9) 329 *Livius* XXXI 6, 1 *sq.* P. Sulpicio provincia Macedonia s o r t i (*ut saepe Livius*) evenit . . . alteri consulum Aurelio Italia (*cf.* 11, 1) provincia obtigit. *Cf. ibid.* 5, 1

IV

330 Acanthus

V

331 Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus

A. U. C. DLVI RES FLAMININI V—XII

VI

332 Insignita fere tum milia militum octo
Duxit delectos bellum tolerare potentes

postremo aut in medio unum verbum ponitur quod sententias iungit. in primo ut [Lucil. 113 L.], in medio ut «Graecia S. sorti data (sorti data Bern. B) G. Cottae»; in postremo ut [Ter. Andr. 68].' Ennii versum primus agnovit L. Muellerus.

IV (330) Schol. Bern. Hageni (Fleckeis. annal. suppl. IV p. 896) in georg. II 119 'acanthi. Gnifo commentatur annalium libro decimo (commentator annalium lib. x alt. cod. cf. l. c. p. 724) hanc arborem in insula Cercina regionis Africae esse (dicit add. alt.) oportunam tincturae, quae in floris sui colorem lanam tinguat unde vestis acanthia appellatur.' Buechelerus Gniphonis memoria suscitata (mus. Rhen. XXXVI p. 334) sic argumentatur apud Ennium Acanthum Macedonicam urbem, non acanthum arborem memoratam fuisse, de qua urbe Livium ad a. u. DLIV (XXXI 45, 15 sq.) ad bellum Macedonicum spectantia afferre, ab urbis autem nomine annalium commentatorem occasionem cepisse de acantho arbore memorandi.

V (331) Cicero de re p. I 18, 30 'in ipsius paterno genere fuit noster ille amicus, dignus huic ad imitandum, «egregie . . . Sextus», qui egregie cordatus et catus fuit et ab Ennio dictus est non quod ea quaerebat quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat quae eos qui quaesissent et cura et negotio solverent.' Idem de orat. I 45, 198 'ut ille qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est «egregie . . . Sextus».' Idem Tusc. disp. I 9, 18 'aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes vecordes concordesque dicuntur, et Nasica ille prudens bis consul Corculum et «egregie . . . Sextus».' Varro de l. L. VII 46 'apud Ennium «iam cata signa fere sonitum dare voce parabant» (459). cata acuta: hoc enim verbo dicunt Savini; quare «catus elius Sextus» non ut aiunt sapiens sed acutus, et quod est [529].' Pomponius in digest. I 2, 2, 38 'Sextum Aelium etiam Ennius laudavit.'

VI (332) Priscianus I p. 30, 4 H. 'finalis dictionis subtrahitur m in metro plerumque, si a vocali incipit sequens dictio . . . vetustissimi tamen non semper eam subtrahebant. Ennius in x annalium «insignita (insignata Sang. Lugd. Halb. fortasse ex insigneita) . . . delectos (dilectus Lugd. Carolir. dilectůs Sang.) b. t. potentes».' Cf. Varro de l. L. v 142 'eius (moeri) summa pinnae ab his quas insigniti milites in galeis habere solent.' sed ea vi insignita milia militum ab Ennio dici dubito.

---

332 militum octo*: cf. Lachmannus ad Lucr.* II 466*;* militum ad octo *Fr. Marxius*

VII

334 «Sollicitari te Tite sic noctesque diesque

335 «O Tite si quid ego adiuero curamve levasso
Quae nunc te coquit et versat in pectore fixa,
Ecquid erit praemi?

338 Ille vir haud magna cum re sed plenus fidei

VIII

339 Hinc Nox processit stellis ardentibus apta.

IX

340 Veluti si quando vinc*l*is venatica ve*l*ox

VII (334) Cicero Cat. mai. 1, 1 '«o Tite si quid *ego* (ego plerique te Par.) *adiuero* (adiuvero Leid. Paris. adiu*ero Ashburn. adiuto alii) c. levasso (levavero Leid.) quae . . . fixa ecquid erit praemi (et quid e. premii vel pretii nonnulli)». licet enim mihi versibus eisdem adfari te, Attice, quibus adfatur Flamininum «ille vir . . . fidei», quamquam certo scio, non ut Flamininum «sollicitari . . . diesque». Catonem suum, non Ennium dicit Cicero ad Att. XVI 3,1 et 11, 3. Donatus in Ter. Phorm. prol. 34 'adiutans: sic maluerunt veteres quam adiuvans dicere. Ennius «o Tite si quid *ego te adiuto* c. l.».' Ennii versum habet unus cod. Ricc. cf. Wessnerum mus. Rhen. LII p. 80.

VIII (339) Macrobius Sat. VI 1, 9 'axem humero torquet stellis ardentibus aptum (Aen. IV 482). Ennius in I [XXIII] et in tertio [XII]; in X «hinc . . . apta».'

IX (340) Festus p. 188, 17 Th. '*nittit* canis in odorandis ferarum vestigis leviter ganniens, ut Ennius in l. X «veluti si quando *vinculis* venatica *veneno xapta* solet, si *forte ex* nare . . . *nictu ululatque* ibi *acuta et*» unde ipsa gannitio.' Paulus '*nittit* canis in odorandis ferarum vestigiis leviter ganniens. Ennius «nare . . . *nictit ululatque*» unde et gannitio.' Osbernus panorm. (thes. nov. Lat.) A. Mai class. auct. VIII p. 372 'hinc etiam nicto

---

334 noctesque diesque *Cicero quoque praeter consuetudinem sed Ennii memor ut videtur scripsit de fin.* I 16, 51 easque ipsas sollicitudines quibus eorum animi noctesque diesque exeduntur, *quamquam Madvigius aliter sentit, sed vide Friedlaenderi prooem. Regimont. a.* 1860 *p.* III. ὀιζυραὶ δέ οἱ αἰεὶ φθίνουσιν νύκτες τε καὶ ἤματα δακρυχεούσῃ *Odyssea* 335 adiuero*: cf. Ter. Phorm.* 537*; Catullus* 66, 18 non ita me divi vera gemunt iuverint (*libri, quod esse* iuerint *debebat*)*; Propertius* II 23, 22 me iuerint (iuverint *Neap.* capiant *ceteri*) 336 coquit*: Vergilius Aen.* VII 345 ardentem curaeque iraeque coquebant, *et* ira *saepius* coquere *dicitur* 340 Sicuti si quando *Scaliger* veluti quando *Turnebus* vinclis venatica velox apta *idem*

341 Apta solet, si forte *feras* ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictit ululatque ibi acut*e*

X

343 Aspectabat virtutem legionis sua*i*
Expectans si mussaret [dubitaret], quae denique caus*a*
345 Pugnandi fieret aut duri *finis* labor*is*.

XI

346 hori*ta*tur
Induperator

XII

348 Regni versatum summam ve*nere* columnam

as, cii vel nictui, quod proprie pertinet ad canes, quando bestiarum vestigia insequuntur; unde et *Caecilius* de quodam cane bene inquit «*nictit holetque*».'

Cf. Goetzius melet. Festin. (ind. schol. Ien. 1885/86) p. VIII adn. C. Gl. L. VI 1 p. 738.

X (343) Servius Vatic. in georg. IV 188 p. 334, 22 Thil. 'mussant hic murmurant. quae vox ponitur et in tacendi significatione, ut apud Ennium in XVII [VI], interdum et pro dubitare ut [Aen. XII 657]. mussant autem murmurant Ennius in x sic ait «aspectabat v. legionis *sive spectans* si *mussaret dubitaretque* denique *causam* p. f. aut *duri labores*».' Nestor Novariensis ed. Ven. a. 1496 p. 68 'musso cum duplicato s etiam pro murmuro ponitur auctoribus Festo (p. 127 Th.) et Nonio (p. 427). Ennius «aspectabat v. l. *suae exspectans* si *mussitarent*».'

XI (346) Diomedes I p. 382, 24 K. 'hortatur quod vulgo dicimus veteres nonnulli *horitur* dixerunt ut Ennius sexto decimo annalium [XXII]. idem in decimo «*horitur* induperator» quasi specie iterativa.'

XII (348) Donatus in Ter. Phorm. II 1, 57 'columen vero familiae: columen culmen. an columen columna? . . . Horatius contra pro columine columnam (carm. I 35, 14) «iniurioso ne pede proruas stantem columnam», Ennius x «regni v. s. *vero* columnam».'

---

341 feras *addidit O. Muellerus* A. s. cani' forte feram si ex *Scaliger, Turnebus, sed pluralis* feras *Festi verbis commendatur; aliquid coloris duxisse simile videtur ex Iliad.* x 183 ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσωσιν ἐν αὐλῇ θηρὸς ἀκούσαντες κρατερόφρονος, ὅστε καθ' ὕλην ἔρχηται δι' ὄρεσφι· πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ἐπ' αὐτῷ κτλ 342 nictít*: cf.* 492 acute *Scaliger, Turnebus*: acuta et 343 legioni' suai *Bergkius* legionis Suspectans *Ianus Dousa* 344 mussaret [dubitaret] quae denique causa *idem et nisi quod* pausa *Bergkius* 345 duri pausa laboris *Dousa* duri fini' laboris *Bergkius* 346 horitatur *Hugius*: horitur *Ego verba in duos distribui versus, et* induperator, *etsi bis terve extremo loco positum, primum non deterius obtinebat quam* 70 indotuetur ibi, 334 sollicitari te 348 venere *Ilbergius*: vero

XIII

349 Aegro corde comis *passis*

350 passis late palmis pater

XIV

351 pinsunt terram genibus

XV

352 Et simul *er*ubuit ceu lacte et purpura mixta.

XIII (349) Nonius p. 370, 22 'passum dispersum solutum. Virgilius Aeneidos lib. I (480) «crinibus Iliades passis». Terentius in Phormione (106) «capillus passus, nudus pes, ipsa horrida». Caecilius synaristosis «heri vero prospexisse eum se (ex tegulis: haec nuntiasse et flammeum) expassum domi». parcere est veniam dare. Virgilius lib. VI [853]. Lucilius lib. XXX [955 L.]. passum extensum patens: unde et passus dicimus quod gressibus mutuis pedes patescunt. Ennius annalium lib. X « aegro corde comis passis late palmis pater». passis ait palmis patentibus et extensis. Naevius Iphigenia «passo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras».'

XIV (351) Diomedes I p. 373, 5 K. 'apud veteres reperimus etiam n littera addita pinso quod est tundo et pinsit secundum tertium ordinem ut Ennius decimo annalium «pinsunt (p i n s u i Mon.) t. genibus».' Cf. scen. 411.

XV (352) Nonius p. 483, 3 'lacte nominativo casu ab eo quod est lac Ennius lib. X (Bamb. XI ceteri) «*essi* (e t s i Par.) *mulier* erubuit . . . mixta».'

---

349 *sqq. Quae continuo ordine scripta sunt in libris quia in unum versum non coeunt, dispescui in duos, imperfectum utrumque; et quia credi non potest quod fuerunt qui crederent Ennium* comis et palmis passis *diversa notione coniunctim dixisse, propter bis positum* passis (comis passis *et* passis l. palmis) *verisimile est accidisse ut duo fragmenta coalescerent in unum: id quod Quicheratum quoque intellexisse video. alterum* passis late palmis pater, *cui explicatio adhaeret* passis ait palmis patentibus et extensis *falso reiecta, quamquam iam sciri non potest, huicine libro adscriptum fuerit, ceterum verum videtur, et poterat* orat *addi (cf.* 20); *sic Vergilius* pater Anchises passis de litore palmis numina magna vocat (*Aen.* III 263); *Cicero pro Sest.* 55, 117 stantes ei manibus passis gratias agentes; *idemque in Arateis* (*de nat. deor.* II 43, 111) passis palmis *dixit quod Graece est ἀμφοτέρας χεῖρας τανύοντι ἐοικώς; neque secus χεῖρε πετάσσας ἀμφοτέρας et similia apud Homerum et alios, saepe cum precandi notione coniuncta. prius autem fragmentum, quod fuisse puto* aegro corde comis passis, *et quod ne suo quidem loco apud Nonium haberi videtur, poterat coniunctum esse cum* 351 pinsunt terram genibus, *ad eum modum quo Livius scribit* XXVI 9, 7 *in terrore Hannibalico* matronae . . . crinibus passis aras verrentes nixae genibus supinas manus ad caelum tendentes. 352 Et simul erubuit *Gulielmius* (*cf.* 128): essi mulier erubuit

XVI

353 cursus quingentos saepe veruti

XVII

354 fiere

ANNALIUM LIB. XI

FLAMININI RES ET GRAECORUM

I

355 Quippe solent reges omnes in rebus secundis

II

356 Contendunt *Graecos, Graios* memorare solent sos,
*li*ngua longos per

XVI (353) Festus ex apogr. l. xx p. 570, 27 Th. 'veruta pila dicuntur, quod . . habent praefixa. Ennius li. x «— cursus q. s. veruti».' Paulus 'veruta pila dicuntur, quod velut verua habent praefixa.' Lucretius iv 409 'quos tibi tum supra sol montis esse videtur comminus ipse suo contingens fervidus igni, vix absunt nobis missus bis mille sagittae, vix etiam cursus quingentos saepe veruti.' Nihil impedit quominus idem versus apud Ennium fuisse credatur quem habet Lucretius; cf. 149 et Lachmannum ad Lucr. iv 126 p. 222.

XVII (354) Macrobii excerpta Bob. G. L. K. v p. 645, 9 'a fio fiere esse deberet; et licet usus aliter optinuerit (fieri enim nunc dicitur), Ennius tamen in x annalium «fiere» dixit, non fieri.' Cf. ad v. 15; 'fiere' ex Laevio affert Gellius xix 7, 10.

LIB. XI I (355) Festus p. 340, 22 Th. 'quippe significare quod ni ('quippe significat quidni' Paulus) testimonio est Ennius l. xl (xi Ursinus) «quippe . . . secundis». idem l. xvi [ii].'

II (356) Festus p. 428, 17 Th. 'sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius l. i [xvii] et l. iii [v]. l. vii [xviii]. l. xi «contendunt *graios grecos* m. s. sos».'

Ibidem p. 400, 19 Th. decem versuum non nisi extremae syllabae legi possunt '— — s appellat Enni | — — (*c*)*os grai* memo | — — ngua longos per | — — ispani non Ro | — — cum Romulus ur | — — inae locutus sit | — — gentis fuerit | — — nione mutata | — — icat origo eius | — — surpatio.' quae omnia videntur ad unam causam pertinere, quae est de communione linguae vel gentis et nationis, sed refingi tenor non potest: nisi

---

356 *Non* Graios Graecos *quod altero loco habet Festus, nec* Graecos Grai *quod indicat altero, sed* Graecos Graios, *quod olim in ipso codice scriptum putabant, verum est; et est* Graii *nationis nomen, ut Naevius* Graii atque barbari (*Cic. or.* 55, 152), *Cicero de re p.* i 37, 58 si ut Graeci dicunt, omnes aut Graios esse aut barbaros *eqs. et saepe similiter*

III

Pergama

358 Quae neque Dardaniis campis potuere perire
Nec cum capta capi nec cum combusta cremari

IV

360 «malo cruce» fatur «uti des,
Iuppiter,

V

362 Pendent peniculamenta unum ad quemque pedum

VI

363 Tum clipei resonunt et ferri stridit acumen.

quod duos esse versus Ennianos intelligitur, iunctos fortasse hoc modo: «contendunt Graecos . . . (eadem usos li)ngua longos per (temporis tractus)»; et 'temporis tractus' iam Ursinus. tertius videtur ille quidem idem esse cum eo quem Charisius plenum citavit 'Hispane non Romane memoretis loqui me' (lib. inc. xxxix), sed eum in hoc nexu locum habuisse nimis est incertum.

III (358) Macrobius Sat. vi 1, 60 'num capti potuere capi? num incensa cremavit Troia viros? (Aen. vii 295). Ennius in undecimo (decimo Angl. x in ras. Par.) cum de Pergamis loqueretur «quae . . . cremari (cremare Neap.)».'

IV (360) Nonius p. 195, 12 'crux generis feminini saepe. masculini Ennius annali lib. xi «malo . . . Iuppiter».' Cf. Festus ex apogr. l. xii p. 138, 24 Th. '«malo cruce» masculino genere cum dixit Gracchus . . . tam repraesentavit antiquam consuetudinem quam hunc frontem atque hunc stirpem idem antiqui dixerunt et rursus hanc lupum, hanc metum (cf. ad vi fr. iv). item cum idem . . . ait «eo exemplo instituto dignus fuit qui malo cruce periret».'

V (362) Nonius p. 149, 31 'peniculamentum a veteribus pars vestis dicitur. Ennius lib. xi (xii m. pr. Leid.) annalis «pendent . . . pedum». Lucilius lib. xviiii (493 L.) «penulamento vere reprehendere noli».'

VI (363) Priscianus viii p. 445, 7 H. 'sono sonas et sonis. Ennius in xi annalium «*tum* clipei (clepei pauci) *resonant aes* (resonunt aes Carolir.)

360 *Fuit* des, Iuppiter, interitum *sive* exitium (*cf. scen.* 272)*; nam structurae genus Gracchi exemplum supra allatum prodit; et erat haec, ut opinor, exsecratio sui, ut in foedere feriendo* (des Iuppiter interitum si fallo)*, similis illi, non compar, quam Paulus Festi p.* 82, 9 *Th. affert* si sciens fallo, tum me Dispiter . . bonis eiiciat ut ego hunc lapidem*; Livius* ix 5, 3*;* i 24, 8*; Cic. ad fam.* vii 1, 2*; Soph. Phil.* 1341 362 *Suppleri poterat* pedum nunc*; ceterum recte* unum quemque pedum, *ut* quisque dierum *Horatius sat.* ii 3, 124*; sententia autem plana:* ad unum quemque pedum *dicit pro* uni cuique ad pedem p. p.

VII

364 Missaque per pectus dum transit striderat hasta

VIII

365 Alte delata *petr*isque ingentibus tecta

IX

366 rim*antur* utrique

ANNALIUM LIB. XII

I

367 Omnes mortales victores, cordibus vivis
Laetantes, vino curatos, somnus repente
In campo passim mollissimus perculit acris.

f. s. acumen».' Idem ix p. 473, 23 H. 'sonui sonitum . . . haec tamen ipsa et secundum tertiam vetustissimi protulisse inveniuntur coniugationem, ut Ennius in xi annali «*tunc* clipei (clepei pauci) *resonunt et* f. s. acumen». idem in xiv [iv].'

VII (364) Priscianus viii p. 419, 16 H. 'a strido quoque alii stridui, alii stridi protulerunt. Ennius in annalium xi «missaque . . . hasta».'

VIII (365) Festus ex apogr. l. xiv p. 250, 14 Th. 'petrarum genera sunt duo, quorum alterum naturale saxum prominens in mare, cuius Ennius meminit L. xi «alte delata *ceterisque* i. tecta» et Levius in Centauris «ubi ego saepe petris».'

IX (366) Paulus Festi p. 383, 7 Th. 'rimari est valde quaerere ut in rimis quoque.' Festus haec principia versuum habet '| ri quaere — — | qui te rimat — — | Ennius l. x(i) — — | utrique».' Fuit igitur fortasse, ut Baehrensius edidit, 'rimantur utrique.'

LIB. XII I (367) Priscianus v p. 153, 11 H. 'acer et alacer et saluber et celeber quamvis acris et alacris plerumque faciant et salubris et celebris feminina, in utraque tamen terminatione communis etiam generis inveniuntur prolata . . . Ennius in xvi [xiv]. idem in xii «omnes mortales (omnis mortalis plerique) . . vivis (huius Par. R Sang. Halb.) . . . acris».' Idem vi p. 230, 5 H. 'alacer alacris, acer acris. et sciendum, quod in utraque terminatione utriusque generis inveniuntur haec . . . Ennius in xii «omnes mortales (omnis mortalis nonnulli) . . vivis (huius m. pr. Halb.) . . . acris».'

---

365 petrisque *A. Augustinus*: ceterisque *Praeterea nihil movendum quamvis in obscura sententia duxi Hauptio obtemperans opp.* ii *p.* 429 367 vivis*:* imis *fuerunt olim et nuper qui mallent*

II

PRAECONIA FABII MAXIMI

370 Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non enim rumores ponebat ante salutem.
372 Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

III

M' Curius

M'CURII

373 Quem nemo ferro potuit superare nec auro

II (370) Macrobius Sat. vi 1, 23 'unus qui nobis cunctando restituit rem (Aen. vi 846). Ennius in xii (vii Salisb.) «unus *homo* . . . rem».' Cicero de off. i 24, 84 'quanto Q. Maximus melius, de quo Ennius «unus *homo* . . . non enim . . . ergo postque magisque (magis quē Herb. Bern. a b) . . . claret».' Idem Cat. mai. 4, 10 'hic (Q. Fabius) et bella gerebat ut adulescens cum plane grandis esset et Hannibalem iuveniliter exultantem patientia sua molliebat: de quo praeclare familiaris noster Ennius «unus *homo* (unus qui Leid. Voss. Ashb. unus homo qui Par.) nobis . . . non enim r. ponebat (ponebant Voss. et m. pr. Par.) . . . ergo postque . . . claret».' Servius in Aen. vi 845 (tu Maxumus ille es, unus qui nobis cunctando restituis rem) 'ille est de quo ait Ennius «unus *qui* n. c. restituit (restituis nonnulli) rem». sciens enim Vergilius quasi pro exemplo hunc versum posuit.' Servium exscripsit mythogr. Vatic. i fab. 224 (A. Mai class. auct. iii p. 79). Livius xxx 26, 7 'eodem anno Q. Fabius Maximus moritur . . . [9] cautior tamen quam promptior hic habitus; et sicut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit an quia ita bello proprie quod tum gerebatur aptum erat, sic nihil certius est quam «unum hominem nobis cunctando rem restituisse», sicut Ennius ait.' Cf. xliv 22, 10. Cicero ad Atticum ii 19, 2 'Bibulus in caelo est, nec quare scio, sed ita laudatur quasi «unus *homo* nobis c. restituit rem».' de qua forma cf. quae dixi ad scen. fab. inc. xxi. Suetonius Tiber. 21 (ex epistola Augusti ad Tiberium) 'ii quoque qui tecum fuerunt omnes confitentur, versum illum in te posse dici «unus *homo* n. vigilando r. r.».' Ovidius fast. ii 240 'unus de Fabia gente relictus erat: scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci, cui res cunctando restituenda foret.' Seneca de benef. iv 27, 2 'quid ergo? et Fabius qui «cunctando restituit rem» temerarius est?' Serenus Sammonicus lib. med. (P. L. M. iii Baehr.) 1092 'interdum existit turpi verruca papilla. hinc quondam Fabio verum cognomen adhaesit, qui solus patriae cunctando restituit rem.' Polybius iii 105, 8 '*τοῖς μὲν οὖν παρ' αὐτὸν γενομένοις τὸν κίνδυνον ἦν ἐναργὲς ὅτι διὰ μὲν τὴν Μάρκου τόλμαν ἀπόλωλε τὰ ὅλα, διὰ δὲ τὴν εὐλάβειαν τοῦ Φαβίου σέσωσται καὶ πρὸ τοῦ καὶ νῦν.*'

III (373) Cicero de re p. iii 3, 6 'ex qua vita (civilem dicit) sic summi viri ornantur, ut vel M' (M. cod.) Curius, «quem . . . auro».'

---

371 Noenum *Lachmannus ad Lucr.* iii 198*; quod cur pro vero non habendum videatur dixi in mus. Rhen.* xvi *p.* 584*; de toto genere vide nunc F. Leonem quaest. Plaut. p.* 305 372 *Hunc versum integrum esse et quo modo accipiendus sit, significavi in actis acad. ad* v *c. p.* 7 *n.*

IV

Carus fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore: cuius laudibus certe non solum ipse qui laudatur sed etiam populi Romani nomen ornatur. in caelum huius proavus Cato tollitur: magnus honos populi Romani rebus adiungitur. omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur. ergo illum qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores nostri in civitatem receperunt.

V

ENNIUS DE SUIS REBUS v—viii

Claudium et Tuditanum consules sequuntur Q. Valerius et C. Mamilius (Manilius libri) quibus natum esse Q. Ennium poetam M. Varro in primo de poetis libro scripsit eumque cum septimum et sexagesimum (s..agesimum cum interstitio ii vel iii vel iv litterarum nonnulli libri) annum haberet, duodecimum (* $\overset{\text{mū}}{\text{xii}}$ eraso x Voss. min.) annalem scripsisse idque ipsum Ennium in eodem libro dicere.

VI

374 Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit

VII

376 Messapus

IV Cicero pro Archia 9, 22: cuius verba hic inserenda duxi, quamquam singuli quos appellat et suis nimirum locis laudati fuerant.

V Gellius xvii 21, 43. Cur et hoc testimonium de Ennii aetate et praeconium Fabii (ii), e duodecimo annali citatum utrumque, huic annali reservandum duxerim rationesque quas habeant hae duae reliquiae inter se tantopere discrepantes cum hoc libro exposui in actis acad. a. 1886 ('Über die Annalen des Ennius') p. 6 sqq. ibidem p. 8 sqq. significavi ex incertis quae cum illis duobus apte coniungi potuerint, quorum nonnulla hoc loco ponere non dubitavi.

VI (374) Cicero Cat. mai. 5, 14 'sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt, quod non faciebat is cuius modo mentionem feci Ennius «sicut (plerique; sicuti Par. Ashb.) . . . quiescit». equi fortis et victoris senectuti comparat suam. quem quidem probe meminisse potestis: anno enim undevicesimo post eius mortem hi consules, T. Flamininus et M'Acilius, facti sunt, ille autem Caepione et Philippo iterum consulibus mortuus est, cum ego quinque et sexaginta annos natus legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasi. sed annos septuaginta natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat... paupertatem et senectutem ut eis paene delectari videretur.' Cf. acta acad. a. 1886 s. c. p. 9 sq.

VII (376) Servius in Aen. vii 691 'at Messapus equum domitor Neptunia proles: hic Messapus per mare ad Italiam venit . . . ab hoc Ennius dicit (commemorat) se originem ducere, unde nunc (698. 699) et cantantes inducit eius socios et eos comparat cycnis.' Cf. Silius It. xii 393 'Ennius,

---

374 Sicine *Havetus*

VIII

377 Nos sumus Romani, qui fuimus ante Rudini

ANNALIUM LIB. XIII

I

ANTIOCHUS ET HANNIBAL I—IV

378 «Isque Hellesponto pontem contendit in alto.

II

379 «Contempsit fontes quibus exerugit aquae vis

antiqua Messapi ab origine regis, miscebat primas acies, Latiaeque superbum vitis adornabat dextram decus: hispida tellus miserunt Calabri: Rudiae genuere vetustae: nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno. is prima in pugna' eqs. Suidas s. v. Ἔννιος (I 2 p. 262 Bernh.) sive Aelianus apud Suidam 'ὁ ποιητὴς ὁ Μεσσάπιος.' Cf. Crusius mus. Rhen. XLVII p. 61 sq. Gellius XVII 17, 1 'Quintus Ennius tria corda habere sese dicebat, quod loqui Graece et Osce et Latine sciret.' Quibus de origine Messapia expositis adhaerebant in contrarium illa opinor «at nunc Nos sumus Romani qui fuimus ante Rudini».

VIII (377) Cicero de orat. III 42, 168 'videtis profecto genus hoc totum, cum inflexo immutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius. cui sunt finitima . . cum intellegi volumus . . . aut ex uno plures «at Romanus homo . . . trepidat» (547), aut cum ex pluribus intellegitur unum «nos . . . Rudini (sic optimi, rutili vel rutuli et similiter ceteri)».' Cf. IV extr.

LIB. XIII I (378) Varro de l. L. VII 21 'Cassi «Ellespontum et claustra», quod Xerses quondam eum locum clausit; nam ut Ennius ait «isque . . . alto».'

II (379) Macrobii exc. Bob. G. L. K. V p. 651, 35 'eructo etiam a quo principali veniat quaeritur et est a verbo erugit. Ennius «contempsit f. quibus *ëxerugit* (sic cod.) a. vis».' Eiusdem exc. Paris. ibid. p. 626, 21 'eructat frequentativum est a principali *erugit aquae* vis».' Defectus ex duplici 'erugit' ortus, qui non fugit editores, ex altero loco suppletur 'erugit. [Ennius «contempsit f. quibus exerugit] aquae vis».' Cf. Paulus Festi p. 58, 30 Th. 'erugere semel factum significat, quod eructare saepius. illud enim perfectae formae est, hoc frequentativae.'

---

377 fuvimus *Lambinus* 379 quibus ex erugit *Keilius* (*velut Lucretius* VI 788 terris ex omnia surgunt, *Varro Atac. in expl. in Donat. G. L. K.* IV *p.* 564, 17 huic similis curis ex perdita lamentatur); *ego* (*quia* erugo eructo *activam vim habet*) *proposui olim* quibu' sese erugit

Iustinus XXXI 5, 7 *quod Hannibali cum Antiocho de belli Romani rationibus agenti haec verba tribuit* sin quis illis Italia velut fonte virium cesserit, proinde falli ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis derivare sed concretis iam aquarum molibus avertere vel exsiccare velit, *inde locum et sententiam versus Enniani cognosci putavi* (*prooem.* 1892/93 *p.* 12 *sqq.*)

III

380 «satin vates verant aetate in agunda?

IV

381 «Hannibal audaci cum pectore de me hortatur,
Ne bellum faciam, quem credidit esse meum cor
383 Suasorem summum et studiosum robore belli.

ANNALIUM LIB. XIV

I

384 Verrunt extemplo placide mare: marmore flavo
Caeruleum spumat sale conferta rate pulsum

BELLUM ANTIOCHINUM I—IX

III (380) Gellius XVIII 2, 12 'hoc quaesitum est, verbum verant, quod significat vera dicunt, quisnam poetarum veterum dixerit . . . [16] nemo enim tum commeminerat, dictum esse a Q. Ennio id verbum in tertio decimo annalium in isto versu «satin . . . agunda».'

IV (381) Gellius VI 2, 3 'scripsit autem Caesellius, Q. Ennium in XIII (XII m. pr. Vat.) annali cor dixisse genere masculino. [4] verba Caesellii subiecta sunt: masculino genere, ut multa alia, enuntiavit Ennius; nam in XIII annali quem cor dixit. [5] ascripsit deinde versus Ennii duo «Hannibal *audaci cum* p. *dehortatur* ne . . . cor». [6] Antiochus est qui hoc dixit Asiae rex. . . . [8] hoc Caesellius quidem, sed aliud longe Ennius. [9] nam tres versus sunt, non duo, ad hanc Ennii sententiam pertinentes, ex quibus tertium versum Caesellius non respexit «Hannibal *audaci dum* p. *de me hortatur* ne . . . robore belli».' Nonius p. 195, 20 'cor generis est neutri, ut dubium non est. masculini Ennius lib. XIII (XII m. pr. Harl.) «Annibal *laudacium* p. *de me hortatur* ne . . . cor».'

LIB. XIV I (384) Gellius II 26, 21 'sed cum omnia libens audivi quae peritissime dixisti, tum maxime quod varietatem flavi coloris enarrasti

---

380 *De sententia cf. Diodori exc.* VIII 6 *παρεκάλει τὰ πλήθη μὴ προσέχειν τοῖς μάντεσι σχεδιάζουσι· καὶ γὰρ καὶ ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων αὐτοὺς πλείστοις ἁμαρτήμασι περιπίπτειν, ὡς μὴ δυναμένους προιδέσθαι τὸ μέλλον κτλ. Enniana Hannibalis esse Antiochum dedocentis fortasse haec Plutarchi de exilio* 16 *p.* 606 *c indicare possunt τί δὲ Ἀννίβας ὁ Καρχηδόνιος οὐκ ἐχρῆτο παῤῥησίᾳ πρὸς Ἀντίοχον βασιλέα ὄντα φυγὰς ὤν; ὁπηνίκα καιροῦ διδόντος ἐκέλευεν αὐτὸν ἐπιχειρεῖν τοῖς πολεμίοις· τοῦ δὲ θυσαμένου καὶ τὰ σπλάγχνα κωλύειν φάσκοντος, ἐπετίμησεν εἰπών 'σὺ τί κρέας λέγει σκοπεῖς, οὐ τί νοῦν ἔχων ἄνθρωπος'* 381 horitatur *Bergkius* 383 studiosum robore *h. e. ἐφιέμενον ἐῤῥωμένως* 384 placidum *Parrhasius* flavo Caeruleum: spumat *Ribbeckius mus.*

II

386 Labitur uncta carina, volat super impetus undas

III

387 Cum procul aspiciunt hostes accedere ventis
Navibus velivolis

IV

389 Litora lata sonunt

V

390 rumpia

fecistique ut intellegerem verba illa ex annali quarto decimo Ennii amoenissima, quae minime intellegebam «verrunt . . . spumat *mare* . . pulsum»; [22] non enim videbatur caeruleum mare cum marmore flavo convenire. [23] sed cum sit, ita ut dixisti, flavus color e viridi et albo mixtus, pulcherrime prorsus spumas virentis maris flavom marmor (flavum vel flavo marmor libri) appellavit.' Priscianus v p. 171, 11 H. 'hic et hoc sal . . . etiam hoc sale Ennius protulit in xiiii (xvii Sang.) annalium «caeruleum s. *sale* . . pulsum» pro mare (pro ma**re ex manere Halb. Lugd. per mare ceteri fere cum arte Bernensi Hagen. anecd. Helv. p. 112, 5, sed haec ad Ennii versum referri de Krehlii Hertziique opinione non possunt).'

II (386) Macrobius Sat. vi 1, 51 'labitur uncta vadis abies (Aen. viii 91). Ennius in xiiii «labitur . . . undas».' Cf. 478 'labitur uncta carina' et Aen. iv 398 'natat uncta carina.'

III (387) Macrobius Sat. vi 5, 10 'despiciens mare velivolum (Aen. i 224). Livius (Laevius Ribbeckius) in Helena «tu qui permensus ponti maria alta velivola». Ennius in xiiii «cum . . . velivolis». idem in Andromache (i) «rapit ex alto naves velivolas».' Servius in Aen. i 224 'velivolum duas res significat, et quod velis volatur ut hoc loco et quod velis volat, ut Ennius «naves (navius Cass. m. pr.) velivolas» qui et proprie dixit.' Cf. Buechelerus carm. epigr. 1533, 2.

IV (389) Priscianus ix p. 474, 2 H. 'sonui sonitum . . . haec tamen ipsa et secundum tertiam vetustissimi protulisse inveniuntur coniugationem, ut Ennius in xi annali [vi]. idem in xiiii (viii Lugd.) «litora l. sonunt».'

V (390) Gellius x 25, 4 'item rumpia (rupia libri sed supra 2 rumpiae vel rūpiae) genus teli est Thraecae nationis positumque hoc vocabulum in Quinti Enni annalium xiv.' Cf. Livius xxxi 39, 11 (ad a. u. 554) 'Thracas

---

Rhen. x 277 *n.* flavo: Caeruleum spumat *vulgo. Cicero quidem teste Nonio p.* 162, 29 quid mare nonne caeruleum? at eius unda cum est pulsa remis purpurascit. *sed Vergilius Aen.* viii 672 (*de clipeo*) sed fluctu spumabant caerula cano*; Seneca Agam.* 441 dirimuntque canae caerulum spumae mare*; Silius* i 575 fugiunt tumido per spumea caerula velo. *neutrum probavi, sed Gellii verbis accurate excussis non videtur satisfacere nisi ea quam nunc expressi distinctionem*

VI

391 «Nunc est ille dies cum gloria maxima sese
Nobis ostendat si vivimus sive morimur.

VII

393 Horrescit telis exercitus asper utrimque.

VIII

394 Infit «o cives quae me fortuna ferocis
Contudit, indigno bello confecit acerbo

quoque rumpiae ingentis et ipsae longitudinis inter obiectos undique ramos impediebant.'

VI (391) Priscianus x p. 501, 14 H. 'deponentia in rior desinentia orior et morior tam secundum tertiam quam secundum quartam coniugationem declinaverunt auctores ... Ennius in xiiii annalium «nunc ... sese (in ... sese om. Sang.) nobis ostendat (ostendit Lugd. et corr. Reg. ostentat unus Krehlii) ... morimur».'

VII (393) Macrobius Sat. vi 4, 6 'tum ferreus hastis horret ager (Aen. xi 601). horret mire se habet, sed et Ennius in quarto decimo «horrescit ... utrimque» et in Erechtheo (iv) «arma arrigunt, horrescunt tela» et in Scipione (viii) «sparsis hastis longis campus splendet et horret» (cf. ibi adnotata). sed et ante omnes Homerus (Il. xiii 339) *ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι* (*μακρῇς ἃς εἶχον ταμεσίχροας*).' Vergilius etiam Aen. vii 526 'horrescit strictis seges ensibus' et xii 663 'strictisque seges mucronibus horret ferrea.' Unde origo magis metaphorae perspicitur: cf. Lycophronis Alex. 252 *πέφρικαν ὥστε ληίου γύαι λόγχαις ἀποστίλβοντες* et Holzingeri comm.

VIII (394) Priscianus x p. 518, 14 H. 'vetustissimi tamen tam producebant quam corripiebant supradicti verbi, id est (tundo) tutudi, paenultimam. Ennius in xiiii «infit ... *fero sic* contudit ... *acervo* (acerbo Lugd.)». ecce hic corripuit. idem in xvi [v]; idem in annalibus [448]. hic produxit paenultimam.' Cf. Paulus Festi p. 80, 15 Th. 'infit incipit.' Gellius xix 7, 10 inter Laeviana refert 'item fiere (fieri duo, fuere vel fliere ceteri) inpendio infit, id est fieri inpense incipit.' Itaque Vergilius 'ita farier infit' (Aen. xi 242); 'solio rex infit ab alto' (xi 301); al. et Livius 'tum ita Tullus infit' (i 28, 4); 'ibi infit' (iii 71, 6).

---

394 ferox sic *Columna* ferocem *Ianus Dousa, et* contundere ferocem *de more dicitur: Verg. Aen.* i 263 populosque feroces contundet*; Tib.* iii 6, 13 illa ferocem contudit*; Cicero de re p.* vi 1, 1 qui contuderit ... ecfrenatam illam ferociam*; Livius* xxvii 2, 2 ferocem victoria Hannibalem contudisset*; ibid.* 12, 11 contunderent ferociam hostis*; al. sed tamen malui in similem sententiam* ferocis *efficere ex* ferosic *h. e.* quae fortuna, quae esse ferocis solet, me contudit   395 Contudit indigne et bello *Columna*

IX

396 Omnes occisi obcensique in nocte serena

ANNALIUM LIB. XV

I

FULVII RES I—VI AMBRACIA

M. Fulvius Nobilior . . . consul Aetolos . . proeliis frequentibus victos et in Ambraciam oppidum coactos in deditionem accepit . . de quibus triumphavit: quam victoriam per se magnificam Q. Ennius amicus eius insigni laude celebravit.

II

397 Malos defindunt, fiunt tabulata falaeque

III

398 Occumbunt multi letum ferroque lapique
Aut intra muros aut extra praecipe casu.

IV

De Pandaro et Bitia aperientibus portas locus acceptus est ex libro quinto decimo Ennii qui induxit Histros duos in obsidione erupisse porta et stragem de obsidente hoste fecisse.

IX (396) Festus ex apogr. l. xiv p. 236,6 Th. 'ob praepositione antiquos usos esse pro ad testis est Ennius quom ait L. xiiii «omnes . . . serena» id est accensi, et in Iphigenia [xiii].'

LIB. XV I Aurelius Victor de vir. illustr. 52. Cf. Symmachus ep. i 20,2.

II (397) Nonius p. 114, 7 'falae turres sunt ligneae. Ennius lib. xv «malos defindunt . . falaeque (falae quae)». haec sunt et in circo, quae apud veteres propter spectatores e lignis erigebantur.' Cf. Paulus Festi p. 63, 7 Th. 'falae dictae ab altitudine, a falado, quod apud Etruscos significat caelum.'

III (398) Priscianus vi p. 281, 7 H. 'vetustissimi etiam praecipis genetivum qui a nominativo praeceps est secundum analogiam nominativi protulerunt . . . Ennius in xv annali «obcumbunt (occumbunt) m. letum (loetum vel laetum) . . . casu».' Ars anon. Bern. Hagen. anecd. Helv. p. 122, 16 'antiqui . . . dicebant praeceps praecipis. Ennius «praecipe casu».' Priscianus vi p. 250, 9 H. 'vetustissimi tamen etiam huius lapis protulerunt. Ennius in xv (v Bamb.) annali «occumbunt m. letum (loetum vel laetum) f. lapique».'

IV Macrobius Sat. vi 2, 30 'sunt alii loci plurimorum versuum quos Maro in opus suum cum paucorum immutatione verborum a veteribus transtulit . . . [31] in principio Aeneidos tempestas describitur et Venus apud Iovem

---

397 diffindunt *Merula, quod non melius quam* defindunt *librorum intelligitur; malim* defigunt*; malis enim defixis fieri possunt tabulata et per tabulata exstrui falae*

V

400 succincti corda machaeris

VI

401 Undique conveniunt velut imber tela tribuno:
Configunt parmam, tinnit hastilibus umbo,
403 Aerato sonitu galeae, sed nec pote quisquam
Undique nitendo corpus discerpere ferro.
405 Semper abundantes hastas frangitque quatitque.
Totum sudor habet corpus, multumque laborat,
Nec respirandi fit copia: praepete ferro
408 Histri tela manu iacientes sollicitabant.

queritur . . . hic locus totus sumptus a Naevio est ex primo libro belli Punici . . . [32] item de Pandaro et Bitia aperientibus portas (Aen. IX 672)' eqs.

V (400) Servius in Aen. IX 675 'armati ferro: aut bene instructi armis aut, ut Asper dicit, ferrea corda habentes i. e. dura et cruenta cogitantes, ut Ennium sit secutus qui ait «succincti c. macheris (suaintus maceriis Flor.)».'

VI (401) Macrobius Sat. VI 3, 1 'sunt quaedam apud Vergilium quae ab Homero creditur transtulisse; sed ea docebo a nostris auctoribus sumpta, qui priores haec ab Homero in carmina sua transtulerant . . . [2] Homerus de Aiacis forti pugna ait (Il. XVI 102) *Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμιμνε· βιάζετο γὰρ βελέεσσιν. δάμνα μιν Ζηνός τε νόος καὶ Τρῶες ἀγαυοὶ βάλλοντες· δεινὴν δὲ περὶ κροτάφοισι φαεινὴ πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε· βάλλετο δ' αἰεὶ κὰπ φάλαρ' εὐποίηθ'· ὁ δ' ἀριστερὸν ὦμον ἔκαμνεν ἔμπεδον αἰὲν ἔχων σάκος αἰόλον· οὐδ' ἐδύναντο ἀμφ' αὐτῷ πελεμίξαι ἐρείδοντες βελέεσσιν· αἰεὶ δ' ἀργαλέῳ ἔχετ' ἄσθματι, κὰδ δέ οἱ ἱδρὼς πάντοθεν ἐκ μελέων ῥέεν ἄσπετος, οὐδέ πῃ εἶχεν ἀμπνεῦσαι, πάντῃ δὲ κακὸν κακῷ ἐστήρικτο.* [3] hunc locum Ennius in quinto decimo (sic vel XV plerique XII Par.) ad pugnam Caelii (cęlii vel celii libri) tribuni his versibus transfert «undique (401) . . . sollicitabant (408)». [4] hinc Vergilius eundem locum de incluso Turno gratia elegantiore composuit (Aen. IX 803—811) «ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum nec dextra valet, obiectis sic undique telis obruitur, strepit adsiduo cava tempora circum tinnitu galea et saxis solida aera fatiscunt discussaeque iubae capiti nec sufficit umbo ictibus, ingeminant hastis et Troes et ipse fulmineus Mnestheus. tum toto corpore sudor liquitur et piceum, nec respirare potestas, flumen agit, fessos quatit aeger anhelitus artus».' Enniana nec a quinto decimo

---

401 *Cf.* 284 hastati spargunt hastas, fit ferreus imber, *et Aen.* XII 284 402 astilibus *Salisb.* 403 Aerato sonitu galeae, *quae varie temptata sunt, nec recte adnectuntur superioribus nec satis tuto emendantur; suspicor desiderari versum, cui illa apte adhaeserint; ceterum cf. Il.* XII 160 405 abundantes *vel* habundantes *libri* obundantes *Pontanus*

VII

409 Arcus *s*ub*s*piciunt, mortalibus quae perhibentur

ANNALIUM LIB. XVI

I

EXORDIUM I—IV

Q. Ennius T. Caecilium Teucrum fratremque eius praecipue miratus propter eos sextum decimum adiecit annalem.

II

410 Quippe vetusta virum non est satis bella moveri

III

411 Reges per regnum statuasque sepulcraque quaerunt,
Aedificant nomen: summa nituntur opum vi.

IV

413 Postrem*o* longinqua dies confecerit aetas

annali, cui Macrobius tribuit, segreganda esse et cum altera eiusdem Macrobii narratione (IV), quam ex eodem quinto decimo petiit cum eodemque libro Aeneidos composuit, concilianda probare studui in actis acad. a. 1886 ('Über die Annalen des Ennius') p. 18 sqq.

VII (409) Priscianus VI p. 259, 5 H. (arcus) 'invenitur tamen apud veteres etiam feminini generis, secundum quod bene quartae est declinationis. Ennius in XV annali «arcus *ubi aspiciunt*.. perhibentur (perhibetur Halb.)».'

LIB. XVI I Plinius nat. hist. VII 101 'fortitudo in quo maxime exstiterit inmensae quaestionis est, utique si poetica recipiatur fabulositas. Q. (qua, quae) Ennius ... annalem.'

II (410) Festus p. 340, 24 Th. 'quippe significare quod ni ('quippe significat quidni' Paulus) testimonio est Ennius l. XI [I]. idem l. XVI «quippe ... moveri». item alii conplures.'

III (411) Macrobius Sat. VI 1, 17 'summa nituntur opum vi (Aen. XII 552). Ennius in quarto [II] et in XVI «reges ... opum vi».'

IV (413) Gellius IX 14, 5 'Q. Ennius in XVI annali dies scripsit pro diei in hoc versu '*postrema* .. confecerit (quod fecerit Bern. Par. Voss. mai.) aetas».'

---

409 Arcus subspiciunt *scripsi*: arcus ubi aspiciunt*; cf. act. acad. s. c. p.* 24 *sq.* 410 moveri *ne quis cum Bergkio dubitet vindicabit Bentleius ad Hor. c.* III 7, 20 412 Aedificant nomen *tutabar prooem.* 1886/87 *p.* 6 413 Postremo *Bergkius*: postrema longinqua dies aetas, *ut Lucretius* I 557 longa diei infinita aetas ante acti temporis omnis *Sententia quae sit et quo modo cohaereat cum* 411 *sq.*

CERTAMINA SINGULARIA V—IX

V

414 Ingenio forti dextra latus pertudit hasta

VI

415 Concidit, et sonitum simul insuper arma dederunt

VII

416 tamen induvolans secum abstulit hasta
Insigne

VIII

418 Tunc timido manat ex omni corpore sudor

IX

419 Matronae moeros complent spectare faventes.

X

420 Montibus obsti*p*is obstantibus unde oritur nox

V (414) Priscianus x p. 518, 17 H. 'vetustissimi tamen tam producebant quam corripiebant supradicti verbi, id est (tundo) tutudi, paenultimam. Ennius in xiiii [viii]. ecce hic corripuit. idem in xvi «ingenio . . . hasta». idem in annalibus [448]. hic produxit paenultimam.'

VI (415) Macrobius Sat. vi 1, 24 'corruit in vulnus: sonitum super arma dedere (Aen. x 488). Ennius in xvi «concidit . . simul (om. Par.) . . dederunt».'

VII (416) Macrobius Sat. vi 1, 53 'apicem tamen incita summum hasta tulit (Aen. xii 492). Ennius in xvi «tamen induvolans (inde volans pauci) . . . insigne».'

VIII (418) Macrobius Sat. vi 1, 50 'tum gelidus toto manabat corpore sudor (Aen. iii 175). Ennius in xvi «tunc (tum Med. 2) timido . . . sudor».'

IX (419) Servius Lemovic. in georg. i 18 p. 135, 16 Thil. 'favens pro volens . . . favere enim veteres etiam velle dixerunt. Ennius «m. *moeros* . . faventes».' Idem Vatic. in georg. iv 230 p. 338, 17 Thil. 'ore fave . . . ponitur eadem vox et pro velle aput eundem Ennium in xvi (xiii Ursinus) «matrone *melos* . . faventes» id est volentes.'

X (420) Festus ex apogr. l. xiv p. 220, 25 Th. '*obstitum* obliquum ('*obstitum* oblicum' Paulus). Ennius L. xvi «m. *obstitis* . . . nox» et in L. viii [xi].' Obstipum, non obstitum a grammatico explicari et allatis testibus restituendum esse Gifanius intellexit.

---

praeter cetera Ausonius potest declarare epitaph. 31, 9 *p.* 79 *Schenkelii* miremur periisse homines? monumenta fatiscunt: mors etiam saxis nominibusque venit; *cf. Lucretius* v 311 414 dextrum *Merula* asta *Bern. cf. Varro de l. L.* v 115 asta quod astans solet ferri 418 manat *pro* manavit *Lachmannus ad Lucr.* v 396 toto *Merula, cf.* 406 420 obstipis *Gifanius*

XI

421 Quos ubi rex epulo spexit de cotibus celsis

XII

422 Qui clamos oppugnantis vagore volanti

XIII

CONCILIUM DE BELLO GERENDO XIII—XXI

423 Primus senex bradys in regimen bellique peritus

XIV

424 «Aestatem autumnus sequitur, post acer hiemps it

XI (421) Festus p. 490, 31 Th. 'spicit quoque sine praepositione dixerunt antiqui... et spexit. Ennius l. XVI «*quos ubi rex ////pulo* spexit de *contibus* celsis».' Varro de l. L. VI 82 'spectare dictum ab antiquo quo etiam Ennius usus «*vos epulo postquam* spexit».'

XII (422) Festus ex apogr. lib. XX p. 570, 8 Th. p. 81 Mommseni 'vagorem pro vagitu Ennius l. XVI «qui clamos (sic Vat. S Leid. Y Mommseni clamor Vat. R)... volanti».' Paulus 'vagorem pro vagitu Ennius posuit.'

XIII (423) Festus p. 386, 4 Th. 'regimen pro regimento usurpant poetae. Ennius l. XVI «primus s. *bradyn*... peritus».'

XIV (424) Priscianus V p. 153, 9 H. 'acer et alacer et saluber et celeber quamvis acris et alacris plerumque faciant et salubris et celebris feminina, in utraque tamen terminatione communis etiam generis inveniuntur prolata.... Ennius in XVI «aestatem *autumnus sequitur post* a. hiems (hiemps)». idem in XII [I].' Servius in Aen. VI 685 'et sciendum antiquos et alacris et alacer et acris et acer tam de masculino quam de feminino genere dixisse. nunc masculino utrumque damus, de feminino alacer et acer numquam dicimus, licet Ennius dixerit «aestatem *autumnus post* acer hiemps (hiems) it (sic Carol. Sang. Mon. sit reliqui)»; nam inde est alacer.' Explan. in Donat. G. L. K. IV p. 491, 26 'quaeritur utrum acris dicamus an acer: Ennius enim dixit «post acer hiems», item (fortasse hiems it, et) Horatius (c. I 3, 1) «solvitur acris hiems».'

---

421 populos *conieci olim;* Epulo *Bergkius opp.* I *p.* 252 *sq., quem esse eundem vult cum eo quem Livius* (XLI 11, 1) Aepulo (*sic cod.*) *appellat* quo se principes Histrorum et regulus ipse Aepulo receperat*; ex eoque Florus* I 26 (II 10), 3 ipse rex Aepulo (apulo *libri*)*; idem Lud. Havetus l'histoire Romaine dans le dernier tiers des annales d'Ennius (bibliothèque de l'école des hautes études fasc.* XXXV, *Paris* 1878 *p.* 21 *sqq.); contra quos dixi in actis acad. a.* 1886 *('Über die Annalen des Ennius') p.* 28 *sqq. et ego rem non uno nomine admodum dubiam in medio relinquo* cautibus *edideram,* cotibus *cum aliis maluit Bergkius,* montibus *olim Laetus* 422 clamos*: conl. Quintiliano* I 4, 13 *Lachmannus ad Lucr.* VI 1260 423 bradus *Merula,* bradys *O. Muellerus; ceterum oratio proba, de qua vide acta acad. s. c. p.* 27 424 fit *Fabricius*

XV

425 «post aetate pigret sufferre laborem

XVI

426 «hebem

XVII

427 «Navorum imperium servare est in*d*uperantum

XVIII

428 «Non in sperando cupide rem prodere summam

XIX

429 «Spero si speres quicquam prodesse potis sunt

XX

430 «Quo res sapsa loco sese ostentatque iubetque

XXI

431 «Si luci, si nox, si mox, si iam data sit frux

XV (425) Nonius p. 219, 12 'pigret Ennius lib. xvi «post aetate (Wolf. et e corr. Harl. potestate ceteri) p. sufferre (supferre Leid. m. pr.) laborem».'

XVI (426) Charisius I p. 132, 6 K. 'hebem. Caecilius in '*Ὑποβολιμαίῳ* (81 R.) «subito res reddent hebem». Ennius xvi, ubi Fl. Caper: non ut adiunctivo sed appellativo est locutus.' Cf. Paulus Festi p. 71, 21 Th. 'hebes retunsi acuminis.'

XVII (427) Festus p. 172, 2 Th. 'navus celer ac strenuus a navium velocitate videtur dictus. Ennius l. vi [III] et l. xvi «navorum . . . *insuperantum*».'

XVIII (428) Festus p. 284, 32 Th. 'prodita memoriae porro dat, et fallit, item ex interiore loco procedit. item perdit, ut Ennius l. xvi «non in . . . summam».' Paulus 'prodit . . . item perdit, ut Ennius «non in . . . summam».'

XIX (429) Festus p. 492, 7 Th. 'speres antiqui pluraliter dicebant, ut Ennius l. II [VII] et l. xvi «spero . . . potis sunt».'

XX (430) Festus p. 476, 28 Th. 'sas Verrius putat significare eas teste Ennio qui dicat in l. I [LII], cum suas magis videatur significare, sicuti eiusdem l. VII fatendum est eam significari cum ait [II]. idem cum ait sapsam pro ipsa nec alia, ponit in l. xvi «quo . . . iubetque».' Paulus 'sapsa ipsa idem Ennius «quo . . . ostentat».'

XXI (431) Priscianus VI p. 278, 13 H. 'frux etiam frugis facit genetivum,

---

425 *Possis* Post exacta aetate, *ut Terentius adelph.* 870 nunc exacta aetate, *et multi similiter* 427 induperantum *Scaliger*: insuperantum 428 Non in sperando *vindicabam Herm.* XVII *p.* 596
431 *Simile non par Homericum ἔσσεται ἢ ἠὼς ἢ δείλη ἢ μέσον ἦμαρ, Callimachi ἀλλ' ἢ νὺξ ἢ ἔνδιος ἢ ἔσετ' ἠώς; denique Vergilii Aen.* IV 627

INSIDIAE XXII—XXV

XXII

432 prandere iubet horiturque

XXIII

433 «Nox quando mediis signis praecincta volabit

XXIV

434 interea fax
Occidit oceanumque rubra tractim obruit aethra.

XXV

436 Hic insidiantes vigilant, partim requiescunt
Tecti, *cum* gladiis, sub scutis ore faventes.

XXVI

438 Lumen scitus agaso

quia ἀπὸ τοῦ φρύγω Graeco verbo nascitur. Ennius in xvi (xvii Lugd. Carol.) annali (annalium Carol.) «si luci si nox (s. l. si solis nox Lugd. Sang. Carol.) ... frux». idem in viiii pro frugi homo frux ponit quod est adiectivum [ix]. Cf. Gellius viii 1 'hesterna noctu rectene an cum vitio dicatur ... item quod decemviri in xii tabulis nox pro noctu dixerunt.' Ex Gellio Macrobius Sat. i 4, 19 'quod decemviri in duodecim tabulis inusitatissime nox pro noctu dixerunt. verba haec sunt «si nox furtum factum sit».'

XXII (432) Diomedes i p. 382, 22 K. 'hortatur quod vulgo dicimus veteres nonnulli horitur dixerunt, ut Ennius sexto decimo annalium «prandere i. horiturque». idem in decimo [xi].'

XXIII (433) Paulus Festi p. 345, 10 Th. 'quando cum gravi voce pronuntiatur significat idem quod quoniam et est coniunctio; quando acuto accentu est temporis adverbium.' Festus '— — nuntiatur significat | — — ut Plautus ... et Ennius l. xvi «Nox ... volabit».'

XXIV (434) Macrobius Sat. vi 4, 19 'et quod dixit «nec lucidus aethra siderea polus» (Aen. iii 585) Ennius prior dixerat in sexto decimo «interea ... aethra».'

XXV (436) Servius Vatic. in georg. iv 230 p. 338, 15 Thil. 'ore fave cum religione ac silentio accede: in xvi Ennius «hic insidiantes .. requiescunt *tecti gladiis* .. ore faventes». ponitur eadem vox et pro velle aput eundem Ennium in xvi [ix].' Servius Lemovic. in georg. i 18 p. 135, 17 Thil. 'favere veteres etiam velle dixerunt. Ennius [419]. nonnumquam favere et pro tegere (tacere corr. Daniel) ponitur, ut idem Ennius (en inris Lemov. corr. Daniel) «ore faventes».'

XXVI (438) Festus p. 488, 32 Th. '(scitae) — bona facie a(li)as bonis | — — oetis usurpantur. Te| ...... Ennius in l. Ξvi (fenestra videtur periisse

---

434 *sq. Cf. Wilamowitzius Herm.* xviii *p.* 420 436 Hic insidiantes *post Rutgersium* (*var. lect.* vi 15 *p.* 596) *tuetur H. A. Kochius exerc. crit. p.* 6 437 cum *addidit Baehrensius*

ANNALIUM LIB. XVII

I

439 It eques et plausu cava concutit ungula terram.

II

440 Tum cava sub monte late specus intus patebat

III

441 dux ipse vias

IV

442 Tollitur in caelum clamor exortus utrisque

x, ut fuerit in l. xvi) «lumen | — — scitus agaso».' Cf. Paulus Festi p. 19, 9 Th. 'agasones equos agentes, id est minantes (cf. idem p. 17, 17 Th.).'

LIB. XVII I (439) Macrobius Sat. vi 1, 22 'quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum (Aen. viii 596). Ennius in vi [224]. idem in viii [vi]. idem in xvii (xvi vel sexto decimo Med. duo) «it . . . terram».'

II (440) Nonius p. 222, 33 'specus genere masculino . . . . feminino Ennius annalium lib. xvii «*concava* sub *montis latet* (late Harl. e corr.) s. *intus* patebat (petebat Leid. Flor. m. pr. Harl. e corr.)». Accius niptris (Pacuv. 252 R.) «inde advenio montem aetam scruposam specum».' Priscianus vi p. 260, 2 H. 'hoc specus melius . . . feminino tamen hoc nomen quoque genere invenitur . . . . Ennius in xvii annalium «*tum cava* sub *monte late* s. *intus* patebat». Pacuvius in niptris «advenio in scrupulosam specum».' Eadem ars Bern. Hagen. anecd. Helv. p. 102, 27 nisi quod 'Ennius «tum *cavo* . . . *inter* patebat».' Festus p. 510, 30 Th. 'specus feminino genere pronuntiabant antiqui ut metus et nepos, tam hercules quam masculino stirps et frons, ut Ennius «*tum causa* sub *monte alte* s. *inius* patebat». et Pacuvius in Chryse (99 R.) «est ibi sub eo saxo penitus strata harena ingens specus».' Servius in Aen. vii 568 'hic specus horrendum: hoc nomen apud maiores trium generum fuit. Ennius feminino posuit.'

III (441) Priscianus vi p. 199, 4 H. 'primae declinationis femininorum genetivum etiam in as more Graeco solebant antiquissimi terminare . . . . . Ennius in xvii annali «dux ipse vias» pro viae.' Inde ars Bern. Hagen. anecd. Helv. p. 94, 10 'Ennius dixit «dux ipse vias».'

IV (442) Macrobius Sat. vi 1, 21 'tollitur in caelum clamor cunctique Latini (Aen. xi 745). Ennius in xvii (vii Salisb.) «tollitur . . clamor e. utrisque».'

---

440 *Malim* Cum cava montei *O. Muellerus* montis latere *Fruterius; puto* sub montem cava specus *i. e.* κοῖλον σπέος *Odysseae* 442 clamos *Lachmannus ad Lucr.* vi 1260, *cf.* 422 utrimque *Merula*

V

443 Concurrunt veluti venti cum spiritus austri
Imbricitor aquiloque suo cum flamine contra
445 Ind*u* mari magno fluctus extollere certant

VI

446 «No*enu* decet mussare bonos qui fact*a* labore
*N*ixi militia*e* peperere

VII

448 «viresque valentes
Contudit crudelis hiemps

V (443) Macrobius Sat. VI 2, 28 'diversi magno ceu quondam turbine venti confligunt zephyrusque notusque et laetus Eois eurus equis (Aen. II 416). Ennius in XVII «concurrunt . . . contra *inde* m. magno . . certant».'

VI (446) Servius Vatic. in georg. IV 188 p. 334, 22 Thil. 'mussant hic murmurant: quae vox ponitur et in tacendi significatione, ut apud Ennium in XVII «*non possunt* mussare *boni*, qui *factam* l. *enixi militiam* peperere».'

Paulus Festi p. 127, 7 Th. 'mussare murmurare. Ennius [182]. vulgo vero pro tacere dicitur, ut idem Ennius «*non decet* mussare *bonos*».' Hunc versiculum non diversum esse ab eo quem Servio debemus O. Muellerus intellexit ad Festum p. 384. Servius in Aen. XII 657 'Ennius mussare pro tacere posuit.'

VII (448) Priscianus x p. 518, 19 H. 'vetustissimi tamen tam producebant quam corripiebant supradicti verbi, id est (tundo) tutudi, paenultimam.

---

444 contra *h. e.* alter contra alterum, *ut Propertius* II 1, 45 nos contra angusto versantes proelia lecto, *ubi Lachmannus; Lucretius* IV 843 at contra conferre manu certamina pugnae, *Plautus Amph.* 227 tubae contra utrimque occanunt; *cf. prooem.* 1881/82 *p.* 17. *Il.* XII 377 *σὺν δ' ἐβάλοντο μάχεσθαι ἐναντίον, ὦρτο δ' ἀυτή. Vergilius autem cum scribit Aen.* x 355 *sqq.* magno discordes aethere venti proelia ceu tollunt animis et viribus aequis: non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit; anceps pugna diu; stant obnixa omnia contra: haud aliter Troianae acies aciesque Latinae concurrunt, haeret pede pes densusque viro vir, *et illum usum secutus est et totam fere imaginem expressit, ut Ennianis quoque hoc exemplo v.* 572 pes premitur pede et armis arma teruntur *adhaerescere potuerit; sed cf. ad* 154 445 Indu *H. Stephanus* endo *Gifanius*: inde; *cf. Lachmannus ad Lucr.* VI 890 *Lucretius* II 1 mari magno turbantibus aequora ventis 446 Noenu decet *scripsi* non decet hic *Merula* facta labore Nixi militiae *Ianus Dousa.* facta *dicit ut var.* 20. 22; *cf. Plin. epist.* II 7, 2 qui decus istud sudore et sanguine et factis adsequebantur

VIII

450 «neque corpora firma
Longiscunt quicquam

IX

452 «Cum sol*es* eadem facient longiscere longe

X

An vero M. ille Lepidus, qui bis consul et pontifex maximus fuit, non solum memoriae testimonio sed etiam annalium litteris et summi poetae voce laudatus est quod cum M. Fulvio collega, quo die censor est factus, homine inimicissimo, in campo statim rediit in gratiam. LEPIDI ET FULVII CENSURA A. U. C. DLXXV

ANNALIUM LIB. XVIII

I

453 Degrumare f*or*um

Ennius in XIIII [VIII]. ecce hic corripuit. idem in XVI [V]. idem in annalibus (in ann. om. Sang.) «viresque . . . hiemps (hiems)». hic produxit paenultimam.'

VIII. IX (450. 452) Nonius p. 134, 19 'longiscere longum fieri vel frangere. Ennius lib. XVII «neque . . . quicquam». idem «cum *sola est* eadem facient (sic Leid. Paris. faciūnt Wolf. Harl. faciunt Flor. Escur.) l. longe».'

X Cicero de prov. cons. 9, 20. Cf. Livius XL 45, 6 sqq. Varro apud Festum p. 398, 1 Th.

LIB. XVIII I (453) Nonius p. 63, 8 'grumae sunt loca media in quae directae quattuor congregantur et conveniunt viae. est autem gruma mensura quaedam qua fixa viae ad lineam diriguntur, ut est agrimensórum et talium. Ennius lib. XVIII gruma derigere dixit «*degrumari* (degrumare Par. m. pr.) *ferrum*». Lucilius lib. III (86 L.) «viamque degrumabis, uti castris mensor facit olim».' Nonius, ne quid ei iniuria adimatur, ita loquitur: Ennius 'gruma derigere' 'degrumare' dixit (hoc verbum illa vi posuit); et hic quidem 'degrumare forum', ut Lucilius 'degrumare viam', uterque

---

451. 452 languescunt *et* languescere (*illud fortasse vi activa*) *intelligi tam apertum est quam* langiscunt langiscere (*quod propositum est et probatum*) *rectius scribi quam* longiscunt longiscere *dubium; satis sit memorasse* vocivus *et* vacuus *et id genus vocabulorum; cf. arch. lexicogr.* II *p.* 473   452 soles *edidi olim pro* sola est (*ut in Bemb.* empta est *scriptum est pro* emptas *Ter. hec.* 57; *cf. Cic. de leg. p.* 111, 5); eadem *autem, scil.* corpora 450, *mutari non debuit*   453 Degrumare forum *scripsi; cf. Hyginus de limit. p.* 180, 9 *Lachm.* in castris groma ponitur in tetrantem, qua velut ad forum conveniatur

II

454 aere fulva

ANNALIUM LIB. INC.

I

455 Sed sola terrarum postquam permensa parumper

II

456 «O genitor noster Saturnie, maxime divum

III

457 Iuppiter hic risit tempestatesque serenae
Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis.

eodem sensu. Cf. Paulus Festi p. 68, 30 Th. 'groma appellatur genus machinulae cuiusdam quo regiones agri cuiusque cognosci possunt, quod genus Graeci γνώμονα dicunt.' Gellius II 20, 6 (ex oratione Scipionis Aemiliani) 'in his regionibus excelsissimo loco grumam statuere aiebat; inde derigere viam' eqs. sic enim haec Madvigius recte, puto, restituit.

II (454) Gellius XIII 21, 14 'contra vero idem Ennius in annali duodevicesimo «aere *fulva*» dixit, non fulvo, non ob id solum quod Homerus ἠέρα βαθεῖαν dicit, sed quod hic sonus opinor vocabilior visus et amoenior.' Idem II 26, 11 'fulvus autem videtur de rufo atque viridi mixtus in aliis plus viridis, in aliis plus rufi habere; sic poeta (Vergilius) verborum diligentissimus fulvam aquilam dicit et iaspidem .... sicque (sic Q. olim corr.) Ennius in annalibus «aere *fulvo*» dixit.'

LIB. INC. I (455) Festus p. 426, 33 Th. 'solum terram Ennius l. III [IV]; et aliubi «sed ... parumper».' Cf. Varro de l. L. V 22 'tera terra et ab eo poetae appellarunt summa terrae quae sola teri possunt «sola terrae».'

II (456) Priscianus XVII p. 205, 20 H. 'tertia vero possessiva etsi naturam habeat, ut per vocativum dici possit ... possumus enim etiam ad alienam possessionem dirigere sermonem, ut «o .. Saturnie (saturne Parr. R et O Bern.) m. divum» ... usus tamen deficit.' Ennii versum esse, cui editores adscribunt, probabile fit similiter composito v. 491 'optima caelicolum, Saturnia, magna dearum.' Ille vero expressus est ex familiari Palladis appellatione Iovis Homerica ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων, cuius versus parte prima Apollonius Alex. de constr. III 9 p. 220, 5 Bekk. in eadem qua Priscianus disputatione usus est.

III (457) Servius in Aen. I 254 p. 94, 25 Thil. 'subridens: laetum ostendit Iovem et talem qualis esse solet cum facit serenum; poetarum enim est

---

455 terrai *Lambinus, velut* terrae sola *Catullus* 63, 7 (*cf. Varro supra adscr.*), *sed* sola terrarum ultimarum *Cicero pro Balbo* 5, 13 permensa parumper *ut* 71

IV

459 Iam cata signa fer*e* sonitum dare voce parabant.

V

460 Exin per terras postquam celerissimus rumor

VI

461 rex deinde citatus
Convellit sese

VII

463 «Quis pater aut cognatus volet *v*os contra tueri

VIII

464 «*A*versab*u*ntur semper *v*os vostraque vulta

elementorum habitum dare numinibus, ut supra de Neptuno dictum est.' Quibus haec Danielin. add. 'Ennius «Iuppiter . . . omnipotentis».'

IV (459) Varro de l. L. VII 46 'apud Ennium «iam . . *ferę* . . . parabant»: cata acuta; hoc enim verbo dicunt Savini.' Cf. ad v. 331 et 529.

V (460) Priscianus VII p. 334, 22 H. (celeris) 'ex quo celerissimus pro celerrimus superlativum protulerunt. Gn. Matius in Iliade «celerissimus advolat Hector». Ennius in annalibus «exin . . . rumor».'

VI (461) Servius Danielin. in Aen. XI 19 p. 480, 6 Thil. 'vellere signa: . . . vellere proprie dixit, quia Romana signa figebantur in castris . . . . alii vellere movere accipiunt. Ennius «rex . . . sese».'

VII (463) Varro de l. L. VII 12 'tueri duo significat, unum ab aspectu ut dixi, unde est enĩ (E n n i i olim corr.) illud [scen. 187] et «quis . . . *nos* c. tueri».'

VIII (464) Nonius p. 230, 15 'vultus masculino genere appellatur . . . neutro Lucretius lib. IV [1213]; Ennius «*adversabantur* semper *vivos* vostraque vulta».'

---

459 fere *Laetus* fera *O. Muellerus* *Cf.* aeternis sonitum dare vocibus *Varro Atac. G. L. K.* VI *p.* 60, 22 463 vos *olim corr. Versum hexametrum esse etiamnunc addubitari alienaque coniectari ex hexametro ut nescio quem tragicum efficiant, paene mirum est;* contra *posteriore brevi Ennium posuisse* (*cf. ann.* 563 *et inc.* 30) *et Hauptius statuit* (*opp.* I *p.* 117) *et Ribbeckius eamque rem accurate edocuit Usenerus prooem. Gryph.* 1866 *p.* 10 *sq.* *Conf.* ut c o n t r a intueri fas esset *Livius* I 16, 6*;* quem neque tueri c o n t r a neque affari queas *Accius* 538 *R.* 464 Avorsabuntur *Scaliger* vos *Iunius* 463. 464 *Hi duo versus recte olim ab edd. in unum connexi: quo confirmatur ea quam posui scriptura* vos *et* vos vostraque *et* aversabuntur (*cf. Festus p.* 420, 19 *Th.*) *ut* volet*; ad raptum Sabinarum iidem rettulerunt, non inepte, sed ut ea res mera opinatione, nullo testimonio niteretur.* vos vostraque

IX

465 «Audire est operae pretium procedere recte
Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis

X

467 «tibi vita
Seu mors in mundo est

XI

469 Cum sese exsiccat somno Romana iuventus

XII

470 Omnes corde patrem debent animoque benigno
Circum *sum*

IX (465) Porphyrio in Hor. sat. I 2, 37 'audire est operae pretium procedere recte qui moechis non vultis ut omni parte laborent: urbane abutitur Ennianis versibus «audire . . . *augescere* vultis»; sed illud urbanius, quod cum Ennius «vultis» dixerit, hic «non vultis» intulerit.' Similiter Acro.
Nonius p. 478, 20 'nutritur et nutricatur pro nutrit et nutricat. Varro testamento περὶ διαθήκης «e mea Φιλοφθονίᾳ natis quos Menippea heresis nutricata est tutores do qui . . . *alciscere* vultis».' Horatii versum potius quam Ennii significat Marius Victorinus G. L. K. VI p. 67, 7 'quartam speciem addiderunt, quam Graeci dicunt κρᾶσιν, id est cum unius litterae vocalis in duas syllabas fit communio, ut «audire . . . recte».'

X (467) Charisius II p. 201, 15 K. 'in mundo pro palam et in expedito ac cito. Plautus . . [Pseud. 499]. Caecilius . . . [276. 278 R.]. Ennius «tibi . . . est».' Cf. Paulus Festi p. 77, 34 Th. 'in mundo dicebant antiqui cum aliquid in promptu esse volebant intellegi.' Annalibus inseri iubet G. Hermannus Eurip. Alcest. p. xx.

XI (469) Lactantius in Stat. Theb. VI 27 'et cornu fugiebat somnus inani: . . . sic a pictoribus simulatur, ut liquidum somnum e cornu super dormientes videatur effundere. sic Ennius «cum . . . Romana (perfusa membr. Barthii) iuventus».'

XII (470) Donatus in Ter. Phorm. V 9, 39 'faxo tali sum mactatum: summo (sic Vat. Ricc. Ox. 'sum' modo Wessnerus) pro eo quod est eum

---

vulta, *cuius* ἦθος *locutionis facile sentitur, ex eo genere est dicendi quod tetigi in prooem.* 1885/86 *p.* 14 *et Guil. Heraeus vind. Livian.* I (1889) *p.* 15 *sq. Ennii cf. scen.* 186 *et ann.* 107 466 *Cf. Horatius c. s.* 66 remque Romanam Latiumque felix alterum in lustrum . . prorogat 469 somno sese exsiccat *Columna, Merula* exsiccat*: cf. Vergilius Aen.* III 511 fessos sopor inrigat artus*; et quae Macrobius Sat.* VI 1, 44 *componit* 'placidam per membra quietem irrigat' (*Aen.* I 691); Furius in primo 'mitemque rigat per pectora somnum'; et Lucretius in quarto (907) 'nunc quibus ille modis somnus per membra quietem inrigat' 470 *sq.* venerari Omnes . . . Circum sum fundi *Plasbergius*

XIII

472 Oscitat in campis caput a cervice revulsum
Semianimesque micant oculi lucemque requirunt.

XIV

474 It nigrum campis agmen

XV

475 *red*inunt
In *patriam*

XVI

477 Idem campus habet textrinum navibus longis

(eum Vat.; om. Ricc. Ox.). sic frequenter veteres. Ennius «omnes . . debent . . circum suam (sic Ricc. Ox. circum fini cui Vat. circum suas Dresd. circum fi . . . Leid.)».' circum sum poscit grammatici explicatio; quae mihi tam obscura est quam Enniani versus sententia: nisi quod incredibile est Terentium sum scripsisse pro eum.

XIII (472) Servius in Aen. x 396 '(nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis, te decisa suum, Laride, dextera quaerit) semianimesque micant digiti ferrumque retractant: Ennii est, ut «oscitat . . . requirunt». quem versum ita transtulit ad suum carmen Varro Atacinus.' Vergilii versus plenius adscripsi: intelligitur eum de decisa dextera exprimere quod cum Ennio poterat ad caput ense ablatum referre; ceterum nihil his Ennii versibus communionis est cum illis de pereunte tubicine (520; cf. acta acad. a. 1886 'Über die Annalen des Ennius' p. 30 sq. n.). Sed conferri possunt, 'oscitat' ut habeat quo referatur, Aen. x 554 'tum caput orantis nequiquam et multa parantis dicere deturbat terrae.'

XIV (474) Servius in Aen. iv 404 'it nigrum campis agmen . . . hemistichium Ennii de elefantis dictum quo ante Accius est usus de Indis.' Nempe Vergilius idem de formicis.

XV (475) Paulus Festi p. 401, 1 Th. 'redinunt redeunt.' Festus '— — Ennius | — — inunt. (redinunt ut e codice Ursinus) in | — — t. eunt feri | — —.' Cf. prodinunt 156; Festus p. 214, 4 Th. 'obinunt obeunt'; idem p. 532, 24 inserinuntur in Odyssia Livii; idem p. 162, 24.

XVI (477) Servius Danielin. in Aen. xi 326 p. 519, 5 Thil. 'quidam texamus proprie dictum tradunt quia loca in quibus naves fiunt Graece *ναυπήγια*, Latine textrina dici: Ennius dicit «idem (item Flor.) . . . longis».' Cicero orat. 47, 157 '«idem (isdem interpolati) campus habet» inquit Ennius; et in templis idem probavit (probabit) at isdem (eisdem Abrinc.) erat verius nec tamen isdem (eisdem Abrinc.) ut opimius male sonabat

---

473 Semianimes: *cf. Aen.* iv 691 *de moribunda Didone* oculisque errantibus alto quaesivit caelo lucem ingemuitque reperta. *Silius Ital.* vi 10 nec cernere deerat frustra seminecum quaerentia lumina caelum

475 redinunt In patriam *Ursinus, de cuius supplemento et toto fragmento dubitat Plasbergius*

XVII

478 Labitur uncta carina per aequora cana celocis

XVIII

479 Ingenti vadit cursu qua redditus termo est

XIX

480 Hortatore bono prius quam *qui* finibus termo

XX

481 Impetus *h*aut longe mediis regionibus restat

XXI

482 «Haud temere est quod tu tristi cum corde gubernas

isdem (eisdem Abrinc.). impetratum est a consuetudine ut peccare suavitatis causa liceret.' Sic haec in optimis libris tradi F. Heerdegenus testatur oratore edito a. 1884; quem vide in prolegom. p. xxxv sq. hunc locum egregie tractantem; primus enim quid sibi vellent illa et in templis idem probavit probe perspexit et inde verba sic recte edidit '«isdem campus ... et in templis «eidem probavit»; at isdem erat verius, nec tamen eisdem ut opimius: male sonabat isdem'; nisi quod Ennio non isdem sed idem reddendum erat ut Ciceronis ratiocinatio constaret.

XVII (478) Isidorus orig. xix 1, 22 'celoces quas Graeci κέλητας vocant, id est veloces biremes vel triremes agiles et ad ministerium classis aptae. Ennius «labitur uncta (lavitur cuncta Wolf.) c. p. *aequora cana celocis*».' Inde Osbernus panorm. (thes. nov. Lat.) A. Mai class. auct. viii p. 174 'celox vel celonis velox dicitur navis. Ennius «labitur .. per *aequoraque alta celonis*».' Cf. W. Meyerus Spir. mus. Rhen. xxix p. 182; C. Gl. L. vi p. 197. In pavimento Africano, cuius notitiam Gauckleri et Dessavii beneficio accepi, ad navis simulacrum adscriptus est versus «labitur ... *aequora cana celocis*».

XVIII. XIX (479. 480) Festus ex apogr. l. xx p. 550, 22 Th. 'termonem Ennius Graeca consuetudine dixit, quem nos nunc terminum, hoc modo «ingenti ... termo est» et «hortatore ... *quam* (quam iam Vat. R et S Mommseni qui iam ed. pr.) *finibus* termo».' Paulus 'termonem Ennius terminum dixit.' Cf. Varro de l. L. v 21 'apud Accium non terminus sed termen: hoc, Graeci quod τέρμονα, pote vel illinc.' Usenerus in Fleckeis. annal. cxvii (1878) p. 51 sq.

XX (481) Festus p. 396, 1 Th. 'restat pro distat ait Ennius ponere cum his dicat «impetus *aut* longe .. restat».' Paulus 'restat Ennius posuit pro distat.'

XXI (482) Servius Danielin. in Aen. ix 327 p. 339, 15 Thil. 'temere ... significat sine causa. Ennius «haud ... corde (mente 'e Servio Danielis' Merula) gubernas».' Cf. 'tristi cum corde volutat' Aen. vi 185.

---

478 Labitur uncta carina *ut* 386 480 qui *addidi; intelligo* qui finibus termo fixus erat, *et de* finibus *cf. certamen navale Vergilianum Aen.* v 139 *sqq.* 481 haud *Turnebus* haut *O. Muellerus*: aut impetus*: cf.* 386

XXII

483 «Dum clavum rectum teneam navemque gubernem

XXIII

484 cum a carcere fusi
Currus cum sonitu magno permittere certant

XXIV

486 Cumque gubernator magna contorsit equos vi

XXII (483) Isidorus orig. xix 2, 12 'clavus est quo regitur gubernaculum: de quo Ennius «*ut* clavum (clavum om. Wolf.) . . *navimque* (Wolf. navemque Bern.) gubernem».' Quintilianus ii 17, 24 'nam et gubernator vult salva nave in portum pervenire; si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud «*dum* clavum rectum teneam».'

XXIII (484) Schol. Bern. Hageni Fleckeis. ann. suppl. iv p. 884 (cf. p. 992) in georg. i 512 (ut cum carceribus sese effudere quadrigae) 'carceribus ianuis. Ennius ait «cum a carcere . . . certant».'

XXIV (486) Charisius iv p. 272, 27 K. 'metaphorae quaedam sunt communes, quae a Graecis acoluthoe appellantur, ut «Tiphyn aurigam celeris fecere carinae»; quia quemadmodum in navi auriga dici potest, ita et in curru gubernator, ut «*cumque* g. *ma* c. *equos ut* (sic exc. Leid. magna c. equos vi gubernator Neap.)».' Diomedes ii p. 457, 29 K. 'metaphorae quaedam (sequentia ut apud Charisium) . . . ita et in curru communiter gubernator (guberna Par. A Mon.), ut «*cumque* (cum cumque Par. B) g. *magno* c. *equo*»; hic gubernatorem pro auriga posuit.' Quintilianus viii 6, 9 'translatio . . . cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, ut de agitatore «g. *magna* c. *equum vi*».' Marius Plotius Sacerdos G. L. K. vi p. 466, 29 'metaphora . . . ab animali ad animale «*atque* g. *magna* c. *equos vi*»; pro auriga . . posuit gubernatorem.' Ennii versum esse post I. M. Gesnerum H. A. Kochius dixit exercit. crit. p. 11. Id quod confirmare licet Vergilii exemplo, qui cum in certamine navali quod Aen. v exponitur a v. 139 haec scribat 'inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes, haut mora, prosiluere

---

483 *Cf. Aristides Rhod.* 13 (ii *p.* 75, 22 *Keil.*) τὸν τοῦ πολίτου κυβερνήτου λόγον, ὃς ἔφη χειμαζομένης αὐτῷ τῆς νεὼς καὶ καταδύσεσθαι προσδοκῶν τοῦτο δὴ τὸ θρυλούμενον 'ἀλλ' ὦ Ποτειδὰν ἴσθι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσων.' *De quo dicto Hauptius egit opp.* ii *p.* 319 484 e carcere *Hagenus, sed conf. Varr. Menipp.* 288 *Buech.* currum a carcere intimo missum permittere, *quod prave coniecturis temptant, quo sensu positum sit, vel Livius docere potest,* equites per patentes in hostium acie vias permittere equos iubeat xxix 2, 8; detraxit frenos equis atque ita concitatos calcaribus permisit, ut sustinere eos nulla vis posset viii 30, 6; xl 40, 5; *cf. Non. p.* 161, 33 486 Cumque *an* Atque *verius sit ambiguum; permutantur inter se etiam alibi, velut Catull.* 66, 45

XXV

487 Cum magno strepitu Volcanum ventus vege*b*at

XXVI

488 Brundisium pulcro praecinctum praepete portu

XXVII

489 terrai frugiferai

suis; ferit aethera clamor nauticus, adductis spumant freta versa lacertis. infindunt pariter sulcos totumque dehiscit convulsum remis rostrisque tridentibus aequor. non tam praecipites biiugo certamine campum corripuere ruuntque effusi carcere currus, nec sic immissis aurigae undantia lora concussere iugis pronique in verbera pendent', fit probabile, ut mittamus alia quae Ennii admonent, et illa duo fragmenta XXIII. XXIV duo similia ex eadem comparatione hausta ad eandemque rem relata exhibere, h. e. item ad certamen navale, ex quo fr. XVII—XX videntur residua esse. Cf. ad VII fr. X, et communem huius comparationis fontem Odyss. XIII 81 sqq.

XXV (487) Festus p. 140, 28 Th. 'metonymia est tropos, cum ... significatur ..... a superiore re inferior, ut Ennius «cum ... *vegerat*».'

XXVI (488) Gellius VII 6, 2 'in his Vergilii versibus (VI 14 sq.) reprehendit Iulius Hyginus «pennis praepetibus» quasi inproprie et inscite dictum .... [6] cur autem non Q. quoque Ennium reprehendit qui in annalibus non pennas Daedali, sed longe diversius *braundisium quid* (sic Vat. V diversius. Brundusium quid Vat. w) pulcro .. *portus.* et si vim potius naturamque verbi considerasset' cet. Brundisium inquit conieci quaest. Enn. a. 1852 p. 17; ibidem portust. si; portu. sed (vel set) si Scioppius et Muellerus.

Idem IX 4, 1 'cum e Graecia in Italiam rediremus et Brundisium iremus egressique e navi in terram in portu illo inclito spatiaremur, quem Q. Ennius remotiore paulum sed admodum scito vocabulo «praepetem» appellavit, fasces librorum venalium expositos vidimus.'

XXVII (489) Charisius I p. 19, 1 K. 'dicunt quidam veteres in prima declinatione solitos nomina ... proferre .. dativo per i ... item adhuc morem esse poetis in dativo casu, ut «aulai medio» Vergilius (Aen. III 354), «terrai frugiferai» Ennius in annalibus.' Exc. ex Charis. Bob. p. 538, 27 K. 'adhuc esse morem poetis in dativo «aulai medio» dicere et «intus aquai» (Aen. VII 464); «frugiferai» Ennius in annalibus.' Marius Plotius Sacerdos G. L. K. VI p. 449, 2 'diaeresis est cum duae vocales in syllabam ductae singulare pronuntiatae dividuntur, ut «aulae in medio» et «frugae», «aulai» et «frugai» (frugiferae et frugiferai Vindob. edit.).' Fragm. Bobiens. de nomine et pronom. G. L. K. V p. 555, 3 'legimus apud *Lucretium* et Vergilium «terrai frugiferai» pro terrae frugiferae et «aulai medio» pro aulae.' Cf. I. Beckerus philol. II p. 55. Martialis epigr. XI 90, 5 'attonitusque legis «terrai frugiferai», Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.'

---

487 vegebat *Scaliger*: vegerat *Cf. scen.* 367

XXVIII

Capitibus nutantis pinos rectosque cupressos

XXIX

«Optima caelicolum, Saturnia, magna dearum

XXX

Multa foro ponit et agea longa repletur

XXXI

«Qui vincit non est victor nisi victus fatetur

XXVIII (490) Gellius XIII 21, 13 'Ennius item «rectos cupressos (cupressus Pet.)» dixit contra receptum vocabuli genus hoc versu «capitibus *nutantis* (nutantibus Voss. min. m. pr.) pinos r. c.». firmior ei credo et viridior sonus esse vocis visus est, rectos dicere cupressos quam rectas.' Nonius p. 195, 24 'cupressos generis feminini, ut dubium non est. masculini Ennius «capitibus *nutantibus* p. r. c.».'

XXIX (491) Priscianus XVII p. 192, 14 H. (per quinque modos variationibus usi auctores) 'per species ut Ennius (poetae nomen om. plerique, habet Vind. S et a corr. Par. R) «optima ... dearum»; magna dixit pro maxima, positivum pro superlativo, cum aptissime superius «optima caelicolum» dixisset.'

XXX (492) Isidorus orig. XIX 2, 4 'agea viae sunt vel loca in navi per quae ad remiges hortator accedit; de qua Ennius «multa f. *ponet et* (punit, om. et, Wolf.) *agea* l. repletur».' Osbernus panorm. (thes. nov. Lat.) A. Mai class. auct. VIII p. 29 'item ab ago haec agea, eae, i. locus in navi per quem ad remos acceditur, unde Ennius «multa f. *ponens ageaque* l. repletur».' Cf. Paulus Festi p. 8, 3 Th. 'agea via in navi dicta, quod in ea maxime quaeque res agi solet.' C. Gl. L. VI p. 42. Paulus p. 59, 35 Th. 'forum sex modis intellegitur ... quinto locus in navi. sed tum masculini generis est et plurale.' C. Gl. L. VI p. 465.

XXXI (493) Servius in Aen. XI 306 (bellum importunum cum gente

---

490 Capitibus nutantis*: quidquid temptatum est, nihil verisimilius quam hunc hexametrum esse a quattuor brevibus incipientem et* nutantis (*non* nutantibus) *verum; suppleri poterat* Evertunt, *ut idem tenor fuerit, qui est v.* 187 *sqq., quos versus Macrobius cum Aen.* VI 179 *sqq. composuit; sed Vergilius similia habet* XI 136 evertunt actas ad sidera pinos *eqs. et Silius* X 533 devolvunt quercus et amantem litora pinum ac ferale decus maestas ad busta cupressos *et Statius Theb.* VI 99 492 ponit *Columna, cf.* 342 493 nisi victus fatetur *scil.* se victum esse*; cf. Livius* XXXVI 45, 6 postquam confessionem victis satis expresserunt*; ibid.* XLII 47, 8 eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte neque casu sed collatis comminus viribus iusto ac pio esse bello superatum*;* III 28, 10*;* IV 10, 3

XXXII

494 «Dum quidem unus homo Romanus toga superescit

XXXIII

495 Et detondit agros laetos atque oppida cepit

XXXIV

496 Bruttace bilingui

XXXV

497 ratibusque fremebat
Imber Neptuni

deorum invictisque viris gerimus quos nulla fatigant proelia; nec victi possunt absistere ferro) 'invictisque viris gerimus: atqui supra legimus (IX 596) «bis capti Phryges». sed «invictis» ideo dicit, quia sequitur «nec victi . . ferro». «possunt» autem «absistere» mire ait ac si diceret, etiam si velint, eos a bellis discedere natura non patitur.' add. Danielin. p. 516, 7 Thil. 'Ennius «qui vincit (vicit Flor.) . . . fatetur (fateatur Tur.)». Varro et ceteri invictos dicunt Troianos, quia per insidias oppressi sunt: illos enim vinci adfirmant qui se dedunt hostibus.'

XXXII (494) Festus p. 434, 31 Th. 'superescit significat supererit. Ennius «dum . . homo *Romanus toga* superescit».' Paulus 'superescit supererit. Ennius «dum . . homo *Romae* superescit».'

XXXIII (495) Priscianus IX p. 482,4 H. 'detondeo detondi. vetustissim tamen etiam detotondi protulerunt. Ennius in annalibus «et *detotondit* (detondit corr. Bamb.) . . cepit (coepit)». at Varro in magno talento «detotonderat forcipibus vitiarium feris».'

XXXIV (496) Paulus Festi p. 25, 21 Th. 'bilingues Bruttaces Ennius dixit, quod Brutti et Osce et Graece loqui soliti sint.' Porphyrio in Hor. sat. I 10, 30 'Canusini more (bilinguis): bilinguis dixit quoniam utraque lingua usi sunt, sicut per omnem illum tractum Italiae, quoniam ex maiore parte Graeci ibi incoluerunt, ex quo magnae Graeciae nomen accepit. ideo ergo et Ennius et Lucilius (1181 g L.) «Bruttace bilingui» dixerunt.'

XXXV (497) Servius Danielin. in Aen. XI 299 p. 515, 5 Thil. 'fremunt ripae: antiqui aquae sonitus fremitus dicebant. Ennius «ratibusque . . Neptuni».' Idem Lemovic. in georg. I 12 p. 134, 17 Thil. 'cui prima frementem fudit equum . . : . . . nonnulli vero ob hoc «cui prima frementem fudit aquam» legunt, quod veteres murmura aquae fremitum dicebant. Ennius [scen. 384] et denuo «ratibusque . . Neptuni».'

---

494 Dum quidem unus: *Lachmannus ad Lucr.* II 466, *Leo quaest. Plaut. p.* 305 R. toga: *simili vi Horatius c.* III 5, 10 anciliorum et nominis et togae oblitus 495 Deque totondit *Merula*

XXXVI

499 Tonsillas rapiunt, configunt litus, aduncas

XXXVII

500 Moribus antiquis res stat Romana virisque.

XXXVIII

501 Septingenti sunt paulo plus aut minus anni,
Augusto augurio postquam inclita condita Roma est.

XXXVI (499) Isidorus orig. xix 2, 14 'tonsilla uncinus ferreus vel ligneus, ad quem in litore defixum funes navium illigantur: de quo Ennius «tonsillas rapiunt (haec vulg. ex dett., tonsillasapiunt Wolf. tonsilla sapiunt Bern.) . . aduncas (Bern. aduncius Wolf.)».' Cf. Paulus Festi p. 281, 13 Th. 'prymesius palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tosillam dicunt.' Idem p. 539, 9 Th. 'tonsilla palus dolatus in acumen et cuspide praeferratus, qui navis religandae causa in litore figitur. Accius (574 R.) «tacete et tonsillas litora in lecta edite».' Festus '— — (ess)e Verrius palum dolatum | — — cuspide praeferratum, ut existi | — — (e)m cumfigi in litore navis re | — (c)a(usa). Pacuvius in Medio (218 R.) «acces | — (ea)m et tosillam pegi laeto in litore | — (Phi)nidis «tacete et tonsillas lito | — (edo) edite».' Cf. Mommsenus Festi cod. quat. xvi act. acad. a. 1864 p. 64. De tosilla et tonsilla formis agit Guil. Schmitzius mus. Rhen. xvi p. 486 sq.

XXXVII (500) Augustinus de civ. dei ii 21 p. 81, 30 Domb. 'sicut etiam ipse Tullius non Scipionis nec cuiusquam alterius sed suo sermone loquens in principio quinti libri (de re publica) commemorato prius Ennii poetae versu, quo dixerat «moribus a. res stat (restat Corb. m. pr.) R. virisque», quem quidem ille versum, inquit, vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo quodam mihi esse effatus videtur.' de eius versus sententia deinde plura exsequitur. Vulcacius Gallicanus Avid. Cass. 5, 7 ex epistula divi Marci 'neque enim milites regi possunt nisi vetere disciplina. scis enim versum a bono poeta dictum et omnibus frequentatum «moribus a. res stat (restat Bamb. et m. pr. Palat.) R. virisque».'

XXXVIII (501) Varro rer. rust. iii 1, 2 'etenim vetustissimum oppidum cum sit traditum Graecum Boeotiae Thebae, quod rex Ogygos aedificarit, in agro Romano Roma quam Romulus rex: nam in hoc nunc denique est, ut dici possit, non cum Ennius scripsit «septingenti . . . Roma est». [3] Thebae quae ante cataclysmon Ogygi conditae dicuntur, eae tamen circiter duo milia annorum et centum sunt.' Suetonius Octav. 7 'ut Augustus potius vocaretur non tantum novo sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa et in quibus augurato quid consecratur augusta dicuntur ab auctu vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens «augusto . . . Roma est».' Haec postrema a quod aliena manu Suetonianis adnexa esse statuunt.

---

499 tonsillas *dici* aduncas *ipse interpretando patefacit Isidorus, nec impedit positus* (*cf. prooem.* 1880 *p.* 17 *et* 1886/87 *p.* 18 *n.*)*;* configunt litus *ut* configunt parmam 402

XXXIX

503 Hispane, non Romane, memoretis loqui me.

XL

504 Illyrii restant sicis sybinisque fodántes

XLI

505 Succincti gladiis media regione cracentes

XLII

506 levesque secuntur in hastis

XLIII

507 Incedit veles vulgo sicilibus latis

XLIV

508 tergus igitur sagus pinguis opertat

XXXIX (503) Charisius II p. 200, 22 K. 'Hispane Ennius annā lib (cf. p. 240, 6) «*hispane* . . . me».' Festus p. 400, 22 Th. '— — s appellat Enni | — — (c)os grai memo | — — ngua longos per | — — *ispani* non Ro | — —' Has esse particulas versus, quem Charisius plenum habet, agnovit Columna: cf. ad lib. XI fr. II.

XL (504) Paulus Festi p. 500, 8 Th. 'sybinam appellant Illyri telum venabuli simile. Ennius «Illyrii . . . *fodentes*».'

XLI (505) Paulus Festi p. 37, 24 Th. 'cracentes graciles. Ennius «*succincti* g. *media* r. cracentes».' Osbernus panorm. (thes. nov. Lat.) A. Mai class. auct. VIII p. 151 'cracentes graciles exiles. Ennius «*sunt multi* g. *mea dia* r. cracentes».' Cf. C. Gl. L. VI p. 283.

XLII (506) Servius Danielin. in Aen. V 37 p. 594, 12 Thil. 'in iaculis in hastis. Ennius «levesque . . hastis».'

XLIII (507) Paulus Festi p. 500, 18 Th. 'siciles hastarum spicula lata. Ennius «incedit . . . latis».'

XLIV (508) Nonius p. 223, 30 'sagum generis neutri ut plerumque. masculini Ennius «tergus . . . opertat».' Cf. Servius Danielin. in Aen. I 211 p. 81, 18 Thil. 'tergus tergoris . . tergum tergi . . sed haec a veteribus confundebantur, ut alibi (Aen. I 368) «taurino quantum possent circumdare tergo». item in nono (761) «ingerit hastas in tergus».' Cf. Ribbeckius ad h. l. Eadem Charisius I p. 71, 20 et p. 146, 3 K.

---

504 fodantes *Merula coll. Paulo Festi p.* 59, 25 *Th.* fodare fodere; fodentes *Gregorium Turonensem scripsisse docet Bonnetus Le Latin de Grégoire de Tours p.* 428 *n.* 506 *Livius* VIII 8, 5 leves qui hastam tantum gaesaque gererent vocabantur 507 *Livius* XXXVIII 21, 13 a velitibus trucidabantur. hic miles tripedalem parmam habet et in dextera hastas, quibus eminus utitur, gladio Hispaniensi est cinctus *eqs. Cf.* XXVI 4, 4 508 tergum *Iunius* 508. 509 *Diodorus* V 30, 1

XLV

509 sagus caerulus

XLVI

510 spiras legionibus nexit

XLVII

511 vertunt crateras aenos

XLVIII

512 dictis Romanis incu*t*it iram

XLIX

513 . irarum effunde quadrigas

XLV (509) Charisius I p. 105, 18 K. 'saga neutro genere dicitur. sed Afranius in deditione masculine dixit «quia quadrati sunt sagi» et Ennius «sagus cerulus».' Cf. inc. de dub. nom. G. L. K. v p. 591, 9 'sagus generis masculini, ut Afranius «quia quadrati sunt sagi».'

XLVI (510) Festus p. 490, 19 Th. 'spira dicitur . . . Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat, cum ait «spiras l. nex̄».' Paulus 'spira dicitur . . . Ennius vero hominum multitudinem spiram vocavit.'

XLVII (511) Servius in Aen. IX 163 '(fusique per herbam indulgent vino et) vertunt crateras aenos: potant(es exhauriunt); et est hemistichium Ennianum.'

XLVIII (512) Servius in Aen. I 69 p. 39, 27 Thil. 'incute vim ventis: duplex sensus est: incute enim si inice significat, ventis dativus est casus, hoc est parva est eorum etiam, tu eis da magnam vim; si autem fac, septimus casus est et erit sensus fac vim Troianis per ventos, hoc est per ventos vim in Troianos incute. Ennius «dictis R. *inculit* iram».' cum alia tum exemplum Ennianum non exstat nisi in Danielino.

XLIX (513) Servius in Aen. XII 499 (saevam nullo discrimine caedem suscitat irarumque omnes effundit habenas) 'irarum habenas: potestatem facultatem . . . et hic moderate locutus est: nam Ennius ait «irarum effunde

---

(*de Gallis*) *ἐπιπορποῦνται δὲ σάγους ῥαβδωτοὺς ἐν μὲν τοῖς χειμῶσι δασεῖς, κατὰ δὲ τὸ θέρος ψιλούς, πλινθίοις πυκνοῖς καὶ πολυανθέσι διειλημμένους; ibid.* 33, 2 (*de Celtiberis*) *φοροῦσι δ' οὗτοι σάγους μέλανας τραχεῖς καὶ παραπλήσιον ἔχοντας τὸ ἔριον ταῖς αἰγείαις θριξίν. Polybius* III 62, 5   510 nex̄ *h. e.* nexit, *non* nexunt *quod vulgabatur*   *σπείρας* (*manipulos*) *saepe Polybius velut in Hannibalico bello* III 110, 6. 113, 3. 114, 4   512 incutit *Commelinus*: inculit   *Cf. Il.* XI 291 *ὣς εἰπὼν ὤτρυνε μένος καὶ θυμὸν ἑκάστου; Aen.* X 367 dictis virtutem accendit amaris*; Liv.* XXIV 16, 1 ea demum vox ira animos accendit*;* XL 27, 8 imperator . . quibuscumque irritamentis poterat iras militum acuebat*; Ennianis adnecti poterat* 554 quo tam temere itis? *coll. Aen.* X 368

L

514 Et tum sicut equus qui de praesepibus fartus
Vincla suis magnis animis abrupit et inde
Fert sese campi per caerula laetaque prata,
517 Celso pectore saepe iubam quassat simul altam,
Spiritus ex anima calida spumas agit albas

LI

519 Cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit
Et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit

LII

521 Corpore tartarino prognata Paluda virago,
Cui par imber et ignis, spiritus et gravis terra

quadrigas (sic Flor. nam Ennius effundit irarum quadrigas dixit ceteri)».'

L (514) Macrobius Sat. VI 3, 7 'Homerica descriptio est equi fugientis in haec verba (Il. VI 506) *ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ, δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων, εἰωθὼς λούεσθαι ἐυρρεῖος ποταμοῖο, κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμοις ἀίσσονται· ὁ δ' ἀγλαίηφι πεποιθώς, ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.* Ennius hinc traxit «et tum . . . albas (518)», Vergilius (Aen. XI 492) «qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis» et cetera.'

LI (519) Lactantius in Stat. Theb. XI 56 (stabat in Argolicae ferrato margine turris egregius lituo dextri Mavortis Enipeus hortator: sed tunc miseris dabat utile signum . . cum subitum obliquo descendit ab aere vulnus . . fugit in vacuas iam spiritus auras, iam gelida ora tacent: carmen) tuba sola peregit: Ennius «cumque (eminus add. Parr. a et b) c. caderet (cadere Monac.) . . sola peregit (s. p. om. Par. b) . . . raucum (Par. a, ra cū Monac. raucus Par. b) . . cucurrit».'

LII (521) Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 18, 13 Keil. 'si ergo caelum pro igni acceperimus, superest, ut in eo quod ait «spiritus intus alit» aerem dictum praesumamus. hic est etiam qui nobis vivendi spirituum commeatum largitur. hoc illud et Ennius appellavit in annalibus «*corpora tartareo* p. *palude* virago . . . terra».' Varro de l. L. VII 37 '«*corpore tartarino* p. *pa-*

---

515 animis *om. Par.* 517 equus ille iubam quatiens *Cic. Arat.* (*de nat. deor.* II 43, 111); tumidus quatiensque decoras curvata cervice iubas *Claudian.* X 290 519 *Sil. Ital.* IV 169 (*in pugna Ticinensi*) nam tibi, dum stimulas cornu atque in proelia mentes accendis renovasque viros ad vulnera cantu, haesit barbaricum sub anhelo gutture telum et clausit raucum letali vulnere murmur. at sonus extremo morientis fusus ab ore flexa pererravit mutis iam cornua labris. *Cf. ad fr.* XIII *et act. acad. a.* 1886 ('*Über die Annalen des Ennius*') *p.* 30 *sq. n.*

LIII

523 rigido

LIV

524 Inde Parum ulabant

LV

525 *Surum unum unus* ferre, tamen defendere possent

LVI

526 *Eripuere patres pueris plorantibus offam*

luda virago». tartarino dictum a tartaro ... paluda a paludamentis; haec insignia atque ornamenta militaria.' Cf. Festus ex apogr. l. XIX p. 546, 2 Th. 'tartarino cum dixit Ennius, horrendo et terribili Verrius vult accipi, a tartaro, qui locus est apud inferos.' Paulus 'tartarino horrendo et terribili.'

LIII. LIV. LV (523. 524. 525) Festus p. 400, 28 Th. 'rigido | — — Ennius locatus (iocatus corr.) videtur | — — (l)i. est enim a manis (maris corr.) no | — — re usus est, et l. II (XXI) | — — i caerula prata»: cae | — — et alibi «inde Parum | — — (ı)ılabant», Parum insulam | refert. item «*unū usurū surus ferre . . possunt*». suri autem sunt rustes (fustes corr.) et hypocoristicos surculi.' Paulus p. 425, 1 Th. 'surum dicebant, ex quo per deminutionem fit surculus. Ennius «*unus surus surum ferret . . possent*».' Festus 'surum dicebant ex qu(o) — — | — — su est plau | — — non est tibi». | — — (u)m, item: nam qui | — — cus surculis | — — (ru)m. tum poli | — — aut asulae | — — *rus surum* | — — re *possent*».' In primo testimonio Festi, quod quattuor habet versus Ennianos, omnia obscura, et quam istam iocationem dicat Ennii, et quomodo exorsus a rigido et ad caerula et suros profectus haec omnia uno capitulo comprehenderit: itaque supplementa facta irrita sunt. De rigido cf. Fest. p. 384, 2 Th. et ibid. Paul. Ceterum hoc fragmentum primo libro adscribi poterat ex ordine quem Festus solet servare.

LVI (526) Plinius nat. hist. XVIII 84 'pulte, non pane, vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam et pulmentaria hodieque dicuntur et Ennius antiquissimus vates obsidionis famem exprimens «offam eripuisse plorantibus *liberis* patres» commemorat.'

---

525 Surum unum unus ferre *effeci ex duplici memoria quae est* unum surum surus f. *aut* unus surus surum f. *sententia sic suppleta* si vellent omnes puerique senesque Surum unum unus ferre, tamen defendere possent, *de palis* (*cf. inc.* 35 *ex Paulo p.* 41, 23 *Th.* crebrisuro apud Ennium significat vallum crebris suris id est palis munitum) *sive vallis interpretatus quos milites Romani ferre debebant, ut Livius exponit* XXXIII 5, 4 *sqq.* Surus *si primam brevem habuit, quod Stowasserus statuit, poterat esse* Unu' surum unum ferre 526 *Hexametrum restituit Bergkius* (*opp.* I *p.* 258 *n.*), *id quod non uno modo licebat: cf. Ilbergius exercit. crit. p.* 8

LVII

527 Tum tonuit laevum bene tempestate serena.

LVIII

528 Tantidem quasi feta canes sine dentibus latrat

LIX

529 Tunc coepit memorar*e* simul cata dicta

LX

530 Inde loci lituus sonitus effudit acutos.

LXI

531 Clamor ad caelum volvendus per aethera vagit.

LVII (527) Cicero de div. II 39, 82 'ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius «tum . . . serena».' Cf. Nonius p. 408, 3 'Varro Endemionibus (III B.) «dum sermone cenulam variamus, interea tonuit bene tempestate serena».' Vergilius Aen. IX 627 'de parte serena intonuit laevum'; II 693 cum Servio. De bene cf. ad I fr. XXV.

LVIII (528) Varro de l. L. VII 32 'dubitatur . . . utrum primum una canis aut canes sit appellata; dicta enim apud veteres una canes, itaque Ennius scribit «tantidem q. fęta . . . latrat».'

LIX (529) Varro de l. L. VII 46 'apud Ennium [459]. cata acuta; hoc enim verbo dicunt Savini; quare «catus Aelius Sextus» (331) . . . et quod est «tunc cepit *memorari* s. cata dicta» accipienda acuta dicta.'

LX (530) Paulus Festi p. 83, 16 Th. 'lituus appellatus, quod litis sit testis. est enim genus bucinae incurvae, quo qui cecinerit dicitur liticen. Ennius «inde . . . acutos».'

LXI (531) Varro de l. L. VII 103 'multa ab animalium vocibus tralata in homines, partim quae sunt aperta . . . [584]. . . .[104] minus aperta ut . . . Ennii [inc. 7 ann. 585. 586]. eiusdem ab edo «clamor . . . ethera vagit».' Ad LX et LXI conf. Aen. V 139 (in certamine navali de quo ad XXIV) 'inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes . . prosiluere suis; ferit aethera clamor nauticus.'

---

528 Tantidem quasi*: cf. Lachmannus ad Lucr.* II 453 529 memorare *Scaliger*: memorari memorare *est* dicere, *ut saepius; cf. Paul. Fest. p.* 89, 37 *Th. C. Gl. L.* VI *p.* 690 *A* tunc *incepisse versum probabilius et in medio desiderari vocem, qua addita cum versu* simul *fulciatur, velut* simul lacrimans*;* orare cum lacrimis coepere *Livius* V 30, 4*; λέγοντος καὶ πολλὰ μεταξὺ τῶν λόγων ἐκχέοντος δάκρυα Dionys. Hal.* IX 10, 1*;* et simul dicens libellum ei porrigit *Apuleius metam.* VI 7 531 Clamos *Lachmannus ad Lucr.* VI 1260*; cf. supra* 422 volvendus *ἑλισσόμενος, cf. Ritschelius parerg. p.* 27 *n.; Lucr.* VI 179 plumbea vero glans etiam longo cursu volvenda liquescit*;* V 514 *Munro* per aera *Lachmannus l. c. sed cf. Il.* XVII 425 *σιδήρειος δ' ὀρυμαγδὸς χάλκεον οὐρανὸν ἷκε δι' αἰθέρος ἀτρυγέτοιο;* II 458

LXII

532 «Pandite sulti genas et corde relinquite somnum.

LXIII

533 Invictus ca*nis nare sagax et vi*ribus fretus

LXIV

534 Aut permarceret paries percussus trifaci

LXII (532) Festus p. 510, 21 Th. 'sultis si voltis significat, composito vocabulo, ita ut alia sunt, si audes, sis, si vis . . . Ennius «pandite *sultigenias* et . . somnum».' Paulus 'sultis si vultis. Ennius «pandite *sultigenas* et . . somnum».' Paulus p. 66, 37 Th. 'genas Ennius palpebras putat cum dicit hoc versu «pandite *sulpigenas* et . . somnum».'

LXIII (533) Festus p. 470, 3 Th. 'sagaces appellantur multi ac sollertis acuminis. Afranius in Brundisina (15 R.) «quis tam sagaci corde atque ingenio unico». Lucretius l. II (840) «nec minus haec animum | cognoscere — — | etiam canem — — | «invictus ca — — | ribus fretus».' Paulus 'sagaces appellantur sollertis acuminis, unde etiam canes indagatores sagaces sunt appellati.' Cf. Cicero de div. I 31, 65 'sagire enim sentire acute est; ex quo sagae anus quia multa scire volunt et sagaces dicti canes.' Paulus p. 337, 2 Th. 'praesagire est acute sentire. unde sagae dictae anus quae multa sciunt et sagaces canes qui ferarum cubilia praesentiunt.' Ennii hexametrum cum Dacerio agnovit O. Muellerus.

LXIV (534) Paulus Festi p. 559, 7 Th. 'trifax telum longitudinis trium cubitorum quod catapulta mittitur. Ennius «aut permarceret (sic Guelf. Voss. permaceret vulg.) . . trifaci».'

---

532 sulti *sine* s *scriptum fuit, cf. Lachmannus ad Lucr.* I 186
533 canis atque sagax et viribus *supplevit Dacerius; sed malui* nare sagax, *velut Silius* III 296 exigit Umber nare sagax e calle feras *aut Claudianus* XXIV 299 hae pedibus celeres, hae nare sagaces; *Ovidius autem halieut.* 75 laus prima canum quibus est audacia praeceps venandique sagax virtus viresque sequendi. viribus fretus *est quod ἀλκὶ πεποιθώς apud Homerum. sed* atque sagax et naribus fretus *quod nuper coniecerunt non potest placere.* ex nare sagaci sensit *supra* 341
534 permarceret *de quo restituendo cogitaram ante qui primus codd. fide recuperavit Thewrewkius* ('*Festusstudien*' 1882 *p.* 12 *vel* '*Ungarische Revue*' 1882 *p.* 87) *attulit etiam ex Petronio* 55 *Syri versum* Luxuriae rictu Martis marcent moenia: *quo duce licet nostri sententiam declarare: quam esse sic ratiocinantis puto 'aut (si hoc ita esset) paries quidem trifaci percussus permarceret, homo luxuria ac desidia corruptus non marceret'. Sic* marcendi *verbum cum Lucretius posuit* III 946 annis corpus iam marcet *tum Livius* XXIII 45, 2 et qui pugnent, marcere Campana luxuria, *et saepius; Iustinus* XXX 1, 3 depositis militiae studiis otio ac desidia corrupti marcebant. *Diomedes* II *p.* 450, 28 *K.* «marcido dies sole pallet», cum marceant terrena'

LXV

535 Cum illud quo iam semel est imbuta veneno

LXVI

536 Sicu*t* siquis ferat vas vini dimidiatum

LXVII

537 Atque atque accedit muros Romana iuventus

LXVIII

538 fortunasque *s*uas coepere latrones
Inter se memorare

LXV (535) Festus ex apogr. l. xx p. 574, 2 Th.* p. 83 Mommseni 'bant (not. Victor. dicebant Urs. venenum nominabant Vat. S Leid. Y) antiqui, cuius color inficiendo mutatur (mutabur not. Victor. mutabatur SY) ut Ennius cum ait «cum illud . . . veneno».'

LXVI (536) Gellius III 14, 4 'Varro . . . disserit ac dividit subtilissime, quid dimidium dimidiato intersit, et Q. Ennium scienter hoc in annalibus dixisse ait «*sicuti* . . . dimidiatum»; sicuti pars quae deest ei vaso non dimidiata dicenda est sed dimidia.'

LXVII (537) Gellius x 29, 2 'atque particula . . . si gemina fiat, auget inceditque rem, de qua agitur, ut animadvertimus in Q. Enni annalibus, nisi memoria in hoc versu labor «*atque* (laboratque duo) *atque accedit* . . iuventus».[3] cui significationi contrarium est quod itidem a veteribus dictum est deque.' Nonius p. 530, 3 'atque particula, si diligentius intellegitur, multam habet significantiam, ut vel illud est Enni «*atque accendit* . . iuventus», quod est festine et intrepidanter accendit.' Cf. Vergilius Aen. XI 597 'at manus interea muris Troiana propinquat'; ibidem 608 'iamque intra iactum teli progressus uterque constiterat'; ubi haec est Servii adnotatio 'intra iactum teli: unde possit hasta emissa in hostem venire. hinc traxit Statius ut diceret (Theb. VI 354) «(finem iacet inter utrumque) quale quater iaculo spatium, ter arundine vincas». et Enniana est omnis haec ambitiosa descriptio.' Haec descriptio inde a v. 597 exordiri videtur, et in superiore parte ad Ennianam imitationem redeunt et hic versus ipse et v. 601, vide ad Scip. fr. VIII et ann. 393.

LXVIII (538) Nonius p. 134, 29 'latrocinari militare mercede. Plautus

---

535 Cum illud*: hiatum tollas scribendo aut* Cur illud *aut* Cumq; illud*; de quo dixi in prooem.* 1892/93 *p.* 7 *sqq. ibidem sententiam explicui eamque ad Reguli orationem captivorum redemptionem dissuadentis rettuli: in qua eadem v.* 534 *locum habere potuit* 536 Sicut *cum parte deteriorum Lachmannus ad Lucr.* II 536: sicuti 537 Atque atque*: cf. Woelfflinus de gemin. serm. Lat. relat. acad. Bavar. a.* 1882 I *p.* 471. *Seneca de ira* III 42, 4 stat supra caput fatum . . . propiusque ac propius accedit*; nec absonum* προπροκυλινδόμενος *et similia Homerica meminisse* 538 suas *Mercerus*: quas

LXIX

540 Effudit voces proprio cum pectore sancto

LXX

541 Contremuit templum magnum Iovis altitonantis

LXXI

542 qui fulmine claro
Omnia per sonitus arcet, terram mare caelum

LXXII

544 Quae valide veniunt falarica missa

.... Ennius «fortunasque *quas* coepere (cepere) l. i. se memorare (se rare Flor. m. pr. Leid.)».' Cf. 59.

LXIX (540) Servius in georg. II 424 '(ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco, sufficit umorem et) gravidas, cum vomere, fruges: cum abundat, nam hoc dicit: subministrat fruges vomere, id est per vomerem: Ennius «effudit (effundit Mon.) . . . sancto» id est proprio pectore: nam cum vacat.' Servius prave versum Vergilii interpretatur: est enim 'cum vomere recluditur' ut v. 423 'cum dente recluditur'; sed abundantiam quam dicit cum praepositionis Ennio haud infrequentem tetigi mus. Rhen. XIV p. 566. Cf. v. 175.

LXX (541) Varro de l. L. VII 7 'quaqua intuiti erant oculi a tuendo primo templum dictum; quocirca caelum, qua attuimur (h. e. qua at tuimur ut ait Lachmannus ad Lucr. v 1033), dictum templum sic «contremuit . . . altitonantis» id est ut ait Naevius hemisphaerium' eqs.

LXXI (542) Servius Danielin. in Aen. I 31 'arcebat: prohibebat. significat autem et continet. Ennius «qui . . . arcet» id est continet.' Cf. Paulus Festi p. 11, 29 Th. 'arcere est continere. unde et arcus in aedificiis dictus est quia se ipse continet.' Ibid. 36 'arcere prohibere est.' Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 20, 25 Keil. 'plane trinam esse mundi originem et Lucretius confitetur dicens (v 92) «principio maria ac terras caelumque tuere, quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi, tris species tam dissimiles, tria talia texta» et alio loco «omnia per sonitus arcet terram mare caelum». Afranius etiam in augure (8 R.) «modo postquam adripuit rabies hunc nostrum augurem, mare caelum terram ruere ac tremere diceres».' Ex duplici Servii Probique testimonio illud unum fragmentum quod posui constituit idque Ennio adscripsit I. Bernaysius opp. II p. 68; idem ad Lucretium pertinere, quod Lachmannus statuit ad IV 126, certe ambiguum est. Cf. scen. 284 'Sol, qui res omnis spicis, quique tuo cum lumine mare terram caelum contines'.

LXXII (544) Nonius p. 555, 16 'falarica telum maximum. Virgilius lib. VIIII (702) «sed magnum stridens contorta falarica venit fulminis acta modo».

---

543 personitans *Bernaysius, sed conf. Lucretius* VI 400 cur numquam caelo iacit undique puro Iuppiter in terras fulmen sonitusque profundit 54[illegible] [illegible]ut alta *addendum conieci ratus versum mancum*

LXXIII

545 Vix solum complere cohum terroribus caeli

LXXIV

546 Fortis Romani *sunt* quamquam caelus profundus

LXXV

547 At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est,
Corde suo trepidat

LXXVI

549 Ni metus ulla tenet *virtutem, rite* quiescunt

LXXVII

550 Optima cum pulchris animis Romana iuventus

Ennius «quae (qua duo dett.) valide (valida Bamb. et iidem duo) veniunt f. missa».'

LXXIII (545) Isidorus de nat. rer. 12, 3 p. 26, 10 G. Beckeri 'partes autem eius (scil. caeli) haec sunt cohus (chous Bamb. A cous Bamb. B) axis clima cardines convexa poli hemisphaeria. cohus (Cchous A cous B) est quo caelum continetur. unde Ennius «vix solum c. cohum (choū A cous B) t. caeli».' Cf. Paulus Festi p. 28, 3 Th. 'cohum poetae caelum dixerunt a chao, ex quo putabant caelum esse formatum.' Varro de l. L. v 135.

LXXIV (546) Nonius p. 197, 7 'caelum neutro. masculino Lucretius [ii 1097]. Varro . . . Ennius «fortis Romani quamquam caelus profundus». idem [26].' Charisius i p. 72, 16 K. 'caelum hoc cum sit neutrum, etiam masculine veteres dixerunt; et Ennius [27]. item «quamquam caelus profundus».' Cf. Aen. i 58.

LXXV (547) Cicero de orat. iii 42, 168 'videtis profecto genus hoc totum cum inflexo immutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius: cui sunt finitima . . cum intellegi volumus . . aut ex uno plures «at (ut integri) R. h. tamenetsi (ita pars librorum cum Abrinc. tametsi reliqui cum Harl.) . . . trepidat» aut cum ex pluribus intellegitur unum [377].'

LXXVI (549) Nonius p. 214, 10 'metus masculino. feminino Naevius . . . Ennius «ni . . tenet *rite* (tennet riae Flor. m. pr. Leid.) *virtute* quiescunt».' Festus p. 402, 15 Th. 'recto fronte . . . . antiquae id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque [178] et [55] et [68] et «nulla metus».' Cf. ad vi fr. iv adscripta et scen. 407.

LXXVII (550) Donatus in Ter. Phorm. iii 1, 1 'enimvero Antipho mul-

---

non depravatum esse et fulmina valide venientia comparari cum falarica missa ut Lucr. vi 329; *cf. relat. acad. a.* 1896 *p.* 727 546 sunt *add. Merula; cf.* 553 549 Nec *Mercerus* rite in virtute *Iunius,* freti virtute *Mercerus; cf.* ἠνορέῃ πίσυνοι *Il.* manuum freti virtute pedumque *Lucretius* v 966. *Sed ego malui transponi* virtutem rite *Livius* xxxv 27, 6 sopitis vigilibus ut in nullo propinquo metu

LXXVIII

551 «nam me gravis impetus Orci
Percutit in latus

LXXIX

553 Tanto sublatae sunt agmine tunc lapides

LXXX

554 «quo tam temere itis?

LXXXI

555 Olli cernebant magnis de rebus agentes.

tis modis cum istoc animo (es vituperandus): cum istoc animo pro huius animi. Ennius «optima c. p. animis (annis Ricc. Oxon.) R. iuventus».'

LXXVIII (551) Servius in Aen. I 81 p. 44, 18 Thil. 'cavum (conversa cuspide montem impulit in latus): ordo est: conversa cuspide cavum montem in latus inpulit. et alibi (II 51) «in latus».' add. Danielin. 'alii in latus pro latus accipiunt. Ennius «nam . . . percutit in latus».'

LXXIX (553) Nonius p. 211, 9 'lapides et feminino genere dici possunt, ut apud Ennium «tanto (toto Wolf. m. pr.) . . . lapides» ad Homeri similitudinem qui genere feminino lapides posuit.'

LXXX (554) Servius Danielin. in Aen. IX 327 p. 339, 14 Thil. 'temere significat et facile. Plautus [Bacch. 85]. significat et subito. Ennius «*quod* t. temere (te in re Flor.) itis citate catomerariis (ita Flor. catomecariis Daniel).' In quo particulam eius Catoniani exempli latere olim suspicatus sum quod una cum eodem Plauti Bacchidum versu plenius attulit Charisius II p. 221, 14 K., ut inde in Servium e margine inlata esse viderentur Cato «temere fieri» et in illam formam depravata, in summa rei vere; et inde profectus Hauptius in illis citate catomecariis glossae quam putabam marginalis formam suscitavit hanc citat e catone caris: quam coniecturam et mecum ille et cum Keilio (ad Char.) communicavit; neque his praefero a Schoellio prolata nuper.

LXXXI (555) Servius in Aen. XII 709 'inter se coisse viros et cernere ferro: vera et antiqua haec est lectio. nam Ennium secutus est qui ait «olli . . . agentes (Mon. agentis Flor. agentibus vel egentis ceteri)».' Cf. 119.

---

552 Pertudit *putabam propter* 414. *Cf. Aen.* XII 507 Sucronem . . excipit in latus 553 *Olim divisi versum* tanto sublatae sunt Augmine (*cf.* testes sunt *sat.* 10) augmine *Wakefieldus ad Lucr.* IV 574, *quod probavi nec nunc improbo, quia nonnumquam habet vim ὄγκον velut Lucr.* III 268 ex his omnibus est unum perfectum corporis augmen: *quod si est,* vi *potest addi in extremo versu* 554 quo *Masvicius:* quod 555 *Lucretius* V 393 magnis inter se de rebus cernere certant

LXXXII

556 Perque fabam repunt et mollia crura reponunt

LXXXIII

557 Interea fugit albus iubar Hyperionis cursum

LXXXIV

558 Inde patefecit radiis rota candida caelum

LXXXV

559 «Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.

LXXXVI

560 Omnes mortales sese laudarier optant.

LXXXII (556) Servius in georg. III 76 '(pecoris generosi pullus in arvis) altius ingreditur: cum exultatione quadam incedit. mollia crura reponit: Ennius de gruibus (greibus corr. gregibus Carolir. A quod mirere potuisse pro vero haberi) «perque (per quam Hamb., om. Vat. Carolir. A) fabam repunt (famam rapuit Carolir. A) et m. c. reponunt (propter similitudinem repunt et reponunt verborum in uno alterove pars omissa)».'
Schol. Bern. Hageni (Fleckeis. annal. suppl. IV p. 929) ad eundem versum 'altius cum insultatione quadam incedit. mollia flexibilia, et Ennius de gruibus dicit.'

LXXXIII (557) Priscianus v p. 170, 7 H. 'iubar quoque tam masculinum quam neutrum proferebant. Ennius in annalibus «interea . . . cursum».'

LXXXIV (558) Isidorus orig. XVIII 36, 3 'ideo rotis quadrigas currere dicunt sive quia mundus iste circuli sui celeritate transcurrit sive propter solem quia volubili ambitu rotat, sicut ait Ennius «inde patefecit (Voss. 74 patefacit Wolfenb. Bern. 101) . . . caelum».' Servius in Aen. VI 748 'rotam volvere per annos: exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem. est autem sermo Ennii.' Cf. Bellingius de Aen. compos. p. 82.

LXXXV (559) Priscianus IX p. 470, 22 H. 'proprie necatus ferro, nectus vero alia vi peremptus dicitur. Ennius «hos . . . duellis».'

LXXXVI (560) Augustinus de trin. XIII 3, 6 'illud etiam quod vetus poeta dixit Ennius «omnes . . . *laudarier optant*» profecto et de se ipso et

---

556 fabam *non* fabas *dici Varro testis est de l. L.* IX 38 *cf. ibid.* 63
557 currum *L. Muellerus* 558 índe patéfecit *sed scen.* 176 ví patefécerunt *Lucretius* V 432 hic neque tum solis rota cerni lumine largo altivolans poterat 559 *Cf. quae Livius* XXXVII 46, 10 *scribit ad a. u. c.* DLXIV *de legatis Placentinorum* querentibus inopiam colonorum, aliis belli casibus, aliis morbo absumptis, *et quae similia Liviana attuli in prooem.* 1892/93 *p.* 5. *Comparabilis oratio etiam Claudiani* VIII 467 metitur pellita iuventus: pars morbo, pars ense perit; *nam eiusdem gigantom.* (*c. m.* LIII) 113 *diversa sunt*

LXXXVII

561 *N*on si, lingua loqui saperet *quibus,* ora decem sint,
In*nu*mer*u*m, ferro cor sit pec*t*usque revinctum

LXXXVIII

563 Contra carinantes verba atque obscena profatus

LXXXIX

564 neque me decet hanc carinantibus edere cha*r*tis

de iis quos expertus fuerat coniecit in aliis.' Idem ep. 231, 3 'ego autem quod ait Ennius «omnes . . . *laudari exoptant*» partim puto approbandum, partim cavendum.'

LXXXVII (561) Schol. Bern. Hageni (Fleckeis. annal. suppl. IV p. 889) in georg. II 43 (non ego cuncta meis amplecti versibus opto, non mihi si linguae centum sint oraque centum, ferrea vox) 'non mihi et reliqua. Homericus sensus: sic nam et Ennius «ora decem».' Idem scholion ex Parisino cod. 7960 a Mommseno editum mus. Rhen. XVII p. 143 Ennii versum habet plenius scriptum in hunc modum «*m*$\overset{a}{\text{o}}$*n*$\overset{t}{\text{s}}$ lingua loqui saperet *at* ora x sint *in metrum* ferro cor sit *pecusque* revinctum». De dicendi genere multum frequentato Macrobius Sat. VI 3, 6 'Homeri est (Il. II 489) *οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι δέκα δὲ στόματ' εἶεν*. hunc secutus Hostius poeta in libro secundo belli Histrici ait «non si mihi linguae centum atque ora sient totidem vocesque liquatae». hinc Vergilius ait (Aen. VI 625) «non mihi si linguae centum sint oraque centum».' Ad quae vide Servium quoque et Lachmannum ad Lucr. p. 399. Praeterea Ovidius saepe similiter, metam. VIII 533; fast. II 119; trist. I 5, 53, al. (Hagen. l. c. p. 721 sq.). Denique Silius It. IV 525 sqq. et quae ad haec adscribunt docti. Licentius ap. Augustin. epist. 26 v. 133 p. 94 Goldb. 'non si mihi . . . centumque per ora lingua rigens adamante fremat.'

LXXXVIII. LXXXIX (563. 564) Servius Danielin. in Aen. VIII 361 p. 253, 15 Thil. 'lautis mugire carinis: carinae sunt aedificia facta in carinarum modum . . . . alii dicunt carinas montem nominatum quod ager suburbanus

561 Non si *Mommsenus* quibus (*h. e.* qb·) *scripsi* (*Herm.* XV *p.* 265) *pro* at*: ut in hac sententia plerumque linguae et ora copulantur, sic nunc ora decem dicuntur, quibus lingua loqui saperet* 562 Innumerum *scripsi; h. e. quibus lingua loqui saperet innumerum* pectusque *Mommsenus*: pecusque 563 *De* contră *vide ad* 463 aeque *cum Castricomio Hauptius opp.* I *p.* 117 obscena*: Festus p.* 212, 31 *Th.* verba impudentia elata appellantur obscena*; idem p.* 236, 1 apud antiquos obscena dicta quae mali ominis habebantur 564 *Lucretius* IV 970 naturam quaerere rerum et inventam patriis exponere chartis

XC

565 Cum legionibus quom proficiscitur *indu*perator

XCI

566 Flamma loci postquam concussa *est* turbine saevo

XCII

567 Huic statuam statui maiorum obatu athenis

ante portas carus erat. alii lauta loca legatorum . . alii quod ibi Sabini nobiles habitaverint, quorum genus invidere (irridere Masvicius) et carinare solebat. carinare (carine Flor.) autem est obtrectare (est autem obtrectare maledicere Tur.). Ennius «contra . . atque o. profatus»; alibi «neque me . . . chartis (cartis)».' Cf. Paulus Festi p. 33, 13 Th. 'carinantes probra obiectantes, a carina dicti, quae est infima pars navis. sic illi sortis infimae.' C. Gl. L. vi p. 183 'carinantes inludentes (inridentes).'

XC (565) Cassiodorius G. L. K. vii p. 207, 2 'cum praepositio (cf. ibid. p. 156, 3) per c scribenda est; quum adverbium temporis, quod significat quando, per q scribendum est discretionis causa, ut apud Ennium «cum l. quum (cum Bern.) p. *imperator*».'

XCI (566) Schol. Bembin. in Ter. haut. ii 3, 16 post Schopenum ed. ab Umpfenbachio Herm. ii p. 368 'interea loci: loci parhelcon. nam loci omni significationi addi solet. Ennius «flamma . . concussa *preturbine* saevo».'

XCII (567) Consentius art. de barb. et metapl. G. L. K. v p. 400, 9 'poetae faciunt metaplasmos cum ipsi iam scripturam relinquunt corruptam, ut est «relliquias Danaum» (Aen. i 30) et «tanton me crimine dignum duxisti» (Aen. x 667): addidit enim unam litteram per metaplasmum l, item contra (dempsit unam litteram per metaplasmum e), sicut Lucilius (1181b L.) «ore corupto»: dempsit enim unam litteram per metaplasmum r: et Ennius «huic . . maiorum *obatu.* (& al. m. superscr.) athenis»: et hic quoque per metaplasmum dempsit litteram r.' Cf. Lachmannus ad Lucr. vi 1135.

---

565 induperator *edd.* cum legionibus *saepe Livius; cf. Lucretius* v 1227 *sq.* *Intelligitur* vota nuncupat in Capitolio 566 rogi *Umpfenbachius* loci *tutatur Studemundus Fleckeis. ann.* xcvii (1868) *p.* 557, *sed ut ad* postquam *relatum vellet: quod incredibile est;* flamma loci *dicit abundanter sed non prave* conclusast turbine *Faernus* concussast turbine *Umpfenbachius* concussa ē turbine *ut* ē *et* p̄ *permutata viderentur Baehrensius; de trochaico versu hariolatur Bergkius; cf.* 487 *et Il.* xx 492 *πάντῃ τε κλονέων ἄνεμος φλόγα εἰλυφάζει*
567 maiorem horto auream ahenis *Lachmannus l. s. c.* magis mansuram auguro ahenis *Ilbergius*

XCIII

568 Silvarum saltus latebras lamasque lutosas

XCIV

569 Atque manu magna Romanos inpulit amnis

XCV

570 Pila retunduntur venientibus obvia pilis

XCVI

571 Decretum est stare *et fossari* corpora telis

XCVII

572 pes *premitur pede et* armis *arma teruntur*

XCIII (568) Commentator Cruquii in Hor. ep. I 13, 10 (viribus uteris per clivos flumina lamas) 'lamas lacunas maiores continentes aquam caelestem seu pluviam . . . Ennius «silvarum . . . lutosas».' Eadem fere cum versu Ennii habet Acronis cod. Paris. γ Hauthalii. Cf. ad CXXIX.

XCIV (569) Schol. Veron. in Aen. V 241 p. 95 Keil. II p. 17 Herrm. (et pater ipse manu magna Portunus euntem impulit) 'Ennius «atque . . . inpulit amnis».'

XCV (570) Comm. Bern. in Lucan. I 6 Useneri 'infestisque obvia signis signa pares aquilas et pila minantia pilis: Enni versus «pila . . . pilis».'

XCVI (571) Varro de l. L. VII 100 'apud Ennium «decretum est *stare corpora* telis». hoc verbum Ennii dictum a fodiendo; a quo fossa.'

XCVII (572) Bell. Hispan. 31, 6 'ita cum clamor esset intermixtus gemitu gladiorumque crepitus auribus oblatus, inperitorum mentes timore praepediebat. [7] hic, ut ait Ennius, «pes pede premitur, armis teruntur (fe-

---

568 Silvarum saltus lamasque lutosas *dicit opinor* latebras*; cf. georg.* II 471 illic saltus ac lustra ferarum*; Paul. Festi p.* 86, 8 *Th.* lustra significant lacunas lutosas quae sunt in silvis aprorum cubilia*; ibid.* 83, 34 lacuna, id est aquae collectio, a lacu derivatur, quam alii lamam, alii lustrum dicunt 569 *Cf. Il.* XV 694 *τὸν δὲ Ζεὺς ὦσεν ὄπισθεν χειρὶ μάλα μεγάλῃ;* nec fulminantis magna manus Iovis *Horatius* 571 est fossari *Columna* est stare et fossari *Bergkius; cf.* 153 stare et spargere sese hastis. *Rem et sententiam potest declarare vel narratio Livii* XXXII 25, 9. 10 572 *Solutum versum non uno modo reconcinnare licet; de nexu vide ad* 154 *et ad* 444. *De orationis colore haec habet Macrobius Sat.* VI 3, 5 Homerus ait (*Il.* XIII 131 *cf.* XVI 215) *ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.* Furius in quarto annali 'pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir'. hinc Vergilius ait (X 361) 'haeret pede pes densusque viro vir'*; idemque genus saepe multi secuti sunt, non sine quodam discrimine in usu, Silius, Statius, Livius*

XCVIII

573 Carbasus alta volat pandam ductura carinam

XCIX

574 laetificum gau

C

575 divum domus altisonum cael

CI

576 endo suam do

CII

577 populea fruns

runtur Vind.) arma», adversariosque vehementissime pugnantes nostri agere coeperunt.'

XCVIII (573) Vet. schol. in Statii Achill. I 558 ap. C. Barthium in Stat. tom. III p. 1693 (iam dextras Ithacesia carbasus auras poscit) 'carbasus navis, a velo. ut Ennius «carbasus . . . carinam».' Cf. Vergilius Aen. IV 417 'vocat iam carbasus auras'; georg. II 445 'pandas . . carinas.'

XCIX. C. CI. CII (574. 575. 576. 577) Ausonius technopaegnion 13 grammaticom. p. 139 Schenkelii v. 3 'Ennius ut memorat replet (replea Voss. repleat Schenkelius) te laetificum gau, livida mens hominum concretum felle coquat pus.' Apparet replet (repleat) te ad Ennium non pertinere. Ibid. v. 17 sqq. 'unde Rudinus ait «divum domus altisonum cael», et cuius de more quod adstruit (addidit Voss.) «*endo* suam do», aut de fronde (auddefrōde Voss., efrō m. alt. in ras.) loquens cur dicit «populea fruns (frōs Voss. frus Til. vulgo; cf. Schenkelii adn.)».' Versui 19 in Cant. et dett. versus qui in ceteris 3 est hac forma 'et quod nonnumquam praesumit laetificum gau' adnectitur. Ad CI haec sunt grammaticorum testimonia Ennio non nominato: Charisius IV p. 278, 24 K. 'apocope est cum ex ultima parte loquellae aut littera detrahitur aut syllaba: littera ut [Aen. x 480]; syllaba ut «*eñdo* süam» h. ē modum (ita Neap. indo ibam pro in domum ibam excerpt. Leid.).' Diomedes II p. 441, 34 K. 'apocope est . . cum aut littera detrahitur aut syllaba: littera ut [Aen. x 480], syllaba ut «*endo* suam do» pro domum.' unde intelligitur apud Charis. quid scriptum fuerit. Marius Victorinus G. L. K. VI p. 56, 9 'apocope . . id est subtractio syllabae syllabarumve . . metro cogente facta, quae sive in verbo sive in nomine acciderit pro integra

---

575 *Cf. Aen.* x 100 *sq.* tum pater omnipotens, rerum cui prima potestas, infit: eo dicente deum domus alta silescit*; ut forsitan apud Ennium quoque fuerit* Quo dicente silet divum domus a. c. 576 *Cf. Il.* I 533 *εἰς ἅλα ἆλτο ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου, Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα* 577 cetera populea velatur fronde iuventus *Aen.* v 134 *in certamine navali de quo ad fr.* XXIV*;* populeas inter frondes *Aen.* x 190

CIII

578 «Ausus es hoc ex ore tuo

CIV

579 urbes magnas atque inperiosas

CV

580 «divumque hominumque pater rex

CVI

581 patrem divomque hominumque

parte orationis accipietur, ut «*endo* sua do (utendo suado Pal. ut indo suado Paris.)» id est in sua domo. item «ac famul infimus esset» (cf. ad IX fr. VIII) pro famulo.' Inc. de ult. syll. G. L. K. IV p. 263, 12 'apocope est interdum aliquid ultimae parti auferens, ut «*namque* suam do» hoc est suam domum.' Consentius art. de barb. et metapl. G. L. K. V p. 388, 22 'apocope est * litterae, ut ... syllabae, ut «*endo* (syllabae tetendit Mon.) suam do» pro domum.' Haec testimonia omnia ad unum idemque exemplum Ennii 'endo suam do' redire apertum videtur. Varro rer. rust. III 17, 10 'ille inde endo suam domum, nos nostram.' quod ad Ennianum exemplum dictum esse Mercerus adnotavit.

CIII (578) Cicero ad Att. VI 2, 8 'ain tandem Attice laudator integritatis et elegantiae nostrae, «ausus es hoc ex ore tuo», inquit Ennius, ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare?'

CIV (579) Cicero de re p. I 2, 3 'quemadmodum «urbes magnas atque inperiosas», ut (inperiosaistut cod. sed corr.) appellat Ennius, viculis et castellis praeferendas puto, sic' eqs.

CV (580) Varro de l. L. V 65 'idem hi dei Caelum et Terra, Iuppiter et Iuno, quod, ut ait Ennius (var. 54), «istic est is Iuppiter . . . iuvat». quod hinc omnes et sub hoc, eundem appellans dicit «divumque . . rex». pater quod patefacit semen; nam tum est conceptum et inde cum exit quod oritur.'

CVI (581) Cicero de nat. deor. II 2, 4 'quod ni ita esset, qui potuisset adsensu omnium dicere Ennius (scen. 345) «aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem» illum vero et Iovem et dominatorem rerum et omnia nutu (motu optimi, corr. in dett.) regentem et, ut idem Ennius, «patrem divumque hominumque» et praesentem ac praepotentem deum.' Idem ibid. II 25, 64 'sed ipse Iuppiter, id est iuvans pater, quem conversis casibus appellamus a iuvando Iovem, a poetis «pater divomque (divumque Voss. A, e corr. Vind.) hominumque» dicitur' ubi deinceps (25, 65) ad Ennii versum supra allatum 'aspice' eqs. redit. Hinc, non aliunde, Minucius Felix Octav. 19, 1 'audio poetas quoque unum patrem divum atque hominum praedicantes.' Cf. lib. VI 175 'tum cum corde suo divum pater atque hominum rex effatur'; et haud dubie Ennius saepius in annalibus Iovem hunc in modum similemve appellavit, ut frequens est Homericus *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε* nec semel Aeneis 'hominum sator atque deorum.' Livius quoque simili formula usus est saepius. Ut nihili sit, quod Bergkius opp. I p. 309 leviter admodum iecit, a Varrone et Cicerone unum versum libri VI significari et haec duo quae seorsim posui fragmenta nulla esse.

CVII

582 oratores
Doctiloqui

CVIII

584 animus cum pectore latrat

CIX

585 clamor*e* bovantes

CX

586 pausam facere *ore* fremendi

CVII (582) Varro de l. L. VII 41 'apud Ennium [207]. orator dictus ab oratione: qui enim verba [orationum] haberet (verba habere recte dicitur: cf. Herm. XXX p. 26) publice adversus eum quo legabatur (legebatur Flor. corr. Scaliger) ab oratione orator dictus. cum res maiore ratione legebantur (corrigunt maior, vel maior erat, orationi legabantur) potissimum qui causam commodissime orare poterant. itaque Ennius ait «oratores doctiloqui».' Varronis sententia est, qui ad rem agendam publice quo legarentur, non, ut poterant, legatos sed ab orando oratores appellari solitos. sic Cato apud Festum p. 202, 4 Th. 'Aetolos pacem velle: de ea re oratores Romam profectos'; 'bellum coepit ... oratores misit Romam'; sic saepe Vergilius velut XI 100; XI 330 'qui dicta ferant et foedera firment centum oratores ire placet'; saepe Livius, 'pacis petendae oratores mitti', vel 'de pace oratores'. Ceterum ex Varrone intelligitur, quod Ennium 'oratores doctiloqui' dixisse memorat, aliam occasionem fuisse, quam qua versum priorem (207) extulit.

CVIII. CIX. CX (584. 585. 586) Varro de l. L. VII 103 'multa ab animalium vocibus tralata in homines, partim quae sunt aperta, partim obscura; perspicua ut Ennii «animus . . latrat» (Paulus Festi p. 87, 9 Th. 'latrare Ennius pro poscere posuit') . . .; [104] minus aperta ut . . . Ennii a vitulo [inc. 7]; eiusdem a bove «*clamorem* bovantes» (Paulus Festi p. 22, 7 Th. 'boare, id est clamare, a Graeco descendit.' Servius in georg. III 223; C. Gl. L. VI p. 146); eiusdem a leone «pausam *facere fremendi*»; eiusdem ab edo [531].'

---

584 animusque in pectore *Scaliger, velut* κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει *Od.* XX 13 *et saepe* θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν (*Bekkeri sched. Hom.* II *p.* 176), animusque in pectore praesens *Aen.* V 363*; sed* cum *ne moveatur prohibet fortasse Od.* XVI 141 πῖνε καὶ ἦσθ', ὅτε θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγοι

585 clamore *Aldus* 586 fecere *Rholandellus, Columna; malui* facere ore fremendi: *sic saepe locuti sunt,* cuncti simul ore fremebant *Aen.* I 559, V 385 *cf.* XI 132*;* pausam facit ore loquendi *Lucil.* 16 *L.* finem dedit ore loquendi *Aen.* VI 76, sic ore locuta est *Aen.* I 614*; de quo Diomedes* II *p.* 449, 20 *K.*

CXI

587 nostri cessere parumper

CXII

588 adgretus fari

CXIII

589 runata recedit

CXIV

590 *quo sospite* liber

CXV

591 equitatus
Ut celer*iss*imus

CXVI

593 Iamque fere quattuor partum

CXI (587) Bell. Hispan. 23, 2 'hic dum in opere nostri distenti essent, complures ex superiore loco adversariorum decucurrerunt nec detinentibus nostris multis telis iniectis complures vulneribus affecere. [3] hic tum, ut ait Ennius (adtennius plerique), «nostri (ita unus Dresd. δ, nostris ceteri) cessere parumper».'

CXII (588) Paulus Festi p. 5, 6 Th. 'adgretus apud Ennium «adgretus fari» pro eo quod est adgressus ponitur, quod verbum venit a Graeco * surgo.' Cf. idem p. 55, 3 Th. 'egretus et adgretus ex Graeco sunt ducta a surgendo et proficiscendo.'

CXIII (589) Paulus Festi p. 353, 1 Th. 'runa genus teli significat. Ennius «runata recedit» id est proeliata.' Ex Festi litteris nihil effici potest. Cf. C. Gl. L. vii p. 217.

CXIV (590) Paulus Festi p. 431, 3 Th. 'sospes salvus. Ennius tamen sospitem pro servatore posuit.' Festus 'sos — — | omnes ferre auc — — | Afranius in ep — — | servent tuis — — | «maxime Teu(crorum ductor, quo sospite) | numquam» (Aen. viii 470). En — — | parentem et pa — — | sospitem» (scen. 406). Acc — — | rite ad patri — — | set. Ennius vid — — | ficare cum dix — — | liber».' Ursinus 'quo sospite liber' supplevit.

CXV (591) Charisius i p. 83, 22 K. 'celer celerior celerrimus (celerissimus Neap.) facit .. nam quod Ennius ait «equitatus *utcelerrimus*» barbarismus est.' Cf. 460.

CXVI (593) Charisius i p. 141, 25 K. 'partum ... et Ennius «iamque f. iiii partum», quoniam ab hac parte facit et has partes.'

---

587 *Cf. Liv.* xxvi 44, 3 Romani duce ipso praecipiente parumper cessere, ut propiores subsidiis in certamine ipso submittendis essent
591 equitum celerissimus *ed. princ.* equitatus iit c. *Baehrensius*
593 quattuor *bisyllabum, cf. ad* 93; *dici haec videntur de vigiliis quae in quattuor partes, ut ait Vegetius epit. rei mil.* iii 8, *erant divisae*

CXVII

594 furentibus ventis

CXVIII

595 «vestro sine momine, venti

CXIX

596 fluctusque natantes

CXX

597 «heia machaeras

CXXI

598 ad armentas *ipsius* eosdem

CXVII (594) Servius in Aen. I 51 (loca feta furentibus austris) 'austris .. est species pro genere. legerat apud Ennium «furentibus ventis», sed quasi asperum fugit et posuit austris pro ventis.' Cf. ad CXXIII.

CXVIII (595) Osbernus panorm. (thes. nov. Lat.) A. Mai class. auct. VIII p. 332 'item a moveo hoc momentum ... inveni quoque hoc momen, nis, pro momento; unde Ennius «vestro .. venti».' Ugucio (cod. Paris. 15462) 'item a moveo hoc momen tam pro motu quam pro spatio temporis. unde hennius «vestro .. venti».' Goetzius melet. Festin. (ind. schol. Ien. 1885/86) p. IV.

CXIX (596) Servius in Aen. VI 705 (domos placidas qui praenatat amnem) 'praenatat praeterfluit. et contrarie dictum est. nam non natant aquae sed nos in ipsis natamus. Ennium igitur secutus est qui ait «fluctusque natantes».'

CXX (597) Servius in Aen. IX 37 'hostis adest: hic distinguendum, ut heia (eia Reg.) militum sit properantium clamor; et est Ennianum qui ait «heia (eia nonnulli) macheras (machera Flor.)». ergo heia (eia Reg. Flor.) ingenti clamore dicentes ad portas ruebant. alii «hostis adest, heia» legunt.'

CXXI (598) Nonius p. 190, 20 'armenta genere neutro plerumque. feminino Ennius «*ipsius* ad armentas eosdem» ad armenta. (Pac)uuius (349 R.) «tu pascere cornifrontes soles armentas».' Paulus Festi p. 3, 25 Th. 'armentum id genus pecoris appellatur, quod est idoneum ad opus armorum. invenies tamen feminine «armentas» apud Ennium positum.'

---

595 *Cf. Aen.* I 133 meo sine numine, venti 596 *Cf. Lucret.* VI 405 quid undas arguit et liquidam molem camposque natantis *et Munro ad* V 488; camposque liquentes *Aen.* VI 724 597 *De* heia *vel* eia *vocis extremae syllabae natura dissentiunt Ritschelius* (*parerg. p.* 454 *prol. Trin. p.* CXCI) *et Lachmannus ad Lucr.* III 374 *p.* 164. *Cf. Euripid. Iphig. Taur.* 1423 οὐκ εἶα πώλοις ἐμβαλόντες ἡνίας παράκτιοι δραμεῖσθε; 598 ad armentas ipsius easdem *Scaliger;* eodem *Onions*

CXXII

599 quem non virtutis egentem

CXXIII

600 funduntque elatis naribus lucem

CXXIV

601 teloque trabali

CXXV

602 aplustria

CXXVI

603 Anionem

CXXVII

604 Cretenses

CXXII (599) Servius in Aen. XI 27 'quem non virtutis egentem (abstulit atra dies et funere mersit acerbo): Ennii versus est.'

CXXIII (600) Servius in Aen. XII 115 '(alto se gurgite tollunt Solis equi) lucemque elatis naribus efflant: Ennianus versus est ordine commutato. ille enim ait «*funduntque* (suntque Hamb.) . . lucem».' Marius Victorinus G. L. K. VI p. 28, 7 'videtur plurimis esse quintus communium syllabarum modus, qui apud Lucilium et veteres multos est frequentatus, ut correpta vocalis desinat in s et excipiatur ab alia consonanti vel vocali loco consonantis posita, ut est illud [Lucr. IV 1207] et item «*efflantque* elatis naribus lucem».' efflant ex Vergilii versu sumptum.

CXXIV (601) Servius Danielin. in Aen. XII 294 'teloque orantem multa trabali: Ennius «teloque trabali (trabalim Flor.)».'

CXXV (602) Gloss. Lat. Graec. C. Gl. L. II p. 18, 33 'aplustra (aplustre coni. B. Vulcanius) *πτερὸν πλοίου ὡς Ἔννιος*.' In iisdem p. 19, 43 'aplustra *ἄσφαλτος· καὶ τὸ ἄκρον τῆς πρώρας*.' Cf. Paulus Festi p. 7, 25 Th. 'aplustria navium ornamenta, quae quia erant amplius quam essent necessaria usu etiam amplustria dicebantur.' Priscianus VII p. 351, 1 H. 'et aplustra enim et aplustria antiqui protulisse inveniuntur. Cicero in Arato «. . . quaerere aplustra». Caesar in Arato «. . . aplustria puppis».' Cf. H. Iordanus Herm. VII p. 200. H. Genthius vet. schol. in Lucan. p. 7. C. Gl. L. VI p. 81.

CXXVI (603) Servius in Aen. VII 683 'gelidumque Anienem: Anio fluvius haud longe ab urbe est, sed hic euphoniam secutus est: nam Ennius «Anionem (annionem Flor.)» dixit iuxta regulam.'

CXXVII (604) Charisius I p. 124, 12 K. 'Cretum Cicero Tusculanarum libro II (14, 34) «Cretum legis»; «Cretenses» Ennius, ut Varro libro I de sermone Latino scribit.'

---

600 *Vix dubium videtur quin* Solis equi *in Ennii quoque versu primi fuerint; cf. Silius It.* V 56 flammiferum tollentes aequore currum Solis equi sparsere diem

CXXVIII

605 ambactus

CXXIX

606 salsas lamas

CXXX

607 tetros elephantos

CXXVIII (605) Paulus Festi p. 4, 2 Th. 'ambactus apud Ennium lingua Gallica servus appellatur. am praepositio loquelaris significat circum, unde supra servus ambactus id est circumactus dicitur.' Gloss. Lat. Graec. C. Gl. L. II p. 16, 3 'ambactus δοῦλος μισθωτὸς ὡς Ἔννιος.' Cf. C. Gl. L. VI p. 58.

CXXIX (606) Servius in Aen. II 173 p. 250, 8 Thil. (vix positum castris simulacrum, arsere coruscae luminibus flammae arrectis salsusque per artus sudor iit) 'salsus sudor: bene addidit salsus, ut significaret laborem futurum, ne forte alter in simulacro quilibet umor intellegeretur.' add. Danielin. 'salsus sudor: indicium commoti numinis fuisse dicitur. Probo sane displicet «salsus sudor» et supervacue positum videtur. hoc autem Ennius de lamis dixit.' sic haec ordinavit Thilo seorsum a libris. Schol. Veron. in eundem versum p. 86 Keil. II p. 5 Herrm. '— — s sudor iit: hoc epitheton demonstrativum quo totius corporis sucus etiam gustu potuerit agnosci | «— que laborando manat de corpore sudor». Probus malo epitheto putat usum poetam, critici vero naturalia | — nusquam inhoneste putant locari.' De utroque testimonio dixi in relat. acad. a. 1896 p. 721 sqq. ibique probare studui Ennium qui 568 'lamas lutosas' appellavit et 'salsas lamas' dixisse ut Lucretius V 794 'neque de caelo cecidisse animalia possunt nec terrestria de salsis exisse lacunis».' Cf. ad 568 adscripta et C. Gl. L. VI p. 621. Ibidem de hexametri reliquiis egi, quae sunt in schol. Veron., quae sintne Ennianae an alius poetae dici nequit.

CXXX (607) Isidorus orig. X 270 'teterrimus pro fero nimium. tetrum enim veteres pro fero dixerunt, ut Ennius «tetros elefantos (tetrosque elephantes dett.)».' in uno cod. Guelf. 1 Ottonis tenuimus additur quod deest in optimis. Placidus cod. Paris. C. Gl. L. V p. 157, 21 'teterrimus pro fero nimium; tetrum enim veteres pro fero dixerunt, ut Ennius «tetros elefantos».' Excerpt. ex cod. Cassin. 90 ibid. p. 581, 14 'teterrimus pro fero nimium; veteres tetrum pro fero dixerunt. Ennius «tetros elephantos *ad inguinem*».' In his postremis, de quibus non satisfaciebat Landgrafius (arch. lexicogr. IX p. 446), putabam anguimanus agnosci Enniumque scripsisse tetros elephantos anguimanus ad exemplum Lucretii V 1302 'inde boves lucas turrito corpore, tetras, anguimanus, belli docuerunt volnera Poeni sufferre', et II 537 'quadripedum cum primis esse videmus in genere anguimanus elephantos, India quorum milibus e multis vallo munitur eburno', unde sumpta sunt vel concisa vel manca quae habet Isidorus orig. XII 2, 14. Cf. relat. acad. a. 1896 p. 725 sq. Sed nunc vide Goetzium C. Gl. L. VII p. 330 meliora docentem

CXXXI

608 stant pulvere campi

CXXXII

609 saxo cere comminuit brum

CXXXIII

610 Massili portabant iuvenes ad litora tanas

CXXXIV

611 nec retrahi potestur
Imperiis

CXXXI (608) Porphyrio in Hor. carm. I 9, 1 'vides ut alta stet nive..:... stet autem plenum sit significat, ut Ennius «stant p. campi» et Vergilius (Aen. XII 408) «iam pulvere caelum stare vides».'

CXXXII. CXXXIII (609. 610) Servius in Aen. I 412 'circum dea fudit: figura est tmesis, quae fit cum secto uno sermone aliquid interponimus, ut alibi (georg. III 381) «septem subiecta trioni». sed hoc tolerabile est in sermone conposito, ceterum in simplici nimis est asperum; quod tamen faciebat antiquitas, ut «saxo cere comminuit brum».' ut in illo Ennii Fabricius; ex Ennio afferri in Servio manuscripto Sertorii Quadrimani testatur Columna.

Donatus art. gr. G. L. K. IV p. 401, 16. 17 'tmesis est unius conpositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interiectis, ut «septem subiecta trioni» pro septemtrioni et «saxo cere comminuit brum» et «Massili (Massali Iulianus) portabant iuvenes ad litora tanas», hoc est cerebrum et Massilitanas.' Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. IV p. 565 'tmesis est [ut] unius partis orationis facta diruptio, alia scilicet interposita, ut est illud «septem subiecta trioni». tolle de medio subiecta et habes septemtrioni. Ennius «*et* saxo cere comminuit brum».' Pompeius comment. G. L. K. V p. 310, 3 'tmesis dicitur sectio unius verbi .... habes apud Vergilium «septem subiecta trioni», hoc est septemtrioni .... plerumque per verba plurima interposita, si dicas hoc «Massili (massali Par. P) portabant iuvenes ad litora tanas» id est Massilitanas (massalitanas P) lagonas portabant iuvenes ad litora. aliud etiam «saxo cere comminuit brum» hoc est cerebrum, id est saxo cerebrum eius comminuit.' Prior horum duorum versuum non sine testimonio Ennio adscribitur; quod si recte fit, ne de altero quidem videtur dubitari posse: ita inter se iungunt haec exempla grammatici. Sed variant docti, Ennii esse Columna affirmat, negat Kochius exercit. crit. p. 2.

CXXXIV (611) Diomedes I p. 385, 29 K. 'possum nonnulli veterum et

608 *Gellius* VIII 5 *arg.* quid illud sit quod Vergilius caelum stare pulvere et quod Lucilius pectus sentibus stare dixit. *Cf. Lucilius* 181 *L. Claudianus* XXI 257 stant pulvere syrtes Gaetulae 609 *Cf. Aen.* X 415 saxo ferit ora Thoantis ossaque dispersit cerebro permixta cruento 611 *Fortasse* retrahi reprimive *Cf. Plautus in Satyrione* retrahi nequitur quoquo progressa est semel (*ap. Fest. p.* 162, 29 *Th.*)

CXXXV

613 **ab laeva rite probatum**

CXXXVI

614 **quem super ingens**
Porta tonat caeli

CXXXVII

616 **trabes remis rostrata per altum**

passiva declinatione figurarunt, potestur et possuntur (potestor et possuntor Parr. AB potestor epossunt Mon.); et quitur et quitus sum apud nonnullos veterum reperimus ... Accius quitus sum ponit ... [662 R.]. Caecilius (279 R.) «si non sarciri quitur». item potestur (potestor AB potest Mon.) apud Ennium reperimus «nec retrahi potestur imperiis».' In re incerta paulo tamen probabilius haec ad heroicum quam ad aliud metrum revocari videntur, sic ut medium aliquid grammaticus interceperit. Cf. Festus p. 308, 26 Th. 'potestur Scipio Africanus in ea quae est de inperio D. Bruti, et poteratur C. Gracchus in ea qua usus est cum circum conciliabula iret.'

CXXXV (613) Scholia Bern. Hageni (Fleckeis. annal. suppl. iv p. 956) in georg. iv 7 'laeva prospera. numina laeva: secundum haruspicinam dixit sinistrum prosperum, ut in secundo (Aen. ii 693) «intonuit laevum», quia sinistra nostra dextera sunt ei et dextera nostra sinistra sunt ei, ut Ennius (sic cod. Bern. 165; Bern. 172 et ceteri inmus ab Hageno iam ante corr. in annal. Fleckeis. xci 1865 p. 503) ait «ab laeva rite probatum».'

CXXXVI (614) Vergilius georg. iii 260 'quem super . . . caeli': quem versum Columna p. 83 testatur in vetusto fragmento anonymi cuiusdam grammatici de verb. neutr. impers. expresse ex Ennio citari. Seneca epist. 108, 34 cum scribit 'felicem deinde se putat (grammaticus) quod invenerit unde visum sit Vergilio dicere «quem super . . . caeli». Ennium hoc ait Homero subripuisse, Ennio Vergilium. esse enim apud Ciceronem in his ipsis de re p. hoc epigramma Enni (iv) «si fas . . . mi soli caeli maxima porta patet»', illum Ennianum versum esse non videtur cognitum habuisse: quae causa fortasse erroris, si error est in testimonio Columnae.

CXXXVII (616) Varro de l. L. vii 33 'sic dictum a quibusdam, ut una canes (de quo supra 32 'dicta enim apud veteres una canes. itaque Ennius scribit [528]'), una «trabes remis rostrata per altum». Ennius [scen. 246 sq.].' Versum capite truncatum eo modo, quo saepe in his libris, bis posito trabes nomine Columna Ennio adscripsit, quod mihi ut olim ita nunc probabile visum.

---

616 *Hariolari si libet suppleveris* Labitur una (*vel* uncta) trabes; *cf.* Labitur uncta carina 386 *et* 478; *Livius* xxxii 32, 9 cum quinque lembis et una nave rostrata venit

CXXXVIII

617 «Qua murum fieri voluit, urgemur in unum

CXXXIX

618 Rex am*bas* ultra fossam *protend*ere coepit

CXL

619 spoliantur eos et corpora nuda relinquunt.

CXLI

620 «Vosque lares tectum nostrum qui funditus curant

CXLII

621 Machina multa minax min*it*atur maxima muris

CXXXVIII (617) Nonius p. 418, 9 'urgere (urguere) est premere, cogere. Virgilius ... Lucilius ... Varro antiquitate rerum humanarum «qua ... urgemur (urguemur) in unum».' Versum a Varrone citatum Ennio adscripsit Aus. Popma not. in fragm. Varr. p. 303 ed. Bip. Quod si est, versus ex accusatione promptus coniungi potest cum 97 et 98.

CXXXIX (618) Marius Plotius Sacerdos G. L. K. vi p. 468, 6 'synecdoche est oratio plus minusve dicens quam necessaria postulat significatio ... per id quod dicitur illud quod sequitur: «rex *amus* u. f. *retinere* coepit»; subauditur enim manus.' Ennio ascripsit Lachmannus ad Lucr. iv 619.

CXL (619) Donatus art. gr. G. L. K. iv p. 394, 8 'fiunt soloecismi ... per significationes, sicut «spoliantur ... relinquunt» pro spoliant.' expoliantur et expoliant edd. interpol. Explan. in Donat. e cod. Lavant. G. L. K. iv p. 564, 1 'per genera verborum fiunt soloecismi, sicut «spoliantur ... relinquunt» pro spoliant.' Pompeius comment. G. L. K. v p. 291, 25 (soloecismi) '.. per genera verborum, si utaris passiva declinatione pro activa, ut «spoliantur ... relinquunt» pro eo quod est spoliant.' Ennio ascripsit Columna. Cf. H. Keilii de gramm. Lat. infim. aet. commentatio Erlang. a. 1868 p. 16.

CXLI (620) Charisius iv p. 267, 7 K. 'soloecismus est oratio inconsequens. fit autem ... per personas ut «vosque .. nm̄ (h. e. nostrum cod. nomen ed. pr.) .. curant» pro curatis.' Cf. versus tragicus incertus 35 Ribb. 'Danai qui parent Atridis, quam primum arma sumite', et quae ad eum olim adnotavit Ribbeckius. Nostrum Ennio Kochius adscripsit exerc. crit. p. 11.

CXLII (621) Diomedes ii p. 447, 4 K. 'parhomoeon fit cum verba similiter

---

618 ambas *editores Vindobonenses*: amus protendere *Lachmannus*: retinere 619 *Nonii (p. 480, 12) nulla fides, nec si esset quicquam probaretur, sed* expoliantur *quod nunc ponunt, vereor ut recte dicatur; Livius quidem ita* postero die spoliabant caesorum corpora (xxxvii 44, 3)*;* caedentes spoliantesque caesos (xxxii 12, 10)*;* spoliare corpus caesi hostis (vii 26, 6)*;* inter spoliandum corpus hostis (ii 20, 9)*; Vergilius quoque* concurrunt spoliantque calentia membra (*Aen.* xii 297)*; ut Graeci σκυλεύειν σκυλεῦσαι τὸν νεκρόν, τοὺς πολεμίους νεκρούς* 621 minitatur *posui a Muellero repudiatum; cf. scen.* 291

CXLIII

622 vita illa dignus locoque

CXLIV

623 Introducuntur legati Minturnenses.

CXLV

624 Olli crateris ex auratis hauserunt.

CXLVI

625 O multum ante alias infelix littera theta

incipiunt, ut «machina . . *minatur* m. muris». Ennio adscripsit L. Muellerus Fleckeis. ann. xcv (1867) p. 504. Cf. Catullus 115, 8 'mentula magna minax.' Possis opinari Marcelli machinam Syracusas advectam dici, de qua Plutarchus vit. Marc. 14, 3 *ὑπὲρ μεγάλου ζεύγματος νεῶν ὀκτὼ πρὸς ἀλλήλας συνδεδεμένων μηχανὴν ἄρας ἐπέπλει πρὸς τὸ τεῖχος*; Livius xxiv 34, 7. Cf. relat. acad. a. 1899 p. 269 sq.

CXLIII (622) Maximus Victorinus G. L. K. vi p. 216, 13 '*Ennius* quoque ait «vita illa dignus locoque», quasi dignu locoque dixerit. similiter *Lucilius* ait «tum lateralis dolor certissimus nuntius mortis» pro tum laterali dolor certissimu nuntiu mortis . . quasi subtractis tribus s litteris.'

Admodum incertum est iudicium de his duobus versibus, quorum qui Ennio adscribitur, alibi non semel Lucilio tribuitur (vide Lucilii v. 137 L.), de altero (ibid. 1153) praeterea nihil compertum. Quare transpositis nominibus Lucilius quoque et deinde similiter Ennius scribendum proposuerunt (I. Beckerus ephem. Marb. 1846 p. 946 et 1849 p. 329): quae est speciosa ratio, non certa. nam si illa quae posui Lucilii sunt, non Ennii, non consequitur alterum versum re vera Ennianum esse: itaque testimonio cessi, sed ut suum cuique liberum sit iudicium.

CXLIV (623) Victorinus de metr. G. L. K. vi p. 211, 22 'hexameter versus dactylicus . . . in versu duodecim syllabarum species una est. quippe hic sine ulla varietate omnes in se spondeos habet et vocatur spondiazon, ut est «*introducuntur* legati Minturnenses (ita Audacis exc. Bern. ligati in tur menses Par. hii producuntur legatim inturnis Aud. exc. Mon.)».' Fragm. de speciebus hexam. her. G. L. K. vi p. 634, 15 'genus unum est xii syllabarum ex omnibus spondeis, tamquam «*introducuntur* legati Minturnenses».' Aldhelmus epist. ad Acircium p. 235 Giles. (versus xii syllabarum) 'sine ulla varietate omnes in se spondaeos habet, qui ob hoc spondiazon vocatur, ut est «*hi producuntur* legati Minturnenses».' Cf. Manitius rel. acad. Vindob. cxii (1886) p. 591. Ennio tribuerunt editores ut proximum.

CXLV (624) Censorinus fragm. de metris G. L. K. vi p. 615, 18 'duodecasyllabos spondiazon «olli (spondiacon olli Vat. pondiagon | . . . olli Colon., corr. Iahnius) *crateríb;* (ateríb; in ras. Col.) ex a. hauserunt».' Cf. 511 'vertunt crateras ahenos.'

CXLVI (625) Glossa cod. Admunt. 472 saec. xii edita ab Ioh. Huemero

---

624 crateris *Cauchius et Nunnesius*

CXLVII

626 Quod bonus et liber populus

CXLVIII

627 Saturno sancte create

CXLIX

628 Apud emporium in campo hostium pro moene

Postrema quibus nominibus dubia aut incerta aut falsa sint, ex testimoniis adscriptis intelligi potest. Quae praeterea nuper ad Ennium rettulerunt plura ut nimis incerta sciens praetermisi.

stud. Vindob. ii p. 305 'albus est tabula ubi scribebantur nomina illorum qui ad militiam recipiebantur, et si contigisset ut aliquis eorum fuisset interemptus, apponebatur super nomen illius theta littera, quae mortem significat; habet enim haec quoddam iugulum; unde Ennius versificator optimus «o multum . . . theta».' Isidorus orig. i 3, 8 (Hagen. anecd. Helv. p. cxxxxiii sq.) 'quinque autem esse apud Graecos mysticas litteras . . . Θ secunda theta, quae mortem (significat) . . . . . . unde et habet per medium telum, id est mortis signum. de qua quidam «o multum . . . theta (Θ Wolfenb.)».' Schol. in Persii sat. 4, 13 (et potis es nigrum vitio praefigere theta) 'merito *θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου*, id est a morte, et quod quasi habet telum suum, ideo quod triste intellegitur mortis signum. unde quidam ait «o multum . . . theta».'

CXLVII (626) Lexicon Terent. a C. Barthio adv. xxxviii 15 p. 1751 'ex MS. optimo' edit. 'bonus et liberalis in eo diversi sunt, quod bonus est qui per naturam suam non nocet, liberalis qui libenter prodest. Terentius adelphis (463) «neque boni officium functus es neque liberalis viri». Ennius in eo «quod bonus et liber populus» hoc est liberalis.' (Ennius in primo coni. Barthius.)

CXLVIII (627) Afferunt Columna et Merula e Servio in Aen. x, in quo libro hodie versiculus non extat. Cf. Macrobius Sat. vi 1, 32 'quod genus hoc hominum quaeve hunc tam barbara morem (Aen. i 539). Furius in vi «quod genus hoc hominum Saturno sancte create».'

CXLIX (628) Festus ex apogr. l. xii p. 124, 24 Th. 'moene singulariter dixit Ennius «apud emporium . . . moene».' Naevium pro Ennio reposuit O. Muellerus Saturnio descripto. Ennii hexametrum de annalibus statuit Baehrensius.

SCENICA

ACHILLES

ACHILLES ARISTARCHI

I

1 Exsurge, praeco, fac populo audientiam.

PRAECO

Sileteque et tacete atque animum advertite:
Audire iubet vos imperator

II

4 Nam consili*i*s obvarant quibus tam concedit hic ordo

III

5 Int*ere*a mortales inter sese pugnant proeliant

ACHILLES I (1) Plautus Poenul. prol. 1 'Achillem Aristarchi mihi commentari lubet: inde mihi principium capiam ex ea tragoedia. [3] «sileteque . . . imperator» histricus . . . [11] «exsurge . . . audientiam».' histricus apparet prologi esse, non tragoediae. Cf. Aesch. Eum. 556 Minerva *κήρυσσε, κῆρυξ, καὶ στρατὸν κατειργαθοῦ* eqs. Eurip. Hecub. 529 Talthybius *σημαίνει δέ μοι σιγὴν Ἀχαιῶν παντὶ κηρῦξαι στρατῷ. κἀγὼ καταστὰς εἶπον ἐν μέσοις τάδε· σιγᾶτ' Ἀχαιοί, σῖγα πᾶς ἔστω λεώς* eqs. Il. II 50 *αὐτὰρ ὁ* (Agamemno) *κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν κηρύσσειν ἀγορήνδε κάρη κομόωντας Ἀχαιούς* eqs. ibid. 280. IX 10 *φοίτα* (Agamemno) *κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κελεύων κλήδην εἰς ἀγορὴν κικλήσκειν ἄνδρα ἕκαστον.*

II (4) Nonius p. 147, 22 'obvarare (obvarrare) pervertere depravare, dictum a varis. Ennius Achille (acille) «nam *consilius* obvarant (obvarrant) . . . ordo».' Cf. Festus p. 226, 1 Th. 'obvaricator dicebatur qui cuipiam occurrebat quominus rectum iter conficeret.'

III (5) Nonius p. 472, 30 'proeliant Ennius Achille «*inta* (ita Par. et e corr. Harl.) . . . proeliant».' Cf. Priscianus VIII p. 396, 16 H.

---

4 consiliis *olim corr.* *Putabam* obvarabunt *vel* obvarabit, *et metrum esse anapaesticum* hic ordo *i. e.* hic conventus *scil.* principum 5 Interea *post Klussmannum Lachmannus ad Lucr.* II 118 *ubi ad* proelia pugnas *et hunc versum Ennii et similia multa affert; ce-*

IV

6 Serva cives, defende hostes, cum potes defendere.

V

7 summam tu tibi pro mala
Vita famam extolles et pro bona paratam gloriam.
9 Male volentes famam tollunt, bene volentes gloriam.

VI

10 per ego deum sublimas subiices
Umidas, unde oritur imber sonitu saevo et spiritu

IV (6) Nonius p. 277, 21 'defendere vindicare depellere. Virgilius in bucolicis (7, 47) «solstitium pecori defendite». defendere tueri depellere (debellare ueri Gen. Bern. pr. Harl. m. pr.). Ennius Achille «serva (in achille Gen. Harl. m. pr. in chille, corr. in achilleo, que te serva Bern. pr.) .¦. defendere».' Lemma turbatum in quo corrigendo laborant docti.

V (7) Isidorus de differentiis verborum 218 v p. 29 Areval. 'inter famam et gloriam: gloria quippe virtutum est, fama vero vitiorum. Ennius in Achille «summam . . . gloriam, malevolentes» enim «famam tollunt, benevolentes gloriam».'

VI (10) Festus p. 436, 23 Th. 'subices Ennius in Achille pro subiectis posuit cum dixit nubes «per e. *deum subices* umidas *inde* o. i. *sonitus aevo spiritu*».' Paulus 'subices Ennius pro subiectis posuit.' Gellius IV 17 (positu, non natura praepositiones ob sub con cum verbo iacio compositas longas fieri) [13] 'congruens igitur est, ut subices etiam, quod proinde ut obices compositum est, u littera brevi dici oporteat. [14] Ennius in tragoedia quae Achilles inscribitur subices pro aere alto ponit qui caelo subiectus est, in his versibus «per (er Vat.) e. *deum sublimas subices* humidas *unde* o. i. *sonitu saevo* (sonit' evo Par.) *et strepitu*», plerosque omnes tamen legere audias u littera producta.' Nonius p. 169, 2 'subicis nove positum non a subiciendo sed altitudine. Ennius Achille (acille) «per e. *deum sublimas subicis* umidas (humidas) *unde* o. imber».' Cf. Accius 392 R. 'ingenti sonitu et spiritu' vel strepitu eadem testium discrepantia.

---

terum mortales *non cogit hunc* immortalium *sermonem esse, cf. sat.* 6; *ann.* 23 *et saepius. De sententia potius cf. Aeschyli de Myrmid. fr.* 131 *Nauck.* II *τάδε μὲν λεύσσεις, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ, δοριλυμάντους Δαναῶν μόχθους οὓς προπεπωκὼς εἴσω κλισίας (θάσσεις) et* 132 *τί ποτ' ἀνδροδάικτον ἀκούων κόπον οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν, quod cum v.* 6 *componas*

7 *Versus constituit Ribbeckius sed ut* Pro mala . . extolles, pro b. partam *mallet* 9 *Fuit qui bis* viventes *scriberet* 10 *sq. Versus disposuit Lachmannus ad Lucr.* III 227

VII

12 Éo ego ingenio natus sum: amicitiam atque inimicitiam in frontem promptam gero

VIII

13 Quo nunc incerta re atque inorata gradum
Regredere conare?

IX

15 Ita magni fluctus eiciebantur

X

16 prolato aere astitit

VII (12) Gellius XIX 8, 6 'inimicitiam autem Q. Ennius in illo memoratissimo libro dixit «*eo*» inquit «ingenio .. amicitiam atque inimicitiam in *fronte* (frontem unus Voss. min.) promptam gero».' Nonius p. 129, 25 'inimicitia numero singulari. Ennius «*eo ego* (ego om. Leid. m. pr.) ingenio .. amicitiam atque inimicitiam (amicitia modo inimicitiam Flor. m. pr. Leid.) in *frontem* (fronte deter.) promtam gero».' Achillis verba Il. IX 312 *ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀίδαο πύλῃσιν, ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ* iam Ribbeckius contulit; et ex Achille vel Achille Aristarchi citata fragmenta tantum non omnia ad *Πρεσβείαν* redire intelligitur.

VIII (13) Nonius p. 166, 22 'regredere revocare. Ennius Achille «quo ... inorata (morata Wolf.) .. conare».'

IX (15) Cicero in Verr. act. II lib. I 18, 46 'tum subito tempestates coortae sunt maximae, ut non modo proficisci, cum cuperet, Dolabella non posset, sed vix in oppido consisteret: ita magni fluctus eiciebantur.' Ad quae schol. Gronov. p. 403, 7 Or. 'ita .. eiiciebantur: Enniano hemistichio usus est ex ea tragoedia quae Achilles inscribitur.'

X (16) Festus p. 314, 22 Th. '«prolato aere astitit» Ennius achillę in (in Achille Scaliger) Aristarchi cum ait significat clipeo ante se protento.' Paulus 'prolato aere apud Ennium significat scuto ante se protento.'

---

12 *Sententia et oratio integerrima quae mutando non potest non depravari: de metro, quod esse pentametrum trochaicum puto, dixi ad scen.* 130; *de dactylo* natus sum amicitiam *cf.* 300; in frontem promptam (*haec enim coniunguntur*) gero *dicitur ut* in aciem stare, stantibus in aciem *apud Livium* (VI 39, 6; XXIV 8, 18), in mentem esse, in potestatem fore *apud Plautum et Ciceronem* (*cf. Gellius* I 7, 16 *sq.*); *de loquendi modo cf. Apul. apol.* 40 *p.* 51, 7 *Kr.* hominem liberum debere in primori fronte animum gestare; *Cic. Lael.* 18, 65 aperte vel odisse magis ingenui est quam fronte occultare sententiam; *pro Planc.* 14, 34 quod sentiebat et vultu promptum habuit et lingua; *Lucret.* IV 97 in promptu quoniam est in prima fronte locata; *cf. ibid.* 71 13 ignorata *Turnebus; cf. Cic. pro Rosc. Am.* 9, 26 re inorata reverterunt 16 cum proiecto prae se clipeo staret *Livius* XXXII 25, 10; scuto pro-

AIAX

I

17 Qui rem cum Achivis gesserunt statim

II

18 Salmacida spolia sine sudore et sanguine

III

19 Aliquod lumen, iubarne? in caelo cerno

AIAX I (17) Nonius p. 393, 13 'statim producta prima syllaba a stando perseveranter et aequaliter significat. Terentius (Phorm. v 3, 7) «bina talenta capiebat statim» (cf. Donat. ad h. l.). Plautus Amfitryone (239) «néc recédit loco quin statim rem gerat». idem in eadem (276) «ita statim stant signa omnia». Ennius Aiace «qui . . . statim». Afranius augure (11 R.) « . . . hic noster delaborat cum puero statim».' De prosodia vocis, non de significatione, Nonius videtur falli: cf. Ritschelius opp. iv p. 274 sqq. Dici puto Troianos, qui cum Achivis statim i. e. perseveranter tot annos rem h. e. bellum gesserunt, quorum iudicia virtutis peti Nestor in certamine Aiacis et Ulixis iusserat. Cf. schol. Aristoph. equit. 1056. Odyss. xi 547 cum schol. Aliter Ribbeckius, et est res incerta.

II (18) Festus p. 484, 17 Th. 'Salmacis nomine nympha Caeli et Terrae filia fertur causa fontis Halicarnasi aquae appellandae fuisse Salmacidis, quam qui bibisset, vitio inpudicitiae mollesceret ob eam rem quod eius aditus angustatus parietibus occasionem largitur iuvenibus petulantibus antecedentium puerorum puellarumque violandarum, quia non pate(t re)fugium. Ennius «*Salmacidas polla* s. *sanguine et sudore*».' Cicero de off. i 18, 61 'itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest (trag. inc. 210 R.) «vos enim iuvenes animum geritis muliebrem, illa virgo viri» et si quid eius modi «*Salmaci da spolia* s. *sudore et sanguine*».' Variant scriptores ordine, et ipse Cicero tam 'sudore et sanguine partam libertatem' (de leg. agr. ii 6, 16) quam 'maiorum sanguine et sudore quaesita' (ibid. 26, 69). Plinius ep. ii 7, 1 'sudore et sanguine et factis.' Livius vii 38, 6 'suo sudore ac sanguine.' Ad Aiacem Ribbeckius rettulit olim non sine probabilitate.

III (19) Varro de l. L. vi 6 'ut ante solem ortum quod eadem stella vocatur iubar, quod iubata, Pacuvius (Pacuvianus Victorius) dicit pastor (347 R.) «exorto iubare noctis decurso itinere». Ennius (Ennii vel melius Ennianus scribendum) Aiax «lumen iubarne . . cerno».' Idem ibid. vi 81 'cerno idem valet; itaque pro video ait Ennius «lumen iubarne . . cerno».' Idem ibid. vii 76 '. . . trigona faciant. «aliquod lumen iubarne (iubar. ne Flor.) . . cerno».' iubar dicitur stella lucifer, quase in summo quod ha-

---

iecto *Quadrigarius ap. Gell.* ix 13, 16; scutis proiectis *Sisenna apud Macrobium Sat.* vi 4, 15. *Cf. Il.* vii 224 τὸ (σάκος 219) πρόσθε στέρνοιο φέρων Τελαμώνιος Αἴας στῆ ῥα μάλ' Ἕκτορος ἐγγύς 17 *Versus mancus incertum qua parte suppleatur* 18 Salmacida spolia *Scaliger*

IV

20 Aiax misso sanguine tepido tullii efflantes volant

ALCMEO

I

21 factum est iam diu

II

ALCMEO

22 Multis sum modis circumventus, morbo exilio atque inopia;
Tum pavor sapientiam omnem mi examinato expectorat:

bet lumen diffusum ut leo in capite iubam. huius ortus significat circiter esse extremam noctem. itaque ait Pacuius «exorto ... itinere».' Ex his tribus testimoniis recte taxatis prodire arbitror eam formam, quam supra posui quamque commendavi in prooem. a. 1880 p. 14; simul apparet haec Aiacis Enniani verba esse ita loquentis 'aliquod lumen (φῶς τι) in caelo cerno: iubarne est?' ut haec interrogatio media sit isti orationi interposita eo more quem l. s. explicui.

IV (20) Festus p. 532, 2 Th. '— dixerunt esse silanos, ali rivos, ali vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius inaiacea·iax misso sanguine t. tulii e. volant».' Paulus 'tullios alii dixerunt ... Aniene. Ennius «sanguine t. tullii e. volant».'

ALCMEO I (21) Nonius p. 127, 13 'iam diu pro olim ... Ennius Alcmėone «factum est iam diu».'

II (22) Cicero de orat. III 58, 218 'aliud vocis genus iracundia sibi sumat ... aliud metus, demissum et haesitans et abiectum «multis sum modis (modis sum integri) ... mihi (om. mutili) *exanimato expectorat* alter (alter om. mutili) terribilem minatur (mutili, minitatur integri) ... *refugiat* t. *sanguen* (mutili vetusti; sanguine ceteri) .. metu».' Idem de fin. IV 23, 62 'hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi ... crediderint, eius, qui honeste viveret, si idem etiam bene valeret, bene audiret, copiosus

---

20 Animam misso sangui *Hermannus ad Soph. Ai.* 918, *sed* Aiax *tueri licet in oratione huius modi* ferro percussus iacet Aiax: misso sanguine tullii efflantes volant; *ut Soph. Ai.* 898 *Αἴας ὅδ' ἡμῖν ἀρτίως νεοσφαγὴς κεῖται; et pars altera additur ut in Eurip. Hecub.* 568 *de Polyxena τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαρροάς· κρουνοὶ δ' ἐχώρουν: ita tullii dicuntur sanguinem missum de vulnere volantes efflare. Paulo aliter Sophocles Ai.* 1411 *ἔτι γὰρ θερμαὶ σύριγγες ἄνω φυσῶσι μέλαν μένος; sed idem* 918 *βλέπειν φυσῶντ' ἄνω πρὸς ῥῖνας ἔκ τε φοινίας πληγῆς μελανθὲν αἷμ' ἀπ' οἰκείας σφαγῆς; et Haemo in Antigona* 1238 sanguine tepido *in anapaestico versu Accius* 607 *R.* 22 Multimodis sum *sunt qui malint, et cf. Cic. or.* 45, 153

24 Alter terribilem minatur vitae cruciatum et necem;
Quae nemo est tam firmo ingenio et tanta confidentia
Quin refugiat timido sanguen atque exalbescat metu
. . . . . .

III

ALCMEO

27 unde haec flamma oritur?

28 incede, incede, adsunt, me expetunt.

esset, optabiliorem fore vitam melioremque et magis expetendam, quam illius, qui aeque vir bonus «multis modis» esset, ut Enni Alcmeo, «circumventus . . . inopia».' Idem de orat. III 38, 154 'novantur autem verba quae ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt vel coniungendis verbis ut haec «tum . . omnem mihi (mihi omnem pars integrorum) *exanimato expectorat*»; «num non vis huius me versutiloquas malitias» (trag. inc. 114 R.). videtis enim et «versutiloquas» et «expectorat» ex coniunctione facta esse verba, non nata.' Idem Tusc. disp. IV 8, 19 'quae subiecta sunt sub metum ea sic definiunt . . . pavorem metum mentem loco moventem, ex quo illud Ennius (Enni corr.) «tum . . . mihi *ex anima expectaret* (expectoret Brux.)», exanimationem metum subsequentem et quasi comitem pavoris.' Nonius p. 16, 7 'expectorare est extra pectus eicere . . . Cicero de oratore lib. III «tum p. s. omnem mihi (omnem s. mihi vel s. mihi omnem) *exanimato expectorat*».' Quintilianus VIII 3, 31 'at veteres ne «*expectorat*» quidem timuerunt.' Cicero de fin. V 11, 31 'quis est enim aut quotus quisque, cui mors cum appropinquet non «*refugiat* t. *sanguis* . . metu».' Nonius p. 224, 18 'sanguis masculino genere in consuetudine habetur . . . neutro Ennius Hecuba [VI] . . . Cicero de finibus bonorum et malorum lib. V «quotusquisque est cui mors cum adpropinquet non *fugiat* t. *sanguen* . . metu».' Priscianus VI p. 250, 12 H. 'veteres hoc sanguen dixerunt. Cicero in Hortensio «ut ait Ennius *refugiat* t. *sanguen* . . metu».'

III (27) Cicero Lucull. 28, 89 'quid ipse Alcmeo tuus, qui negat «cor sibi (add. ēē Vind. **Voss. A) cum oculis consentire» (34), nonne ibidem incitato furore «unde . . oritur» (27) et illa deinceps «incede incede adsunt (ita libri, nisi quod incedeat s̃ Voss. B incẹde incẹde adsuṇt e corr. Vind.) me expetunt». quid cum virginis fidem implorat «fer mi (29) . . *ceruleae* (cerulęę) incincte (corr. tę) *igni* incedunt . . . tedis (30)» num dubitas quin sibi haec videre videatur? itemque cetera «intendit (31) . . . iacit a laeva

24 Alter *qui explicem non habeo, nisi forte interceptum est, errore aut consulto de more Ciceronis, quod excipiebat* Alter; Mater *Ribbeckius, ego putabam* Ultor, *cf. prooem.* 1887/88 *p.* 6 *n. et* 1888/89 *p.* 3 *sq.*

25 *Orationem apparet non ἀνακόλουθον esse sed imperfectam quae sic decurrebat* quae nemo tam firmo ingenio est quin exalbescat metu cum adventare videat 28 incede incede *h. e.* ἔμβα ἔμβα *tueri studui*

Fer mi auxilium, pestem abige a me, flammiferam hanc vim quae me excruciat.
30 Caerule*a* incinctae *angu*i incedunt, circumstant cum ardentibus taedis.

31 intendit crinitus Apollo
Arcum auratum luna innixus:
Diana facem iacit a laeva.

34 Sed mihi ne utiquam cor consentit cum oculorum aspectu

ALEXANDER

I

CASSANDRA

35 mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba; quo facto pater

(33; iacita leva Voss. A Vind. sed corr.)»: [90] qui magis haec crederet si essent, quam credebat quia videbantur? apparet enim iam «cor cum (coreū m. pr. Voss. A Vind.) oculis consentire».' Idem ibid. 17, 52 'quod idem contingit insanis, ut et incipientes furere sentiant et dicant aliquid quod non sit id videri sibi et cum relaxentur sentiant atque illa dicant Alcmeonis (34) «sed mihi (dmihi in ras. corr. Voss. A) neutiquam . . . aspectu».' Idem ibid. 27, 88 'cum experrectus esset Ennius non diceret se vidisse Homerum, sed «visum esse» (ann. 6), Alcmeo autem «sed . . . consentit».' Festus p. 166, 5 Th. '| neutiquam pro — — | cum ait «sed — — | lorum aspect — ».' Paulus 'neutiquam pro nullo modo.'

ALEXANDER I (35) Cicero de div. I 21, 42 'haec etiam si ficta sunt a poeta non absunt tamen a consuetudine somniorum. sit sane etiam illud

---

prooem. 1887/88 *p.* 7; *ex Vindobonensis correcta scriptura nihil efficiendum est* 30 Caeruleo . . angui *Columna, sed ex* caeruleae (cerulęę) *librorum rectius* caerulea *efficitur* *Cf. Cic. de leg.* I 14, 40 agitent insectenturque furiae non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae; *idem pro Rosc. Am.* 24, 66. 67, *in Pison.* 20, 46; *quorum memor fuit Suetonius Ner.* 34 31 *Versum mancum esse Buechelerus censuit; addi potuisse* Hac *cui responderet* a laeva *scripsi l. s. s. p.* 4 *n. ibique* luna *a Ribbeckii dubitationibus vindicare studui* 34 aspectu truci *fuisse coniecit Ribbeckius coll. Pacuv. v.* 3 35 Quia mater *libri, sed* quia *Ciceronis videtur, poeta fortasse* mea mater *posuerat* ex se *Buechelerus* *Cf. Hygin. fab.* 91 uxor eius (*Priami*) praegnans in

Rex ipse Priamus somnio mentis metu
Perculsus curis sumptus suspirantibus
39 Exsacrificabat hostiis balantibus.
Tum coniecturam postulat pacem petens
Ut se edoceret obsecrans Apollinem
Quo sese vertant tantae sortes somnium.
43 Ibi ex oraclo voce divina edidit
Apollo puerum primus Priamo qui foret
45 Postilla natus temperaret tollere:
Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.

II

47 Iam dudum ab ludis animus atque aures avent
Avide exspectantes nuntium

III

NARRATIO DE LUDIS ET DE PARIDIS VICTORIA III—VII

49 Multi alii adventant, paupertas quorum obscurat nomina

commenticium, quo Priamus est conturbatus, quia «mater gravida ... Pergamo (46.)».' Ennii Alexandro hos versus cum Hartungo Eur. rest. II p. 234 attribuit Ribbeckius nec dubitavi eos ut olim hoc loco, in principio huius tragoediae, ponere. Cf. Hygini fab. 91.

II (47) Varro de l. L. VI 83 'ab auribus verba videntur dicta audio et ausculto; audio (auris O. Muellerus) ab aveo, quod his avemus discere semper, quod Ennius videtur *ἔτυμον* ostendere velle in Alexandro cum ait «iam ... nuntium».'

III (49) Macrobius Sat. VI 1, 61 'multi praeterea quos fama obscura recondit (Aen. V 302). Ennius in Alexandro «multi ... nomina».'

---

quiete vidit se facem ardentem parere. *Eurip. Troad.* 921 *ἀπώλεσε Τροίαν τε κἄμ' ὁ πρέσβυς οὐ κτανὼν βρέφος δαλοῦ πικρὸν μίμημ' Ἀλέξανδρόν ποτε* 39 Exsacrificabat*: ἐκθύεσθαι velut ἄγος Herodotus* (VI 91) *aliique, ne quis* Dis sacr. *scribi malit* 43 Ubi *Voss. B* divinae dedit *m. pr. Voss. A Vind.* 45 Postilla*: cf. ann.* 41 quidquid peperisset decreverunt tollere *Terentius Andr.* 219 46 *Eurip. Androm.* 298 *μεγάλαν Πριάμου πόλεως λώβαν; cf. ibid.* 291 47 ab ludis nuntium exspectantes avent *dicit; prave* abludit *propositum et probatum est. Cf.* 230 postquam abs te ut venirem tetigit aures nuntius*; Plautus Bacch.* 196 quod ab illoc attigisset nuntius*; ibid.* 528 exspectant et avent audire *Cicero de fin.* IV 19, 52*;* sciscitantur omnes, avent audire *idem in Anton.* XIV 7, 19

IV

50 Hominem appellat «quid lascivis, stolide? non intellegis

V

51 Volans de caelo cum corona et taeniis

VI

52 Is habet coronam vitulans victoria

VII

53 Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant.

IV (50) Festus p. 460, 14 Th. 'stolidus stultus. Ennius l. I [LVI] et in Alexandro «hominem . . *lascivi* stolide n. *intellegit*».'

V (51) Festus ex apogr. l. XX p. 548, 24 Th. p. 72 Mommseni 'taenias Graecam vocem sic interpretatur Verrius ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati, ut sit apud Caecilium in androgyno (7 R.) «sepulchrum plenum taeniarum ita ut solet» et alias (Caec. 275 R.) «dum taeniam qui volnus vinciret petit». Ennius in Alexandro «volans . . . taeniis».' Cf. C. Gl. L. VII p. 330.

VI (52) Paulus Festi p. 561, 25 Th. 'vitulans laetans gaudio, ut pastu (vitulus). Ennius «is . . . victoria».' Cf. Macrobius Sat. III 2, 11 sqq. 'primo pontificii iuris libro apud Pictorem verbum hoc positum est «vitulari», de cuius verbi significatu Titius ita retulit «vitulari est voce laetari». Varro etiam in libro XV rerum divinarum ita refert «quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat quod Graeci *παιανίζειν* vocant» . . . Hyllus ait Vitulam vocari deam quae laetitiae praeest. Piso ait vitulam victoriam nominari' eqs. C. Gl. L. VII p. 425. Ad Alexandrum pertinere Hartungus l. c. p. 238 coniecit.

VII (53) Varro de l. L. VII 82 'apud Ennium (105) «Andromachae nomen qui indidit recte ei indidit». item «quapropter . . . vocant». imitari dum voluit Euripidem et ponere *ἔτυμον* est lapsus; nam Euripides quod Graeca

---

50 videt in turba Verrem: appellat hominem et ei gratulatur *Cic. in Verr. act.* I 7, 19 lascivis, stolide *Scaliger*: lascivi stolide non intellegis *ab aliis in alia oratione propositum puto verum esse, quod sic continuatur* te huius loci non esse 51 Volans de caelo *sive Venus sive Victoria; Varro de l. L.* V 62 utrique testis poesis quod et Victoria et Venus dicitur caeligena . . . ideo haec (*Victoria*) cum corona et palma, quod corona vinclum capitis . . palmam quod . . vincta habet paria folia. *Cf. Tibull.* II 5, 45; *Sallustius apud Macrob. Sat.* III 13, 8 sedenti in transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam ei imponebat de caelo: *ann.* 53 te precor Venus ut me de caelo visas cum corona et taeniis: *cf. Plato conviv. p.* 212 *d Hugio interprete* 53 *Apollod. bibl.* III 150 (12, 5, 5) *ἔτρεφεν ὀνομάσας Πάριν· γενόμενος δὲ νεανίσκος καὶ πολλῶν διαφέρων κάλλει τε καὶ ῥώμῃ αὖθις Ἀλέξανδρος προσωνομάσθη λῃστὰς ἀμυνόμενος καὶ τοῖς ποιμνίοις ἀλεξήσας ὅπερ ἐστὶ βοηθήσας*

VIII

HECUBA

54 Sed quid oculis rapere visa est derepente ardentibus,
Aut ubi illa paulo ante sapiens virginali modestia?

CASSANDRA

56 Mater optuma, *tu* multo mulier melior mulierum,
Missa sum superstitiosis hariolationibus,
58 Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines vereor aequalis, patris mei meum factum pudet,
Optumi viri. mea mater, tui me miseret, mei piget:

posuit ἔτυμα sunt aperta. ille ait ideo nomen additum Andromachae quod ἀνδρὶ μάχεται; hoc Ennii quis potest intellegere inversum (versum Havn. recte) significare «Andromachae . . . indidit» aut Alexandrum ab eo appellatum in Graecia (Graecis?) qui Paris fuisset, a quo Herculem quoque cognominatum Alexicacon, ab eo quod defensor esset hominum.'

VIII (54) Cicero de div. I 31, 66 'inest igitur in animis praesagitio extrinsecus iniecta atque inclusa divinitus. ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. «sed quid (54) . . . obsequi (62)». o poema tenerum et moratum atque molle. sed hoc minus ad rem: [67] illud quod volumus expressum est, ut vaticinari furor vera soleat «adest adest (63) . . . restinguite (64)». deus (restimguit edeus sed corr. Voss. B restinguit deus Vind. m. pr. et Voss. A sed hic dius m. pr.) inclusus corpore humano, iam non Cassandra loquitur. «iamque (65) . . . litora (68)». tragoedias loqui videor et fabulas.' Idem orat. 46,155 'itaque

---

54 rabere visa es *post Muretum Lambinus speciose sed temere:* oculis postremum lumen radiatum rape *trag. inc.* 48 *R.* 55 Aut *add. Lachmannus ad Lucr.* I 186, *quo nihil verius aut frequentius in geminatis interrogationibus similis sententiae; cf.* 74 illa paulo ante modestia *dicit ut* iste post phaselus *Catullus,* ubi illa quondam constantia *Hieronymus* virginali *tuetur Lachmannus l. c. cf. quae dixi ad scen.* 309 *et Herm.* XVII *p.* 604 *sq. Leo quaest. Plaut. p.* 262 *n.* virginale *Voss. B m. pr.* 56 optuma tum (tū) *libri* optumarum *post Porsonum* (*cf. Dobraei adv.* II *p.* 374) *Hauptius opp.* I *p.* 200, *quod placuit; mihi displicet et reposui quo libri ducunt* mater optuma, tu multo*; quae est unice apta matris appellatio, nec de metro haereo* (*cf. Herm.* XVII *p.* 606) mulier melior mulierum*: dicendi modum Hauptius vindicat;* non ego nunc parasitus sum sed regum rex regalior *Plautus capt.* 825 58 Neque me apollo *libri: intelligo* neque invitam me A. ciet*; quod cur falsum esse dicam dubito* (*cf. Aesch. Agam.* 1156 *sqq. K. Euripid. Troad.* 451 *sqq.*) *et assentire sententiarum tenor videtur;* Namque Apollo *Ribbeckius* 59 vereor (*olim transponens* aequalis vereor) *Ribbeckius*: vero *libri, sed* vero** (o *ex e corr.*) *Voss. B, quem vix dubites pr. m. habuisse id quod Ribbeckius coniectura repperit* patris mei meum factum pudet*: Hauptius opp.* II *p.* 321

61 Optumam progeniem Priamo *p*eperisti extra me; hoc dolet;
Men obesse, illos prodesse, me obstare, illos obsequi.

63 Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio,
Multos annos latuit, cives, ferte opem et restinguite.

65 Iamque mari magno classis cita
Texitur, exitium examen rapit:
Adveniet, fera velivolantibus
68 Navibus complebit manus litora.

69 Eheu videte:
Iudicavit inclitum iudicium inter deas tris aliquis:
Quo iudicio Lacedaemonia mulier, furiarum una adveniet.

idem poeta, qui inusitatius contraxerat «patris mei meum factum pudet» (59) pro meorum factorum et «texitur, exitium examen rapit» (66) pro exitiorum, non dicit liberum, ut plerique loquimur ... sed ut isti volunt «neque ... liberorum ex te genus» (299) et idem [165]». at ille alter in Chryse [Pacuv. 80 sqq. R.] ... [156] ... atqui dixit Accius [655 sq. R.].' Idem de div. II 55, 112 'at multi saepe vera vaticinati, ut Cassandra «iamque mari magno» (65) eademque paulo post «eheu videte» (69).' Idem ad Att. VIII 11, 3 'προθεσπίζω igitur, noster Attice, non hariolans ut illa cui nemo credidit sed coniectura prospiciens «iamque mari (m a r i a Med.) magno» (65), non multo inquam secus possum vaticinari: tanta malorum impendet Ἰλιάς.' Nonius p. 112, 25 'faxs pro faces. Varro ... idem sexagesi (486 B.) «*adest* fax *involuta incendio*» (63).' Idem p. 328, 23 'involutum occupatum comprehensum. Varro sexagesi «*adest* fax *involuta incendii*».' Cicero de div. I 50, 114 'furibunda mens videt ante multo quae sint futura. quo de genere illa sunt «eheu videte (69) ... adveniet (71)».' Haec omnia a v. 56 ad 71 Cassandram esse quae cantet Cicero bis testatur; quae quia 'matrem' appellat (56), intelligitur v. 54. 55 Hecubam loqui. sed poeta nusquam nominatur nomine: nisi quod in orat. l. c.

---

61 peperisti *ex dett. aliq. corr.*: repperisti (reperisti) *optimi* hoc dolet*: trium vel quattuor versuum* (58—61) *homoeoteleuta* (ciet), pudet piget dolet *neminem fugiunt. aliud genus Quintilianus describit* IX 3, 77 ὁμοιοτέλευτον similem duarum sententiarum vel plurium finem .... fit etiam singulis verbis 'Hecuba hoc dolet, pudet, piget'. *tamen fieri potest ut haec verba in hac fabula alicubi (velut post* 62*) locum habuerint: cf. Ribb. trag. inc.* 21 62 Me* *Voss. B* 63 fax*: cf. ad* 35 64 referte *Voss. A Vind.* 68 complebit *Palat.*: complevit *optimi* 70 Iudicabit *Hauptius opp.* I *p.* 209, *qui octonarios descripsit pro anapaestis Davisii; sed ab* Eheu videte *novum initium capi Cicero subindicat*

IX

O lux Troiae, germane Hector.
Quid ita cum tuo lacerato corpore
Miser *es*, aut qui te sic respectantibus
Tractavere nobis?

X

Nam maximo saltu supera*b*it gravidus armatis equus,
Qui suo partu ardua perdat Pergama

XI

amidio purus putus

post illa prima quae afferuntur 59 et cet. quia insequitur 'at ille alter in Chryse', quem esse Pacuvium constat, et deinceps Accius citatur, probabile fit, qui dicitur 'idem poeta' Ennium esse; quod si est, nec dubitarunt docti inde a Columna (cf. Bergkii opp. I p. 220), haec sibi locum in Alexandro Ennii poscunt.

IX (72) Macrobius Sat. VI 2, 18 'o lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum, et reliqua (Aen. II 281). Ennius in Alexandro «o lux . . . *miser aut* . . . nobis».'

X (76) Macrobius Sat. VI 2, 25 'cum fatalis equus saltu super ardua venit Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo (Aen. VI 515). Ennius in Alexandro «nam maximo (nunc maxima Par.) s. *superavit gravibus* armatis (gravis armatus Salisb.) . . . Pergama».' Idem ibid. III 13, 13 'Titius in suasione legis Fanniae obiicit saeculo suo, quod porcum Troianum mensis inferant, quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Troianus equus «*gravidus* armatis» fuit.'

XI (78) Paulus Festi p. 271, 6 Th. 'putus antiqui dicebant pro puro, unde putatae vites et arbores, quod decisis inpedimentis remanerent purae.' Festus '— | antiquos — — | dicisium est (id) — — | nifici ait ne(que) — — | in alexandr(o) — — | amidio purus p(ut) —».' Gellius VII 5, 10 'scriptum est autem «purum putum». . . cum in multis aliis veterum libris, tum in Q. quoque Ennii tragoedia quae inscribitur Alexander.'

---

73 cum t. lacerato corpore *vindicavi mus. Rhen.* XIV *p.* 567 *de* cum *particulae usu Enniano agens* 74 es *addidi et duplicem interrogationem similis sententiae institui Herm.* XII *p.* 400*; de metro dixi ibid.* XV *p.* 262 *sq.* 75 Tractavere *h. e.* *εἵλκυσαν, cf. ann.* 137 tractatus per aequora campi*; Lucretius* III 889 malis morsuque ferarum tractari *Cf. Cicero pro Font.* 21, 46 de matris complexu vobis inspectantibus avellet*; idem de imp. Cn. Pomp.* 12, 33 prope inspectantibus vobis 76 superabit *Vossius*: superavit *Aen.* II 237 scandit fatalis machina muros feta armis *confert Quicheratus* 77 *Putabam* qui cum suo*; sed trochaicus versus ut* 73. 74 *adnecti iambico octonario videtur* 78 *Fuitne* clamidio (*χλαμυδίῳ*) *an* amiculo?

ANDROMACHA

ΑΝΔΡΟΜΑΧΗ ΑΙΧΜΑΛΩΤΟΣ

I

79 Rapit éx alto naves velivolas

II

80 annos multos longinque ab domo
Bellum gerentes summum summa industria

III

82 Hectóris natum de Troiano muro iactari

ANDROMACHA AECHMALOTIS Cicero de div. I 13, 23 'sus rostro si humi a (a om. Voss. B m. pr.) litteram inpresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Enni ab ea posse describi?' Nonii editores Andromache aechmaloto vel aechmalotide in quibusdam eius testimoniis depravatis pridem restituerunt; videtur autem fabula Graeca *Ἀνδρομάχη αἰχμάλωτος* sive *αἰχμαλωτίς* inscripta fuisse. Andromacha saepe in cognomini fabula Euripidis *αἰχμάλωτος* vel *αἰχμαλωτίς* non sine pondere dicitur: 583. 871. 908. 932. 962. 1059. 1243.

I (79) Macrobius Sat. VI 5, 10 'despiciens mare velivolum (Aen. I 224) ... Ennius in XIIII [III]. idem in Andromache (dromachera Par.) «rapit (capit Par.) ... velivolas».' Servius in Aen. I 224 ad ann. l. c. adscriptus.

II (80) Nonius p. 402, 2 'summum gloriosum laudabile .... Ennius *andromaca haec malo* «annos m. *longique ab* domo ... industria».' Idem p. 515, 13 'longinque et longiter pro longe. *Accius andromache eimalo* (andromachae eimala Bamb.) «annos m. *longinque a* domo ... industria».' Utroque loco Andromacha (vel Andromache) aechmaloto ex vestigiis scripturae prodit.

III (82) Varro de l. L. X 70 'degenere multi utuntur non modo poetae sed etiam plerique omnes qui soluta oratione loquuntur. haec primo (cf. Lachm. ad Lucr. I 805 p. 56) dicebant ut quaestorem praetorem sic Hectōrem Nestōrem. itaque Ennius ait «Hectōris ... iactari».' Cf. 101.

---

79 *De sententia cf. Eurip. Iphig. Taur.* 1379 *δεινὸς γὰρ κλύδων ὤκειλε ναῦν πρὸς γῆν;* 1394 *δεινὸς γὰρ ἐλθὼν ἄνεμος ἐξαίφνης νεὼς ὠθεῖ παλιμπρυμνηδόν et quae Minerva minatur initio Troadum v.* 75 *sqq. δύστηνον αὐτοῖς νόστον ἐμβαλεῖν θέλω, ὅταν πρὸς οἴκους ναυστολῶσ' ἀπ' Ἰλίου* 80 *Cf. Troad.* 19 *μένουσι δὲ πρύμνηθεν οὖρον, ὡς δεκασπόρῳ χρόνῳ ἀλόχους τε καὶ τέκν' εἰσίδωσιν ἄσμενοι, οἳ τήνδ' ἐπεστράτευσαν Ἕλληνες πόλιν; ibid.* 1263 *sq.* 82 de: e *Lachmannus Versus forma dubia; oratio requirit* iubent *vel* flagitant *adiectum; Scaliger ita mutatum versum* H. n. de moero iactarier *versibus* 100. 101 *subiecit, id quod commendari videatur Androm. Euripid. v.* 8 *ἥτις πόσιν μὲν Ἕκτορ' ἐξ Ἀχιλλέως θανόντ' ἐσεῖδον, παῖδα δ' ὃν τίκτω πόσει ῥιφέντα πύργων Ἀστυ-*

IV

83 Nam ubi introducta est puerumque ut laverent locant
In *cl*ypeo

V

ANDROMACHA

85 Ex opibus summis opis egens Hector tuae

86 Quid petam praesidi aut exequar, quove nunc
Auxilio exili aut fuga freta sim?
88 Arce et urbe orba sum: quo accidam, quo applicem,

IV (83) Nonius p. 504, 15 'lavere (laverent corr. edd. cf. 504, 4) etiam inde manavit. Ennius Andromacha (andromaca) «nam .. puerumque (puerorumque Wolf.) ut laverent l. in *cypeo* (cipeo)».'

V (85) Cicero Tusc. disp. III 19, 44 'quaerendum igitur quem ad modum aegritudine privemus eum qui ita dicat [Thyest. x]. quid, huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat, aut aliquid eius modi? ecce tibi ex altera parte ab eodem poeta «ex opibus ... tuae» (85). huic subvenire debemus; quaerit enim auxilium «quid petam praesidii (86) ... exilii ... *arce*

ἄνακτ' ἀπ' ὀρθίων, sed ego nostro quem ad Andromacham pertinere v. 83 *fidem facit indici potius Achivorum consilium Astyanactis de muro deiiciendi crediderim, velut Talthybius Troad.* 725 *nuntiat ῥῖψαι δὲ πύργων δεῖν σφε Τρωικῶν ἄπο* 83 puerum qui l. *Quicheratus* puerum *intelligit Astyanacta, non Molottum Andromachae ex Neoptolemo natum* 84 clypeo *Aldina* *Dicit Hectoris clypeum, in quo condi corpus pueri Andromacha Troad.* 1133—1142 (*cf.* 1156. 1193. 1222) *iusserat, hoc munus triste Hecubae linquens dum ipsa proficiscitur coacta: ut* introducta *Hecuba potius, non Andromacha dici videatur; de lavando corpore Troad.* 1151 *sed diverse refertur* 85 *Sententia imperfecta: intelligitur* ex opibus summis voco te*; cf. Plautus mercat.* 111 ex summis opibus viribusque usque experire, nitere. *Cf. Androm.* 523 *ὦ πόσις πόσις εἴθε σὰν χεῖρα καὶ δόρυ σύμμαχον κτησαίμαν, Πριάμου παῖ. Troad.* 587 *eadem Androm. μόλοις, ὦ πόσις, μοι σᾶς δάμαρτος ἄλκαρ* 86—91 *Numeros constituit Bentleius, et creticos sive paeonas Cicero significavit ipse. Cf. in simili sententia creticos Palaestrae in Plauti rud.* 664 nunc id est cum omnium copiarum atque opum auxili praesidi viduitas nos tenet*; Pardaliscae in Casin.* 623 nescio unde auxili praesidi perfugi mi aut opum copiam comparem aut expetam *Ex Euripidis Andromacha conferri possunt* 397—404 87 fugae *Bentleius* 88 salva urbe atque arce *Caecilius* 146 *R.;* salva urbe arceque *in formula Paulus Festi p.* 82, 9 *Th.;* ad arcem urbemque retinendam *Cic. de div.* II 32, 69 88 accidam (*vel quod idem est* accedam, *cf.* 247) ad genua *scilicet* (*cf.* 375)

89 Cui nec arae patriae domi stant, fractae et disiectae iacent,
Fana flamma deflagrata, tosti al*ti* stant parietes
Deformati atque abiete crispa

92 O pater, o patria: o Priami domus,
Saeptum altisono cardine templum,
94 Vidi ego te adstantem ope barbarica

et *urbe orba sum.* quo *accedam* . . . *alii* stant (90) . . . abiete crispa (91)». scitis quae sequantur, et illa in primis «o pater (92) . . . *adstantem* . . . celatis *laqueatis* . . . *regificem* (96)». [45] o poetam egregium: quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur. sentit omnia repentina et necopinata esse graviora. exaggeratis igitur regiis opibus, quae videbantur sempiternae fore, quid adiungit? «haec (97) o. *vidi* i. *Priamo vi vitam evitari* . . *sanguinem* (sanguine corr. Par.) turpari (99)». [46] praeclarum carmen. est enim et rebus et verbis et modis lugubre.' Idem de orat. iii 47, 183 'est autem paean hic posterior non syllabarum numero sed aurium mensura . . . par fere cretico, qui est ex longa et brevi et longa «quid p. praesidi (praesidii) aut exequar quove nunc» (86).' Eadem Rufinus de num. G. L. K. vi p. 569, 13. Cicero de orat. iii 26, 102 'numquam agit hunc versum Roscius eo gestu quo potest «nam sapiens . . .» sed abiicit prorsus ut in proximos «et quid video . . .» incidat . . . quid ille alter? «quid petam praesidii» (86) quam leniter, quam remisse, quam non actuose. instat enim «o pater . . . domus» (92). in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta.' Servius in Aen. ii 241 'o patria (o divum domus Ilium . .): versus Ennianus.' sic solet Servius: quo de more loquendi vid. ad ann. i fr. vi. Cicero orat. 27, 93 'alio modo transtulit cum dixit Ennius «*arcem* et *urbem orbas* (arcent urbē orbā Abrinc.)» (88), alio modo, si pro patria arcem dixisset.' Idem de orat. iii 58, 217 'aliud vocis genus iracundia sibi sumat . . . aliud miseratio ac maeror, flexibile plenum interruptum flebili voce [276 sq.] et illa «o pater . . . domus» (92) et quae sequuntur (97) «haec o. *videt* i. *Priamo vitam evitaret* (evitari vel vitari integri)».' unde olim videi et evitarei scribendum coniiciebam. Idem Tusc. disp. i 35, 85 'Priamum . . . hostilis manus interemit. hic si vivis filiis incolumi regno occidisset «*astante* (94) . . . *laqueatis* (95)», utrum tandem a bonis an a malis

---

90 alti *olim corr.*: alii 91 abiete*: cf. Lachmannus ad Lucr.* ii 991*; anapaestos maluerunt alii, cf. archiv. lexicogr.* vii *p.* 598 92—99 *Liberiores anapaestos constituit Hermannus elem. doctr. metr. p.* 389 92 *Cf. Plauti Bacch.* 933 o Troia, o patria, o Pergamum, o Priame periisti senex 94 adstantem *putabam servari posse cum libris, quamquam Cicero ipse altero loco* astante ope barbarica *scripsit; illud si verum est, hoc dicit* vidi te (Priami domum) adstantem (*h. e.* stantem) opulentia Phrygia tectis caelatis, auro ebore instructam (*non* instructum)*;* ope barbarica *Vergilius Aen.* viii 685

95 Tectis caelatis laqueatis
Auro ebore instructam regifice.

97 Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
99 Iovis aram sanguine turpari.

VI

ANDROMACHA

100 Vidi, videre quod me passa aegerrume,
Hectorem curru quadriiugo raptarier

VII

ANDROMACHA

102 Quantis cum aerumnis illum exanclavi diem

discessisset? tum profecto videretur a bonis. at certe ei melius evenisset, nec tam flebiliter illa canerentur «haec (97) o. *vidi* inflamari *Priamo vi vitam evitari . . sanguine* turpari (99)».' Servius Danielin. in Aen. I 726 p. 203, 1 Thil. 'laquearibus . . . legitur et lacuaribus. Cicero Tusculanarum «tectis c. *lacuatis*» (95).' Cicero Tusc. disp. III 22, 53 'hi poterant omnes eadem illa de antromacha deplorare «haec omnia *vidi*» (97), sed iam decantaverant fortasse.' Nonius p. 181, 2 'turpari a turpitudine. Cicero Tusculanarum lib. III (III Leid. m. pr.) «Iovis a. *sanguine* turpari» (99).' Cicero pro Sestio 57, 121 'iam illa quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paulo post in eadem fabula sunt acta «o pater» (92). me, me ille absentem ut patrem deplorandum putabat . . . quanto cum fletu de illis nostris incendiis ac ruinis . . . sic egit ut demonstrata pristina fortuna cum se convertisset «haec omnia *vidi* inflammari» (97) fletum etiam inimicis atque invidis excitaret.' Cf. Ribb. quaest. scen. p. 328 sq.

VI (100) Cicero Tusc. disp. I 44, 105 'sed plena errorum sunt omnia. trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum et sentire credo putat. ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi videtur. at illa sicut acerbissimam rem maeret «vidi . . . haectorem curru (curro Gud. Par.) q. raptarier». quem Hectorem, aut quam diu ille erit Hector? melius Accius . . [667 R.].' Cf. ad 82.

VII (102) Nonius p. 292, 8 'exanclare etiam significat perpeti. Ennius *andromache malo torquantis* (vel torquentis h. e. ut Quicheratus intellexit Andromache aechmaloto «quantis) cum erumnis . . diem (illum ex. eum diem pauci)».'

---

96 regifice *olim corr.*: regificem 101 *Cf. ad* 82 *adscripta et Androm.* 399 *ἥτις σφαγὰς μὲν Ἕκτορος τροχηλάτους κατεῖδον κτλ; ibid.* 107 *sq.*

VIII

103 Quid fit? seditio tabe*t*ne an numer*o*s augificat suos?

IX

104 Sed quasi aut ferrum aut lapis durat, rarenter gemitum conatur tra*h*e*ns*

X

105 Andromachae nomen qui indidit, recte ei indidit.

XI

106 Nam neque irati neque blandi qui*c*quam sincere sonunt.

VIII (103) Nonius p. 76, 2 'augificat auget. Ennius Andromacha (andromaca) «quid . . *tabesne* an *numerus* a. suos».'

IX (104) Nonius p. 515, 26 'rarenter . . . Ennius Andromacha «sed quasi aut (a u t om. Wolf. Bamb.) ferrum . . . conatur *trabem*».' De 'rarenter' cf. Gellius II 25, 8. Charisius II p. 217, 14 K.

X (105) Varro de l. L. VII 82 'apud Ennium «Andromachae . . . *recte ei* indidit». item [53]. imitari dum voluit Euripidem et ponere *ἔτυμον* est lapsus; nam Euripides quod Graeca posuit *ἔτυμα* sunt aperta. ille ait ideo nomen additum Andromachae quod *ἀνδρὶ μάχεται*; hoc Ennii quis potest intelligere [in] versum significare «Andromachae nomen qui indidit *recte* indidit» aut' eqs. Versus Graecus in Euripidea tragoedia non extat. Ennius tamen dubitari non potest quin sensum nominis tenore sententiarum declaraverit: qui tenor qualis fuerit vel nunc aliquo modo ex fr. VIII. IX. X. XI dispicitur. s e d i t i o n e m enim (VIII) intelligo non civium sed eam quam Terentius dicit Andr. 830 'filiam ut darem in seditionem atque in incertas nuptias'; et Andromacha captiva tot clades perpessa nihil indignius habuit quam post Hectorem alii viro in coniugium dari: ita loquitur Troad. 658 *ἐπεὶ γὰρ ᾑρέθην, Ἀχιλλέως με παῖς ἐβουλήθη λαβεῖν δάμαρτα· δουλεύσω δ' ἐν αὐθεντῶν δόμοις. κεὶ μὲν παρώσασ' Ἕκτορος φίλον κάρα πρὸς τὸν παρόντα πόσιν ἀναπτύξω φρένα, κακὴ φανοῦμαι τῷ θανόντι· τόνδε δ' αὖ στυγοῦσ' ἐμαυτῆς δεσπόταις μισήσομαι. καίτοι λέγουσιν ὡς μί' εὐφρόνη χαλᾷ τὸ δυσμενὲς γυναικὸς εἰς ἀνδρὸς λέχος· ἀπέπτυσ' αὐτήν, ἥτις ἄνδρα τὸν πάρος καινοῖσι λέκτροις ἀποβαλοῦσ' ἄλλον φιλεῖ*, et 673 sqq. nec hoc alienum ab Andromacha Eurip., cf. 38. 111. 112. al.

XI (106) Nonius p. 505, 9 'sonunt etiam inde manavit. Ennius andromace *ethemapotidc* (a e c h m a l o t i d e Rothius) «nam . . . *quiquam* s. sonunt».'

---

103 tabetne *Lipsius*: tabesne numeros *edd.*: numerus 104 conatu trahens *Lipsius* *Versum licet in duos distribuere* (*a* durat)*, quod plerisque praefertur, ego malui pentametrum trochaicum describere, cf. ad* 130 106 quicquam *olim corr.*: quiquam

XII

107 Acherusia templa alta Orci
Salvete infera
109 Pallida leti nubila tenebris
Loca

XIII

111 D*icere*

ANDROMEDA

I

ANDROMEDA *SAXO VINCTA*

112 quae cava caeli

XII (107) Varro de l. L. vii 6 'in caelo templum dicitur ut in Hecuba [iii]; in terra ut in Periboea [Pacuv. 310 R.]; sub terra ut in Andromacha «Acherusia t. a. *Orci salvete infera*».' Cicero Tusc. disp. i 21, 48 'quae est anus tam delira quae timeat ista, quae vos videlicet, si physica non didicissetis, timeretis «Acherunsia t. a. *Orci pallida leti onubila* (leto nubila Brux. et e corr. Vat. leti nubila dett.) t. loca».'

XIII (111) Paulus Festi p. 425, 5 Th. 'summussi murmuratores. Naevius (trag. 60 R.) «odi» inquit «summussos, proinde aperte dice quid sit». Terentius (Iuventius Lindemannus) mussare pro tacere posuit cum ait «sile cela occulta tege tace mussa».' Festus '— ussi dicebantur | — — Naevius «odi» inquit | «— — inde aperte dice | — — times». Ennius in sexto [vii] | «— — ntus in occulto mussa | — — s in Andromacha «di | — — n est; nam mussare si | — — s in Agnorizomene (Iuventius 1 R.) «quod potes sile cela oc — tege | tace mussa mane».'

ANDROMEDA I (112) Varro de l. L. v 19 'omnino ego magis puto a chao choum (chovum) et hinc caelum . . . . itaque dicit *androma noctique*

107—110 *Anapaestos descripsi ad mentem Bergkii; primi duo, qui senarium efficiunt, hoc ordine quo habet Varro retinendi sunt: nam Cicero* salvete infera *suo loco ferre non potuit;* pallida leti *coniungi poterat, velut* deformem leti *Silius Ital.* i 166 *et similia Ovidius, sed probabilius* pallida leti loca, *ut* Tartara leti *apud Lucretium* iii 42 *dicuntur; cf. relat. acad. a.* 1896 *p.* 718 *Verba ipsa poterant Andromachae esse quae in cognomini quidem fabula cum ei una cum filio Molotto mors impendet ita loquitur* 413 *ὡς σὺ μὴ θάνῃς στείχω πρὸς Ἅιδην et* 501 *χέρας αἱματηρὰς βρόχοισι κεκλῃμένα πέμπομαι κατὰ γαίας* 111 Dicere *cum Ursino O. Muellerus: cetera supplementa incertissima* 112 *Principium Andromedae Euripidis, quod Ennius interpretatur, Aristophanes* (*thesmoph.* 1065 *sqq.*) *servavit* (*fr.* 114 *Nauck.* ii) ὦ νὺξ ἱερά, ὡς μακρὸν

113 Signitenentibus conficis bigis

II

NUNTII DE INTEREMPTA FERA NARRATIO II—VI

114 Corpus contemplatur unde corporaret vulnere

III

115 Scrupeo investita saxo atque ostreis *s*quamae *s*cabrent

IV

116 rursus prorsus reciprocat fluctus, feram

(Andromeda Nocti «quae Scaliger) cava . . . bigis». et Agamemno [215] . . . et Ennius item ad cavationem [381].'

II (114) Nonius p. 20, 22 'corporare est interficere et quasi corpus solum sine anima relinquere. Ennius Andromeda «corpus . . . vulnere».' Cf. C. Gl. L. VI p. 279.

III (115) Nonius p. 169, 22 'scapres pro scabres (scabres pro scabra es corr. Quicheratus) Ennius Andromeda «scrupeo (screpeo) . . . ostreis *quam excrabrent* (excrebent Flor. m. pr.)». Pacuvius Teucro (314 R.) «quae desiderio alumnum penitudine squales scabresque inculta vastitudine».' Paulus Festi p. 495, 4 Th. 'scrupi dicuntur aspera saxa et difficilia attrectatu, unde scrupulosam rem dicimus quae aliquid in se habet asperi.' Festus '— — | saxa et difficili — — | ri insuetae, au(t) — — | lere Ennius in an — — | tita *saxa* atque hos — — | unde scrupulosam — — | in se asper(i).' Cf. C. Gl. L. VII p. 245.

IV (116) Nonius p. 165, 11 'riscus loca in parietibus angusta. Terentius eunucho (754) «in risco odiosa cessas». (Reciprocare . . . lemma add.

ἵππευμα διώκεις ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ' αἰθέρος ἱερᾶς τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου, unde Ennii quoque verbis sacra Nox *praemissum fuisse colligas cum Buechelero (prooem. Bonn.* 1877 *p.* 4 *sq.) qui affert Cael. Aurel. morb. chron.* I 4, 60 maiora vulgus sacra vocavit. inde sacrum dictum mare et sacra domus, velut tragicus poeta sacram noctem h. e. magnam appellavit 113 Signitenentibus *interpretatur Hauptius opp.* III *p.* 318 *De bigis Noctis C. Robertus Herm.* XIX *p.* 468

115 squamae scabrent *Mercerus*: quam excrabrent 116 fera *Bergkius; sed parum apte dici videtur* fera reciprocare fluctus*; immo aut* mare fluctūs reciprocat *aut* fluctus reciprocat*; quare* feram *teneo et sic supplendam sententiam suspicor* r. p. reciprocat fluctus, feram nunc in terra linquens, mox recipiens mari. *Cf. Eurip. Hecub.* 28 *κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ πολλοῖς διαύλοις κυμάτων φορούμενος. Quae Ribbeckius (trag. Rom. p.* 169) *in Bergkii quam sequitur sententiam affert, quibus addere licet etiam Lycophron. Alexandr.* 473 *sqq. (de Hesiona) τῷ πᾶσαν ἅλμῃ πηλοποιοῦντι χθόνα, ὅταν κλύδωνας ἐξερεύγηται γνάθων κτλ aut Senec. ad Marc.* 18, 7 animalia quaedam haurientia undas et magno praenavigantium periculo efflantia. *ea omnia mihi videntur a* reciprocando *et ab illa oratione esse aliena*

V

117 Circum sese urvat, ad pedes a terra quadringentos caput

VI

118 alia fluctus differt dissupat
Visceratim membra, maria salsa spumant sanguine

VII

ANDROMEDA PERSEO

120 Liberum quaesendum causa familiae matrem tuae

Iunius et Mercerus) «reciproca animam inquam odiose». Ennius Andromeda «rursus (r u s s u s Harl. m. pr. r i s s u s vel r i s c u s alii) prorsus r. *fructus* feram».' Idem p. 384, 33 'rursus retro . . . Varro andabatis (IV B.) «mortales multi rursus ac prorsus meant». Ennius Andromeda «rursus prorsus r. *fluctus* feram».'

V (117) Festus ex apogr. l. XX p. 570, 29 Th. 'urvat Ennius in Andromeda. significat circumdat ab eo sulco qui fit in urbe condenda urvo aratri, quae sit (f i t) forma simillima uncini curvatione buris et dentis cui praefigitur vomer. ait autem «circum sese urvat ad pedes a terra quadringentos caput».' Sic haec Mommsenus in actis acad. a. 1864 p. 82 ex suis apographis edidit; et versus unus est et recte scriptus, sed sententia obscura, quamquam ad feram interemptam pertinere credas.

VI (118) Nonius p. 183, 17 'visceratim (p e r v i s c e r a add. nonnulli). Ennius Andromeda «alia . . . sanguine».' Cf. C. Gl. L. V p. 489, 61.

VII (120) Festus p. 346, 19 Th. 'quaeso ut significat idem quod rogo, ita quaesere ponitur ab antiquis pro quaerere ut est apud Ennium l. II [XXII] et in Chresponte [II] et in *andromedo aliberum* (A n d r o m e d a «l i b e r u m Ursinus) *quę scđm* (h. e. q u a e s e c u n d u m, natum ex q u a e s u n d u m putat Plasbergius) causa . . tuae».' Paulus 'quaeso significat id quod rogo. quaesere tamen Ennius pro quaerere posuit.' Haec Andromedae esse putavi, quibus illa Perseum cupit confirmare, se eam ducere velle liberorum quaerendorum causa. Cui VIII opinor Perseum respondere ut se hoc ita vere velle iuret ut illi ('so wahr') Trivia stirpem liberorum dederit. De dicendi formula cf. 129 et Varro apud Macrobium Sat. I 16, 18 'uxorem liberum quaerendorum causa ducere religiosum est.' Gellius IV 3, 2 (de Carvilio Ruga) 'iurare a censoribus coactus erat uxorem se liberum quaerundum gratia habiturum.' ibid. XVII 21, 44. Apud Graecos Andromacha de se (Eurip. Andromach. 4) *δάμαρ δοθεῖσα παιδοποιὸς Ἕκτορι*, et propius Menander inc. CLXXXV Mein. (720 Kock.) *παίδων ἐπ' ἀρότῳ γνησίων δίδωμί σοι 'γὼ τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα* (cf. papyr. Oxyrhynch. p. II 211, 38. Apuleius apolog. 88, Spengelius mus. Rhen. XVI p. 33). Unde tamen caveas ne Enniana quoque patri potius attribuenda credas. Cf. Eur. Andromed. fr. 132 Nauck. II *ἄγου δέ μ' ὦ ξεῖν' εἴτε πρόσπολον θέλεις εἴτ' ἄλοχον εἴτε δμωίδα*, nisi quod Enniana Andromeda illud unum exposcit. (Eiusdem fr. 141 quod dubium est et obscurum nihil videtur quod

---

119 salso *Scriverius, cf.* 132 *et trag. inc.* 77 *R.* 120 quaesendum *olim corr., cf.* 129

VIII

PERSEUS ANDROMEDAE

121 Ut tibi Titanis Trivia dederit stirpem liberum

IX

ANDROMEDA MATRI

122 Filiis propter te obiecta sum innocens Nerei

ATHAMAS

123 *H*is erat in ore Bromius, his Bacchus pater,
Illis L*y*aeus vitis inventor sacrae:
Tum pariter euhan *euhoe euhoe* euhium

ad hanc rem pertineat offerre.) Propertiana Tarpeia 'si posces pariamne tua regina sub aula, dos tibi . . . si minus . . me rape' quae vereor ut Rothsteinius recte tractaverit.

VIII (121) Varro de l. L. vii 16 'Ennius «ut tibi . . . liberum». Titanis Trivia Diana est, ab eo dicta Trivia quod in trivio ponitur fere in oppidis Graecis vel quod Luna dicitur esse quae in caelo tribus viis movetur, in altitudinem et latitudinem et longitudinem. Titanis dicta quod' eqs. Ad Andromedam rettuli, Medeae adscriptum ab O. Muellero et Ribbeckio parum probabiliter; nam quae Medea Aegeo dicit 714 *οὕτως ἔρως σοι πρὸς θεῶν τελεσφόρος γένοιτο παίδων*, subiectis praesertim vv. 717 sq. a verbis Ennianis puto abhorrent: haec autem non videntur nisi mulieri partum cupienti recte dici.

IX (122) Priscianus vii p. 293, 13 H. 'his natabus filiabus deabus equabus . . . M. Cato in originibus «dotes filiabus suis non dant». et filiis tamen in eodem genere dictum est. Ennius in Andromeda «filiis . . . Nerei» id est Nerei filiabus. Plautus in Sticho (567) «ego ibo intro et gratulabor vestrum adventum filiis» pro filiabus. idem (inc. liii Leon.) «qui talis est de gnatabus suis». natis tamen pro natabus Ovidius posuit in xiii metamorphoseon (661) «Euboea duabus, et totidem natis Andros fraterna petita est».' Verba natis tamen pro natabus suo loco reposui quae supra post id est inserta turbas crearunt.

ATHAMAS (123) Charisius ii p. 241, 6 K. 'euhoe Maro vii (389) «euhoe Bacche fremens, solum te virgine dignum vociferans». Ennius in Athamante «*is* erat . . . *lisęus* . . pariter *euhan euhium* ignotus . . . *insultas* modo».' Quae iniuria olim ab Ennio abiudicata sunt.

---

122 senis *addas vel* ferae*; intelligo autem* filiis Nerei (*h. e.* in gratiam Nereidum, *d. N. zu liebe*) propter te obiecta sum ferae, *velut Senec. Troad.* 248 *sq.* tuam natam parens Helenae immolasti (*de Agamemnone*); a filiis *cum Buechelero Ribbeckius* 123 His erat *Fabricius* 124 Lyaeus *ed. princ.* 125 euhoe euhoe *addidit Fabricius* *De scriptura* euhan euhium *Lachmannus ad Lucr.* v 743*; Graeci* εὐὰν

126 Ignotus iuvenum coetus alterna vice
Inibat, alacris Bacchico insulta*n*s modo.

CRESPHONTES

I

128 An inter se sortiunt urbem atque agros

II

MEROPA

129 Ducit me uxorem liberorum sibi quaesendum gratia.

III

MEROPA

130 O pie*tas*, eam secum advocant, eunt ad fontem, nitidant corpora

CRESPHONTES Huius tragoediae versus superstites post Wecklinum ('Über den Kresphontes des Euripides' 1880) disceptavi in prooemio 1888/89 p. 17 sqq.

I (128) Nonius p. 471, 9 'sortirent pro sortirentur Varro rerum humanarum lib. xx «cum venerint censores inter se sortiant». Moderant pro moderantur Pacuvius . . . Sortiunt Ennius cresfonte «an inter se . . . agros».'

II (129) Festus p. 346, 17 Th. 'quaeso ut significat idem quod rogo, ita quaesere ponitur ab antiquis pro quaerere, ut est apud Ennium l. II [XXII] et in chresponte «ducit . . . quę sendum gratia» et in Andromeda [VII].' Paulus 'quaeso significat id quod rogo. quaesere tamen Ennius pro quaerere posuit.'

III (130) Nonius p. 144, 14 'nitidant abluunt, dictum a nitore. Ennius cresponte «*o pie* eam . . . ad fontem (Harl. Escur., e corr. Flor. fortem ceteri) n. corpora».'

εὐοῖ vel εὐοῖ εὐάν; cf. Eurip. Troad. 325 *et schol.; schol. Phoen.* 656 *γυναιξὶν εὐίοις . . τὸ εὐοῖ εὐάν ἐπιφθεγγομέναις; Bacch.* 157 *εὔια τὸν εὔιον ἀγαλλόμεναι θεόν et saepe Εὔιος vel εὔιος θεός in hac fabula. quare Fabricii supplementa satis certa nec hiatu in hoc genere impediantur*
126 Ignotus *non intelligo et putabam* (*Herm.* XII *p.* 399 *sq.*) Unosus *h. e.* universus, *de qua voce dixi ad ann.* 240: *quod sententiae convenit, si quidem hoc dicit* primum singulos varie, hos Bromium, illos Bacchum patrem, alios Lyaeum cantu celebrasse, tum pariter universum iuvenum chorum (nunc pariter ambo *Plaut. Stich.* 772) alterna vice (*h. e.* διάδοχα *in simili cantu Eurip. Androm.* 1201; *Troad.* 1307) Euhan Euhium inter saltandum concinuisse. *Cf. Apollon. Rhod.* IV 1196—1199; *Il.* XVIII 569—572   127 Inibat *h. e.* ἐξῆρχε (*Il.* XVIII 316), *et* inibat Euhium *dicitur ut* τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται *apud Aristophanem: cf. Hauptius opp.* III *p.* 271   insultans *ed. princ.*   *Ceterum* alacris insultans *coniungitur, ut apud Livium* XXI 42, 3 alacer . . exultans   128 inter sese *Vossius; putabam* An iterum inter se   129 Duxit *Scriverius*   130 O pietas

IV

MEROPA

131 Neque terram iniicere neque cruenta convestire *corpora*
Mihi licuit neque miserae lavere lacrimae salsum sanguinem.

V

CRESPHONTES POLYPHONTI

133 Aud*i* atque auditis hostimentum adiungito.

VI

CRESPHONTES MEROPAE

134 Ego *meae cum* vitae parcam, letum inimico deprecer.

Quae praeterea ad hanc tragoediam relata sunt, ex rhet. ad Herennium II 24, 38 et II 25, 39, ea aut non ad Ennium aut non ad hanc fabulam pertinere Wecklinus probavit.

ERECHTHEUS

I

PRAXITHEA

135 ut *n*os nostri liberi
Defendant, pro *n*ostra vita morti occumbant obviam

IV (131) Macrobius Sat. VI 2, 21 'nec te tua funera mater produxi pressive oculos aut vulnera lavi (Aen. IX 484). Ennius in Cresphonte (cresi phonte Par. cressiphonte alii) «neque t. inicere . . . *mihi corpora* . . . salsum (om. Par.) sanguinem».'

V (133) Festus p. 370, 27 Th. 'redhostire referre gratiam. Naevius [praet. 6 R.] et Accius [92 R.]. nam et hostię (hostire Paulus) pro aequare posuerunt. Ennius in chresponte «*audis* . . . adiungito» et in Hectoris lytris [x] et Pacuius [346 R.].' Cf. Paulus Festi p. 73, 6 Th. 'hostimentum beneficii pensatio.' C. Gl. L. VI p. 529.

VI (134) Gellius VII 16, 9 'Q. Ennius in Erechtheo non longe secus dixit quam Catullus [II]: signat abigo et amolior vel prece adhibita vel quo alio modo. [10] item Ennius in cresfonte «ego *cum meae* . . . depcer».'

ERECHTHEUS I (135) Servius Danielin. in Aen. II 62 p. 226, 16 Thil. 'oc-

---

scripsi et pentametrum trochaicum descripsi, de quo genere l. s. c. dixi: cf. 12. 104. 177. 184. 186 131 *sq.* corpora Mihi *Bothius* 132 miserae, nec *Vossius* 133 Audi *Scaliger*: audis 134 meae cum *Bothius* *In contrariam partem Eurypylus disputat* 167 qui alteri exitium parat, eum scire oportet sibi paratum pestem ut participet parem. *Ita qui suae vitae parcit, parcet alienae nec inimico letum offerre poterit* 135 nos nostri (*hoc cum cod. Cassel.*) *et* 136 nostra *Ribbeckius proposuit idemque repudiavit prae librorum scriptura*

II

PRAXITHEA

137 Cui nunc aerumna mea libertatem paro,
Quibus servitutem mea miseria deprecor

III

139 Lapideo sunt corde multi quos non miseret neminis

IV

140 Arma arrigunt, horrescunt tela

EUMENIDES

I

APOLLO

141 Unde sibi populi et reges consilium expetunt
Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex

cumbere morti novae locutionis figura et penitus remota. Ennius «ut *vos* nostri (v e s t r i corr. Cassel.) . . . *vostra* . . . obviam».' Praxitheae haec verba esse, quae Graece dicat fr. 360 v. 14. 15 (Nauck. II) τέκνα τοῦδ' ἕκατι τίκτομεν, ὡς θεῶν τε βωμοὺς πατρίδα τε ῥυώμεθα, non fugit Ribbeckium; quamquam aliter statuit (trag. Rom. p. 185).

II (137) Gellius VII 16, 9 'Q. Ennius in erictheo non longe secus dixit quam Catullus (92, 3) «*qui* nunc» inquit «*erumpna ea libertatem paro* q. s. *mea miseria* deprecor». signat abigo et amolior vel prece adhibita vel quo alio modo.[10] item Ennius in Cresphonte [VI].' Nonius p. 290, 17 'deprecor amolior depello propulso. M. Tullius de re publica lib. VI [2, 2]. Ennius *eripiteo* (e r e p i t e o) «*cui* n. *erumnam ea libertate para* quibus s. *meam miseriam* (m i s e r i a pauci) deprecor».'

III (139) Paulus Festi p. 161, 14 Th. 'neminis genetivo casu *Cato* usus est cum dixit «sunt *multi corde* . . . neminis».' Festus 'neminis | — — et quis diceret cum sit | — — vitio creatis. neminisque | — — *us* erectheo «lapideo sunt | *corde multi* . . . neminis».'

IV (140) Macrobius Sat. VI 4, 6 'tum ferreus hastis horret ager (Aen. XI 601). horret mire se habet; sed et Ennius in quarto decimo [VII] et in Erechtheo (e r e c t e o Par.) «arma . . tela».'

EUMENIDES I (141) Cicero de orat. I 45, 199 'quid est enim praeclarius quam honoribus et rei publicae muneribus perfunctum senem posse suo

---

137. 138 Cui *et* Quibus *puto recte traditum est:* patriam *enim et* cives *appellat Praxithea: cf. Eurip. fr.* 360, 50 *Nauck.* II χρῆσθ', ὦ πολῖται, τοῖς ἐμοῖς λοχεύμασιν ... ὦ πατρὶς κτλ 142 *sq. Loquendi genus* ex incertis certos *et* ex *praepositionem extremo versu positam vindicare studui in relat. acad. a.* 1888 *p.* 42 *sq.* ope mea *Reisigius coni. in Aristoph. p.* 71

143 Incertis certos compotesque consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

II

ORESTES

145 Tacere opino esse optumum, et pro viribus
Sapere atque fabulari tute noveris

III

ORESTES

147 Nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem

iure dicere idem quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum «unde sibi» si non «populi et reges» at omnes sui cives «consilium expetant», «suarum (suarum summarum integri plerique, mutili desunt) . . . ego mea ope ex incertis c. compotesque (que om. integri paene omnes deficientibus mutilis) . . . turbidas». [200] est enim sine dubio domus iuris consulti totius oraculum civitatis.' Ad Eumenides Aeschyli sed ad vv. 604 sqq. K. haec rettulit Ribbeckius: quae mihi magis videntur Cicerone non renuente ad describendum oraculum (*χρηστήριον*) pertinere, unde sibi populi et reges consilium expetunt, a quo Apollo Erinyas facessere iubet 177 *ἔξω κελεύω τῶνδε δωμάτων χωρεῖτ', ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μυχῶν*; 183 *οὔτοι δόμοισι τοῖσδε χρίμπτεσθαι πρέπει*; 192 *οὐ χρηστηρίοις ἐν τοῖσδε πλησίοις τρίβεσθαι μύσος*: cuius aedis naturam Ennius non inepte paulo pluribus invitante etiam contrariorum ratione exsecutus est. Ceterum Ennii Eumenides ex Aeschyli tragoedia expressas Scaliger dixit coniect. in Varr. de l. L. p. 134, quamquam in singulis aberravit.

II (145) Nonius p. 475, 3 'opino pro opinor. Plautus Bacch. [12 L.]. Pacuvius Chryse (101 R.) «inveni opino esse optumum Orestes ut heres sed tamen». Ennius Eumenidibus «tacere opino esse optumum (optutum Wolf.) et . . . noveris».'

III (147) Nonius p. 292, 15 'exanclare effundere. Ennius Eumenidibus «nisi . . . ulciscerem».'

---

145 *sq. Haec ut tradita sunt sic recte scribi arbitror; quae redeunt non ad Aesch.* 561, *sed ad ea quae secum deliberat Orestes v.* 272 *sqq. ἐγὼ διδαχθεὶς ἐν κακοῖς ἐπίσταμαι πολλοὺς καθαρμούς, καὶ λέγειν ὅπου δίκη σιγᾶν θ' ὁμοίως· ἐν δὲ τῷδε πράγματι φωνεῖν ἐτάχθην πρὸς σοφοῦ διδασκάλου: cf. schol. ad* 272 *et v.* 444 *sq. itaque Enniana sic interpretor* qua sum condicione tacere optumum esse censeo, et hoc si feceris, sapere pro viribus (*εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα*) et fabulari tute (*ἀσφαλῶς*) noveris: sed in hac causa iam mihi loquendum est, ut didici. sapere atque fabulari *coniungit ut Horatius* qui sapere et fari possit quae sentiat 147 *Accuratius expressum ex* 462 *Λοξίας . . . ἄλγη προφωνῶν ἀντίκεντρα καρδίᾳ, εἰ μή τι τῶνδ' ἔρξαιμι τοὺς ἐπαιτίους*

IV

APOLLO

148 Id ego *ius atque aecum* fecisse expedibo atque eloquar

V

MINERVA

149 dico vicisse Orest*em*: vos ab hoc facessit*e*

VI

150 Areopagitae quid dedere quam pudam

VII

151 Caelum nitescere, arbores frondescere,
Vites laetificae pampinis pubescere,

IV (148) Nonius p. 505, 18 'expedibo pro expediam. Pacuvius (66 R.) «.. expedibo». Accius .. (490 R.) «cuncta expedibo ...» ... Ennius Eumenidibus «id ego *aecum accius* fecisse .. eloquar».'

V (149) Nonius p. 306, 28 'facessere significat recedere. Ennius Eumenidibus «dico v. *Oresten* (orestenn) v. ab hoc *facessit*». Titinius ..' Cf. C. Gl. L. v p. xvi et vi p. 429.

VI (150) Varro de l. L. vii 19 'Ennii «Areopagitae ... pudam». Areopagitae ab Areopago; is locus (Laetus his locis Flor.) Athenis.' Eumenidibus ascripsit Scaliger, quamquam ex v. 680 *ἐπώνυμος πέτρα πάγος τ' Ἄρειος* quam duxit scripturam stare non potest.

VII (151) Cicero Tusc. disp. i 28, 68 'cum videmus ... tum globum terrae eminentem e mari ... duabus oris distantibus habitabilem et cultum, quarum altera, quam nos incolimus, «sub axe posita ...», altera australis .. quam vocant Graeci *ἀντίχθονα*, [69] ceteras partes incultas quod aut frigore rigeant aut urantur calore: hic autem, ubi habitamus, non intermittit (intermitti?) suo tempore «caelum ... laetificae (laetificare Par.) ... *ubertate incurvescere* ... convestirier» (155).' Idem de orat. iii 38, 154 'novantur

---

148 ac ius *olim correctum; quod ita tenui ut transponerem* id ego ius atque aecum fecisse*; cf.* 189 *et prooem.* 1888/89 *p.* 7 *sq. Hunc imperfectum versum mavult Plasbergius* .. íd ego aecum ac ius fecisse *Ennii verbis Apollo videtur Oreste petente* 599 *ἐξηγοῦ δέ μοι Ἄπολλον, εἴ σφε σὺν δίκῃ κατέκτανον initium facere defensionis a v.* 604 *explanatae*

149 Dico ego *Scaliger* Ego dico *Auratus* Edico *L. Muellerus. Cf. Terentius eun.* 962 dico edico vobis, nostrum esse illum Orestem *ed. princ.* facessite *olim corr.* 150 Areopagitae quia (qui *cum Vind. A. Spengelius*) dedere aequam pilam *Ribbeckius, qui huic v.* 149 *subiecit et ambos refert ad Aeschyli v.* 742 *sq. ΑΘ. ἀνὴρ ὅδ' ἐκπέφευγεν αἵματος δίκην· ἴσον γάρ ἐστι τἀρίθμημα τῶν πάλων.* Areopagitae, quid dedere! quam palam (parum)! *Lachmannus haec illudentium esse Eumenidum ratus; quae si sunt Eumenidum, ut videtur, possis* Areopagitae, quid dedere, quam tubam? (*h. e. signum tubae, cf. Aesch.* 557 *sqq. Eur. Troad.* 1266 *sq.*)

153 Rami bacarum ubertate incurvescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata convestirier.

HECTORIS LYTRA

I

156 Quid hoc híc clamoris, quid tumulti est? nomen qui usurpat meum?
Quid in castris strepiti est?

II

158 Hector *v*i summa armatos educit [in] foras
Castrisque castra ultro iam *con*ferre occupat

autem verba, quae ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt vel coniungendis verbis ... sed saepe vel sine coniunctione verba novantur, ut ... «bacarum (vacarum) *ubertate incurvescere* (incurbescere Abrinc. incurvascere Harl.)» (153).' Nonius p. 122, 17 '*incurviscere* Cicero de oratore lib. III «ut baccarum *ubertatem incurviscere*». ita et Tusculanis lib. I.' Haec Enniana esse de Eumenid. Hermannus intellexit ad Aeschyl. Eum. 894, quibus praemisit de Ciceronis verbis suo non intermittat tempore. In Aeschyli fabula Eumenidum choro roganti (884) *τί οὖν μ' ἄνωγας τῇδ' ἐφυμνῆσαι χθονί*; Minerva (885 sqq.) ita respondet *ὁποῖα νίκης μὴ κακῆς ἐπίσκοπα, καὶ ταῦτα γῆθεν ἔκ τε ποντίας δρόσου ἐξ οὐρανοῦ τε κἀνέμων ἀήματα εὐηλίως πνέοντ' ἐπιστείχειν χθόνα, καρπόν τε γαίας καὶ βοτῶν ἐπίρρυτον ἀστοῖσιν εὐθενοῦντα μὴ κάμνειν χρόνῳ καὶ τῶν βροτείων σπερμάτων σωτηρίαν*. cf. ibid. 903 sqq.

HECTORIS LYTRA (lytra sive lutra, non lustra dici Bergkius docuit) I (156) Nonius p. 489, 28 'tumulti Ennius haectoris lytris (lytris vel litris corr. lystris vel listris Harl. Leid. litris Par. lystris Wolf.) «quid .. clamoris quid (qui Bamb.) ... meum».' Idem p. 490, 7 'strepiti pro strepitus Ennius haectoris lytris (lystris libri praeter Bamb.) «quid in c. strepiti (strepitus Wolf.) est».' Duo fragmenta in unum coniunxit Hermannus, metrum prioris descripsit Bothius. Haec Agamemnonis esse pugnam parantis (Il. XI in.) potius quam quod crediderunt Achillis, probabile visum, et cum hoc strepitu in castris coniunctum fuisse nuntium allatum de Hectore fr. II (Il. XI 56 sqq.).

II (158) Nonius p. 355, 15 'occupare est proprie praevenire .... Accius Eurysace (380 R.) «quem ad modum impetum occupemus facere ultro in regem?» ..... Ennius haectoris listris «haector *ei* summa a. educit *in* foras ... iam *ferre* (fere Wolf.) occupat».'

---

156 quid hoc hic clamoris audio *Plautus trin.* 1093 158 Hector vi *Mercerus* educit foras *Iunius; ut solent veteres* exire, egredi, exportare, exambulare foras, *Graeci ἐξέλκειν ἐξέρπειν ἐκβάλλειν θύραζε* 159 conferre *Vossius, id quoque de more;* castra castris (*vel* castris

III

160 Nos quiescere aequum est? nomus ambo Ulixem

IV

EURYPYLUS

161 O Patricoles, ad vos adveniens auxilium et vestras manus
Peto priusquam oppeto malam pestem mandatam hostili manu,
Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere,
Si qui sapientia magis vestra mors devitari potest:
Namque Aesculapi liberorum saucii opplent porticus:
166 Non potest accedi.

PATRICOLES

certe Eurypylus hic quidem est: hominem exercitum!

III (160) Diomedes I p. 387, 30 K. ‘apud veteres pluraliter huius verbi (novi) instans colligitur, cum nomus dicunt pro eo quod est novimus (cf. Lachmannus ad Lucr. v 396), ita ut Ennius in lustris «nos . . . Ulixem».’ ambo Menelaus et Aiax dici (aliter Ribbeckius trag. Rom. p. 119) et haec ad Il. XI 463 sqq. referri videntur.

IV (161) Cicero Tusc. disp. II 16, 38 ‘quin etiam videmus ex acie efferri saepe saucios et quidem rudem illum et inexercitatum quamvis levi ictu ploratus turpissimos edere: at vero ille exercitatus et vetus ob eamque rem fortior medicum modo requirens a quo obligetur «o Patricoles (161)» inquit «ad . . . Aesculapii (165) . . . exercitum (166)».[17, 39] ubi tantum luctus continuatur (luctum continuatus codd., olim corr.), vide quam non flebiliter respondeat, rationem etiam adferat, cur aequo animo sibi ferendum sit. «qui (167) . . . sibi *paratam* . . parem (168)». abducet Patricoles credo ut conlocet in cubili (cubiculi, olim corr.), ut vulnus obliget. si quidem homo esset, sed nihil

---

castra) conferre, conlata *saepe Livius* (XXIII 28, 9; XXVII 27, 1) *aliique* iam ultro conferre *olim Ribbeckius, qui nunc* Troiani inferre occupant *cum Haveto edidit* 160 *Interrogandi signum addidit Ribbeckius, idem cum Buechelero et Fleckeiseno* Ulixeum, *senarium dimensus, de quo dubito* 165 *Cf. Il.* XVI 28 *τοὺς μέν τ᾽ ἰητροὶ πολυφάρμακοι ἀμφιπένονται, ἕλκε᾽ ἀκειόμενοι* 166 potis *Bothius* est *del. Tischerus; cf. Plaut. Amphitr.* 1075 Amphitruo hic quidem (est) erus meus; *mil. glor.* 1283 nauclerus hic quidem est; *most.* 1063 exercitum *i. e.* vexatum: *cf. Paulus Festi p.* 57, 4 *Th.* exercitus et militum copia dicitur et homo multis negotiis exercitus; *Cicero pro Planc.* 32, 78 sum non dicam miser (nam hoc quidem abhorret a virtute verbum) sed certe exercitus (*geplagt*)

Post haec, quae Patrocli sunt, plura praetermisit Cicero, ad quae tamen respicit cum scribit ubi tantum luctus continuatur (*πένθεος ὅσσον ὄρωρε κατὰ στρατόν Il.* XI 658) *a Patroclo scilicet, Eurypylum et Argivos deplorante, quemadmodum Il.* XI 814 *sqq. deplorat, τὸν δὲ ἰδὼν*

EURYPYLUS

167 qui alteri exitium parat,
Eum scire oportet sibi paratum pestem ut participet parem.

PATRICOLES

Eloquere eloquere, res Argivum proelio ut se sustinet.

EURYPYLUS

170 Non potest ecfari tantum dictis quantum factis suppetit
Laboris

172 Úbi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam

vidi minus (vidimus, olim corr.). quaerit enim quid actum sit. «eloquere eloquere (alterum del. Par.)... sustinet» (169). «non potest *haec fari* (ecfari Vat. m. pr.)... laboris» (170 sq.). quiesce igitur et volnus adliga. etiam si Eurypylus posset, non posset Aesopus. «ubi ... inclinatam» (172) et cetera explicat in dolore.' Idem orat. 46, 155 'itaque idem poeta qui inusitatius contraxerat «patris mei meum factum pudet» (59) pro meorum factorum et «texitur exitium examen rapit» (66) pro exitiorum, non dicit liberum ut plerique loquimur ... sed ut isti volunt «neque ... liberorum .. genus» (299) et idem (165) «namque Aesculapi (excola sequente trium litterarum spatio Abrinc.) liberorum». at ille alter in Chryse [Pacuv. 80 R.] ... [156] atqui dixit Accius ...' Haec de Eurypylo Enniana esse iisdem rationibus, quibus illa in Alexandro

---

ᾤκτειρε Μενοιτίου ἄλκιμος υἱός, καί ῥ᾽ ὀλοφυρόμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα· ἆ δειλοί, Δαναῶν ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, ὣς ἄρ᾽ ἐμέλλετε .. ἄσειν ἐν Τροίῃ ταχέας κύνας κτλ 168 paratum *Bentleius*: paratam 169 Eloquere eloquere*: de geminato imperativo quo nihil est veteribus familiarius et qui nunc egregie locum obtinet cf.* 28 incede incede *et quae in prooem.* 1887/88 *p.* 7 *sq. exposui; 'Rede nur, erzähl' erzähle, was sich Wunderlichs begeben' Goethius* 170 potis *Davisius* ecfari *habet ut videtur vim passivam, ut* effata *saepe, sed et* effari *apud Varronem de l. L.* VI 53 hinc effata dicuntur, ubi (qui *Flor. corr. Lachmannus*) augures finem auspiciorum caelestum extra urbem agris sunt effati ut esset; hinc effari templa dicuntur ab auguribus: effantur qui in his fines sunt 171 *Post* laboris *quae insequuntur, ex iis nihil ad Ennium quod pertineat effici potest: quibus Cicero Eurypylum appellat eumque si tantum dici non possit quantum factum sit* quiescere igitur *iubet* et volnus adligare*: si quidem hoc licuisset ei; sed is nihil curans volnus statim aggreditur rem gestam narrare* 172 Ubi fortuna *et cetera* explicat in dolore *h. e. vulnere non adligato* Hectóris*: vide Androm.* III dedit *add. Ribbeckius, quod probatur usu:* te mea dextera bello defensum dabit *Aen.* XII 437*;* illam tibi incensam dabo *Terentius Phorm.* 974*;* reddam impetratum *Plaut. mil. glor.* 1214*;* stratas legiones Latinorum dabo *Livius* VIII 6, 6

V

173 Quis ibi non est vulneratus ferro *B*rugio

VI

174 ferro foedati iacent

VII

175 Hector qui haud cessat obsidionem obducere

VIII

176 vi patefecerunt *B*ruges

viii, probatur; de fabula, olim Bergkius (opp. i p. 223) ea Achilli adscribi suasit, quem cum Ribbeckio secutus eram; postea Ribbeckius ipse intellexit haec rectius Hectoris lytris attribui, si quidem hanc tragoediam Patrocleam et quaecumque Patrocleam antecedebant inde ab *Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ* (Il. xi) usque ad solutum Hectoris corpus complexam esse ex certis indiciis cognoscitur.

V (173) Cicero pro Rosc. Am. 32, 89 'multos caesos non ad Trasimenum lacum sed ad Servilium vidimus. [90] «quis *ibi non est* v. f. *phrygio*?» non necesse est omnes commemorare.' Schol. Gronov. in h. l. p. 434, 1 Or. 'ferro *frugio*: in Ennio haec fabula inducitur, Achilles quo tempore (sic Ribb., ind. Achillis, quo t. vulg.) propter Briseidam cum Graecis pugnare noluit; quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. in hac pugna Ulixes vulneratus inducitur et fugiens (ad) Achillen venit. cum interrogaretur ab Aiace (Achille Bergkius prave) cur fugisset, ille ut celaret dedecus vitium «quis *enim* vulneratus ferro *frugio*». et quo tendit haec fabula? ...' Rectene haec schol. narraverit omnia, dubitatio est; sed ea maluimus ad Hectoris lytra cum Ribbeckio quam cum Bergkio ad Achillem referre. Cf. iii et Hygin. fab. 106.

VI (174) Servius Danielin. in Aen. iii 241 p. 384, 22 Thil. 'foedare cruentare. Ennius «ferro foedati iacent».' Quod cum v in eundem nuntii tenorem coniungi posse putavi coll. Il. xi 657 *οὐδέ τι οἶδεν* (*Ἀχιλεύς*) *πένθεος ὅσσον ὄρωρε κατὰ στρατόν· οἱ γὰρ ἄριστοι ἐν νηυσὶν κέαται βεβλημένοι οὐτάμενοί τε. βέβληται μὲν ὁ Τυδείδης ... οὔτασται δ' Ὀδυσεύς κτλ.* Cf. ibid. 825 sq. et xvi 23. Quod ad exemplum possis hariolando hunc plenum tetrametrum efficere 'optimi qui fuerant omnes ferro foedati iacent.'

VII (175) Festus ex apogr. l. xiv p. 234, 22 Th. 'obsidionem potius dicendum esse quam obsidium adiuvat nos testimonio suo Ennius in Telamone quom ait [v]. item alio loco «Hector ... obducere».' Ad hanc fabulam olim relatum, et conferri possunt ex Il. xii cum alia tum 88 *οἳ μὲν ἅμ' Ἕκτορ' ἴσαν καὶ ἀμύμονι Πουλυδάμαντι, οἳ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι ἔσαν, μέμασαν δὲ μάλιστα τεῖχος ῥηξάμενοι κοίλῃς ἐπὶ νηυσὶ μάχεσθαι.*

VIII (176) Cicero orat. 48, 160 'Burrum (purrum vel purrhum integri) semper Ennius, numquam Pyrrhum; «vi patefecerunt *fruges* (phruges Ottob. phry Abrinc.)», non Phryges: ipsius antiqui declarant libri.' Quin-

173 Brugio *Ennium nec* Phrygio *aut* Frugio *scripsisse testimonium est Ciceronis ad* viii *adscriptum* 176 Bruges *Victorius var. lect.* xiv 3

10*

IX

177 Át ego, ómnipotens, te exposco ut hoc consilium Achivis auxili*o* fuat

X

ACHILLES

178 Quae mea comminus machaera atque hasta hos*tibitis* manu

XI

ACHILLES

179 Qui cupiant dare arma Achilli, ut ips*i* cunctent?

XII

180 Saeviter fortuna ferro cernunt de victoria

tilianus I 4, 15 'b quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde Burrus et Bruges et Belena.' Cf. ad ann. 178. Portas patefactas intelligit Ribbeckius (trag. Rom. p. 121) coll. Il. XII 453 ὣς Ἕκτωρ ἰθὺς σανίδων φέρε λᾶαν ἀείρας αἵ ῥα πύλας εἴρυντο κτλ.

IX (177) Nonius p. 111, 14 'fuam sim vel fiam ..... Ennius haectoris lytris (litris vel listris) «at ego (a ego Flor. m. pr. Leid.) ... *auxilii* fuat».'

X (178) Festus p. 370, 29 Th. 'redhostire referre gratiam. Naevius [praet. 5 R.] et Accius [92 R.]. nam et hostię (hostire Paulus) pro aequare posuerunt. Ennius in Cresphonte [V] et *innectoris lyrisq'* (in Hectoris lytris «quae Ursinus) mea ... *hospius* manu» et Pacuius [346 R.].'

XI (179) Nonius p. 469, 26 'cunctant pro cunctantur. Accius [72 R.] Ennius Ambracia (III) «bene mones: tute ipse cunctato, vide fortem virum». idem hectoris (haectoris) lytris «qui ... ut *ipse* cunctent».'

XII (180) Nonius p. 511, 8 'saeviter pro saeve ... Ennius Phoenice [VI]. Afranius [301 R.]. Ennius haectoris lystris «saeviter ... victoria».'

---

177 *Pentametrum trochaicum descripsi cum Bergkio, cf. ad* 130; *sed nec in hiatu offendendum erat nec ad* omnipotens *requiritur quod addatur* (*cf. Aen.* IV 220; X 614); hoc consilium *scil. mittendi Patroclum armis Achillei armatum: cf. preces Achillei Il.* XVI 233 *sqq., quibus hae Patrocli adnecti poterant* auxilio *Vossius;* auxili *Ribbeckius* 178 hostivit (*vel* hostibit) e manu *Scaliger aliique; sed ego malui* hostibitis (*ex* hospius) manu Missa, *ut Achilles cuius haec sunt suam ipse machaeram* (mea machaera, *ut* mea fortuna 353) *et hastam appellet sive quam cum Patroclo misit sive* (*quod minus placet*) *novam a matre allatam. De* hasta manu missa *cf. Il.* XX 462 τὸν μὲν δουρὶ βαλών, τὸν δὲ σχεδὸν ἄορι τύψας; *ibid.* 378 179 ipsi *Iunius*: ipse *Sententiam et orationem, quae Achillis est, explicui et vindicavi prooem.* 1888/89 *p.* 5 *sq. coll. Il.* XVIII 192 ἄλλου δ' οὔ τευ οἶδα, τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω, εἰ μὴ Αἴαντός γε σάκος. ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὅδ', ἔλπομ', ἐνὶ πρώτοισιν ὁμιλεῖ κτλ *et Aeschyli Myrm. fr.* 140 (*Nauck.* II) ὅπλων ὅπλων δεῖ 180 fortunam

XIII

181 *Aes* sonit, franguntur hastae, terra sudat sanguine

XIV

182 Ecce autem caligo oborta est, omnem prospectum abstulit.
derepente contulit sese in pedes

XV

184 sublime iter quadrupedantes flammam halitantes

XIII (181) Nonius p. 504, 32 'sonit pro sonat . . . Ennius haectoris lystris «*et* sonit . . . sanguine».'

XIV (182) Nonius p. 518, 18 'derepente Turpilius . . . Ennius Phoenice [IX]. Afranius . . . . . . Ennius Hectoris (haectoris) lystris «ecce . . *aborta* (oborta Bamb.) est . . abstulit derepente c. sese (se sese Wolf.) in pedes (pede Bamb.)».' Ribbeckius haec ad Patrocli cladem Il. XVI a 790 narratam rettulit: sed caligo subito oborta in his partibus Il. saepius rem gerentibus impedimento fuisse narratur, Aiaci post Patrocli interitum XVII 644; Achilli cum Aenea certanti XX 321. 341; eidem Achilli Hectorem aggredienti XX 441 *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ἐμμεμαὼς ἐπόρουσε κατακτάμεναι μενεαίνων . . τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων . . . ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ. τρὶς μὲν ἔπειτ' ἐπόρουσε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς ἔγχει χαλκείῳ, τρὶς δ' ἠέρα τύψε βαθεῖαν*; et hinc fortasse cum quadam nimirum libertate sua duxit Ennius.

XV (184) Diomedes I p. 345, 3 K. 'halare et halitare (alare et alitare Par. A halere et halitare Mon. alere et alitare Par. B). Ennius in lustris «sublime iter (lublime iter Par. A sublime iter ut Par. B lublime item Mon.) quadrupedantes (tis Par. B) fl. halitantes (alitantes Par. B)».'

---

ferro *Ribbeckius* fortuna ferri *Columna.* fors et virtus miscentur in unum *Vergilius* (*Aen.* XII 714)*;* ferro atque audacia via fit *Livius* (XXII 50, 9)

181 Aes *Faber*: et *Cf. Il.* XX 494 *ῥέε δ' αἵματι γαῖα μέλαινα; et Ennii versus totam istam narrationem a v.* 455 *ad finem libri complecti potest* 183 *Ante* derepente *plura intercepta esse statuit Ribbeckius; fortasse satis est addi* abstulit. (Constitit: tū) derepente *De dicendi genere cf. Plautus Bacch.* 374 quae ut aspexi, me continuo contuli protinam in pedes*: unde noli colligere hanc comicam esse, a tragico stilo abhorrentem orationem* 184 *Pentametrum trochaicum agnoscere videor* (*cf. ad* 130)*, etsi dispescas* iter Quadruped.*, qui sic fere suppleatur* Sustinent sublime i. q. flammam halitantes igneam*; intelligo autem* (*cum Columna*) Solis equos*, cf. ann.* 600*; Euripid. Iphig. Aul.* 159 *λευκαίνει τόδε φῶς ἤδη λάμπουσ' ἠὼς πῦρ τε τεθρίππων τῶν Ἀελίου* sublime iter*: cf. Iphig.* II. *Versus cum* 185 *eundem in modum coniunctus videtur quo Scipion.* VI Sol equis iter repressit ungulis volantibus, Constitere amnes perennes, arbores vento vacant

XVI

185 Constitit credo Scamander, arbor*e*s vento va*c*ant

XVII

PRIAMUS

186 *P*er vos et vostrum imperium et fidem, Myrmidonum vigiles, conmiserescite.

XVIII

ACHILLES

187 tueor te senex? pro Iuppiter

XIX

188 Melius est virtute *i*us: nam saepe virtutem mali
Nanciscuntur: ius atque aecum se a malis spernit procul.

XX

190 duc et quadrupedum iugo: invitam doma:

XVI (185) Nonius p. 467, 31 'vagas pro vagaris . . . Ennius Hectoris (haectoris) lystris (litris Bamb.) «constitit . . *arboris* v. *vagant*».'

XVII (186) Nonius p. 472, 27 'conmiserescimus. Virgilius Aen. lib. II (145) «. . . et miserescimus ultro». Ennius Hectoris (haectori Bamb. ectoris Leid. Harl. m. pr.) lystris (listris Bamb.) «*ser vos* (uservos Bamb.) et vostrum (ūr̄orū Bamb.) . . . conmiserescite».'

XVIII (187) Varro de l. L. VII 12 'tueri duo significat, unum ab aspectu ut dixi, unde est enī (Ennii vel Enni olim corr.) illud «tueor . . . Iupiter» et [ann. 463].' Donatus in Ter. adelph. I 2, 31 'pro Iuppiter: tragica exclamatio.' Achilli tribuit Priamum aspicienti Ribbeckius.

XIX (188) Nonius p. 399, 8 'spernere rursum segregare. Ennius haectoris lystris (listris Wolf. lytris pr. m. Leid. et Par.) «melius e. virtute *eius* . . . nanciscum tur (ita m. pr. Leid. et Harl. nascuntur Wolf.) ius atque ecum (aecum Par. cum Leid.) . . . procul».'

XX (190) Nonius p. 407, 21 'tenacia est perseverantia et duritia. En-

---

185 arbores *olim corr.*: arboris vacant *Columna*: vagant 186 *Pentametrum trochaicum descripsi cum Bergkio; cf. ad* 130 Per vos *Palmerius*: ser vos vos et vostrum imperium *coniungi, ut* vos vostraque vulta *ann.* 464, *probavi prooem.* 1885/86 *p.* 14. *Ad* per vos et vostrum imperium conmiserescite *non* oro *vel* obsecro *desiderari usus docet, de quo Guil. Heraeus vind. Liv.* I (1889) *p.* 15*; denique* Myrmidonum vigiles *appellat Priamus, cuius haec verba sunt, quos Il.* XXIV 681 ἱεροὺς πυλαωρούς, *cf. ibid.* 444 188 ius *Gulielmius*: eius

189 a me segregant spernuntque se *Plautus capt.* 517*;* illas spernit segregat ab se *idem mil. gl.* 1232 190 *sqq. Haec initio et in fine manca sunt, ut saepe apud Nonium: praeterea depravatum fortasse*

191 Infréna et iu*n*ge, valida quorum *infrenari tenacia*
Minis

XXI

193 inferum vastos specus

HECUBA

I

POLYDORI UMBRA (3)

194 Cissei

nius haectoris listris (lystris, litris) «*ducet* ... et *iuge* .. *tenacia infrenari* minis».'

XXI (193) Nonius p. 222, 32 'specus genere masculino ... Ennius lytris «inferum v. specus».' Referunt ad Patrocli mortui querelam *αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄιδος δῶ* Il. xxiii 74; sed et Andromacha Hectorem lamentatur Il. xxii 482 *νῦν δὲ σὺ μέν ῥ' Ἀίδαο δόμους ὑπὸ κεύθεσι γαίης ἔρχεαι.*

HECUBA Ex Euripidis Hecuba expressam esse ut res docet ita testatur Gellius ad v citatus. Pleraque Graeca iam Columna recte cum Ennianis versibus composuit.

I (194) Servius in Aen. vii 320 'Cisseis: regina Hecuba filia secundum Euripidem Cissei, quem Ennius Pacuvius et Vergilius sequuntur: nam Homerus Dymantis dicit.' Hinc Lactantius in Stat. Achill. i 22 'Hecuba filia ... secuntur.' Cf. mythogr. Vatic. ii fab. 197. Euripides Hec. 3 *Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως Πριάμου τε πατρός.*

---

nihil est nisi mutatus ordo v. tenacia infrenari *pro* infrenari tenacia *quod reposui duplici metri offensione suadente: quod vero* duc et *scripsi pro* ducet *propter insequentes imperativorum formas et quod* iunge (*quod in aliquo codice legi testantur*) *pro* iuge, *eae ne sunt quidem correctiones; de* iunge *cf. Tibull.* i 2, 71 boves mea si tecum modo Delia possim iungere; *Catull.* 63, 76 iuncta iuga resolvens; *de* minis *Ovid. ex Pont.* i 8, 56 ipse ego .. ducam ruricolas sub iuga curva boves et discam, Getici quae norunt verba iuvenci, adsuetas illis adiiciamque minas; *de* tenacia equi *Ovid. am.* iii 4, 13 *Ceterum quod haec ad Achillis equos referunt et ea quae Il.* xvi *a v.* 145 *narrantur, ego longius discedo, et haec ex philosopha moralique disputatione prompta duco, haec et* xix, *quae Priamo nimis incerta opinione tribuuntur: domanda equi tenacia notum est quotiens in illo genere exemplo fuerit: μή μ' ἀέκοντα βίῃ κεντῶν ὑπ' ἅμαξαν ἔλαυνε Theogn.* 371; *cf. Sophocl. Antig.* 477 *sqq. Euripid. Phrix. fr.* 821 (*Nauck.* ii) *quae Cicero vertit Tuscul.* iii 28, 67. *Cicero ipse de off.* i 26, 90; *de rep.* ii 40, 67 mens non unam (beluam) aut facilem ad subigendum frenat et domat; *Ovid. am.* i 2, 15

II

POLYDORI UMBRA (26)

195 undantem salum

III

HECUBA (68)

196 O magna templa caelitum commixta stellis splendidis

IV

197 miserete, manus,
Date ferrum, qui me anima privem.

V

HECUBA ULIXI (293—295)

199 Haec tu etsi perverse dices, facile Achivos flexeris:
Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta eademque oratio aequa non aeque valet.

II (195) Nonius p. 223, 24 'salum neutri generis est vulgari consuetudine. masculini Ennius Hecuba «undantem salum».' Ex Polydori narratione: v. 26 *κτανὼν ἐς οἶδμ' ἁλὸς μεθῆκε*; fuerit igitur apud Ennium 'in undantem salum Demisit'; sed cf. etiam 28 *ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ* (48) et 701 *πόντου νιν ἐξήνεγκε πελάγιος κλύδων*.

III (196) Varro de l. L. vii 6 'in caelo templum dicitur ut in ecuba «o . . *cęli* . *tum* commixta s. splendidis».' Sunt Hecubae verba somnium narrantis: v. 68 *ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ*, ut solent somnia narrare *πρὸς αἰθέρα* (Iphig. Taur. 43, cf. Androm. 93); falso cum olim tum rursus nuper haec eadem Polymestori occaecato (v. 1100) tribuerunt.

IV (197) Nonius p. 474, 30 'miserete Ennius ecuba «miserete manus . . . privem».' Graecum exemplar non exstat, opinor, sed non inepte videntur haec referri ad ea quae Hecuba dicit post acceptum de caedenda Polyxena nuntium 165 *ὦ κάκ' ἐνεγκοῦσαι Τρῳάδες, ὦ κάκ' ἐνεγκοῦσαι πήματ' ἀπωλέσατ' ὠλέσατ'. οὐκέτι μοι βίος ἀγαστὸς ἐν φάει.*

V (199) Gellius xi 4, 1 'Euripidis versus sunt in Hecuba, verbis sententia brevitate insignes inlustresque. [2] Hecuba est ad Ulixen dicens (293—295) *τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακὸς* (*κακῶς* Eur.) *λέγῃ* (*λέγῃς* Muretus), *τὸ σὸν νικᾷ* (*πείσει* vel *πείθει* codd. Eur.). *λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν κἀκ τῶν δοκούντων αὑτὸς* (*αὐτὸς* Porsonus) *οὐ ταὐτὸν σθένει*. [3] hos versus Q. Ennius, cum eam tragoediam verteret, non sane incommode aemulatus est. versus totidem Enniani hi sunt «haec tu . . . valet». [4] bene sicuti dixi Ennius, sed ignobiles tamen et opulenti *ἀντὶ ἀδοξούντων καὶ δοκούντων* satisfacere sententiae non videntur; nam neque omnes ignobiles *ἀδοξοῦσι* neque omnes opulenti *εὐδοξοῦσιν*.'

---

196 caelitum *Scioppius* 200 Nam opulenti quum *Porsonus* Namque opulenti cum *Scaliger*

VI

202 Heu me miseram, interii: pergunt lavere sanguen sanguine.

VII

TALTHYBIUS (497. 498)

203 Senex sum: utinam mortem obpetam prius quam evenat
Quod in pauperie mea senex graviter gemam.

VIII

HECUBA (627. 628)

205 Nimium boni est, cui nihil est mali

VI (202) Nonius p. 224, 7 'sanguis masculino genere in consuetudine habetur . . . neutro Ennius Hecuba (hecubae) «heu (eheu vel eheu eheu nonnulli) me *miseram* . . *labere* (lambere) s. s.».' Idem p. 466, 26 'lavare cum sit eluere et emaculare et aquis sordida quaeque purgare, vetustatis auctoritas posuit etiam polluere . . . Ennius Hecuba (ecuba Wolf. heucuba Bamb. et m. pr. Leid.) «heu (eu Wolf.) me *miseram* (miserum Bamb.) . . *lavere* (lavare Par.) s. s.».' Idem p. 504, 6 'lavit pro lavat . . . lavere inde tractum est . . . Ennius Telamone [I]. idem Hecuba «heu me *miserum* . . *labere* sanguen sanguine (sanguinem sanguine Par. sanguen sanguinem Wolf. Bamb., e corr. Harl. sanguinem Leid. Harl. m. pr.)».' Non simile exstat in Graecis, quantum intelligo: sed 'pergunt' si recte interpretor Hecuba videtur dicere eos qui nihil flexi suis rationibus pergunt Polyxenam mactandam deducere (440); cf. quae eadem ῥήσει dicit 232 *οὐδ' ὤλεσέν με Ζεύς, τρέφει δ' ὅπως ὁρῶ κακῶν κάκ' ἄλλα μείζον' ἡ τάλαιν' ἐγώ*; et 277 *μή μου τὸ τέκνον . . κτάνητε· τῶν τεθνηκότων ἅλις.*

VII (203) Nonius p. 494, 3 'pauperies pro paupertate. Ennius Hecuba «senex s. u. *moriar mortem* oppetam p. q. *eveniat* . . pauperie mea (pauperiem Bamb.) . . gemam».' Idem p. 507, 18 'evenat pro eveniat. Ennius Hecuba «senex s. u. *mortem* obpetam p. q. *evenat* . . . gemam».' Quae sunt accurate expressa ex Graecis (497 sq.) cum Talthybius his praemissis de Hecuba *αὕτη δὲ δούλη γραῦς ἄπαις ἐπὶ χθονὶ κεῖται κόνει φύρουσα δύστηνον κάρα* addit de se *φεῦ φεῦ, γέρων μέν εἰμ', ὅμως δέ μοι θανεῖν εἴη πρὶν αἰσχρᾷ περιπεσεῖν τύχῃ τινί*; nisi quod Ennius quae adiecit in pauperie mea ex Troad. 415 sumpsit ubi idem Talthybius *καὶ πένης μέν εἰμ' ἐγώ.*

VIII (205) Cicero de fin. II 13, 41 'non enim, si malum est dolor, carere eo malo satis est ad bene vivendum. hoc dixerit potius Ennius «nimium . . . mali». nos beatam vitam non depulsione mali sed adeptione boni iudice-

---

202 sanguine sanguen *vel* sanguen sanguine *Accius identidem et Varro a Nonio p. 224 citati* 204 senex *iniuria mutatur* (*debile admodum quod Ribbeckius proposuit* miser)*; cf.* aequa 201 *et Propertius* IV 4, 33 *sq.* 205 Nimium boni est *h. e.* summum bonum (fortuna summa)*, ne quis de vituperatione cogitet: cf. ad Cic. de leg.* I 9, 27 . . . . nimium boni est, cui nil mali est *Muretus* cui nihil est (in diem) mali

IX

HECUBA AGAMEMNONI (760)

206 Vide h*u*nc meae in qu*em* lacrumae guttatim cadunt

X

HECUBA AGAMEMNONI (826—830)

207 Quae tibi in concubio verecunde et modice morem gerit

XI

HECUBA AGAMEMNONI (837)

208 palm et crinibus

XII

209 Iuppiter tibi summe tandem male re gesta gratulor.

mus.' Ex Euripidis Hecuba versum Ennii expressum, ubi Hecuba v. 627 suam *ῥῆσιν* concludit *κεῖνος ὀλβιώτατος ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν*, itaque Ennii cognomini fabulae addendum Muretus var. lect. v 13 intellexit. Similis clausula Bacch. 910 *τὸ δὲ κατ' ἦμαρ ὅτῳ βίοτος εὐδαίμων μακαρίζω.* Publilii Syri sentent. 430 Ribb. 'nimium boni est in morte cui nil sit mali.'

IX (206) Nonius p. 115, 33 'guttatim . . . Ennius haecuba «vide *hinc* m. *inquam* lacrumae (vel l a c r i m a e; m e a e Flor. m. pr. Leid.) g. cadunt».' Euripides 760 *ὁρᾷς νεκρὸν τόνδ' οὗ καταστάζω δάκρυ;*

X (207) Nonius p. 342, 23 'modicum veteres moderatum et commodum (c o m m o d o vel c u m m o d o pauci) dici volunt . . . . Ennius Hecuba (h a e c u b a vel h e c c u b a) «quae . . concubio (c u b i o nonnulli) . . . gerit».' Uberius Euripides 826 *πρὸς σοῖσι πλευροῖς παῖς ἐμὴ κοιμίζεται ἡ φοιβάς, ἣν καλοῦσι Κασάνδραν Φρύγες. ποῦ τὰς φίλας δῆτ' εὐφρόνας δείξεις, ἄναξ, ἢ τῶν ἐν εὐνῇ φιλτάτων ἀσπασμάτων χάριν τίν' ἕξει παῖς ἐμή, κείνης δ' ἐγώ;*

XI (208) Cicero orat. 45, 153 'sine vocalibus saepe brevitatis causa contrahebant ut ita dicerent «multi modis» «et vas argenteis» «palm et (p a l m e t Abrinc. p a l m a e t integri) crinibus» «tecti fractis».' Ex Euripidis Hecuba 837 *καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι* Orellius ad Ciceronis p a l m e t c r i n i b u s adscripsit; neque dubitandum videtur, quin Ennius, quem hanc *ῥῆσιν* Hecubae accuratius expressisse etiam x declarat, hunc quoque locum *εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι καὶ ποδῶν βάσει κτλ* (cf. Electr. 334) in suum usum converterit. Aliter censet Leo quaest. Plaut. p. 299; cf. Birtus mus. Rhen. LI p. 248.

XII (209) Nonius p. 116, 28 'gratulari gratias agere. Ennius Hecuba «Iuppiter (iupiter) . . . gratulor».' Non legitur in Graeca tragoedia: sed

---

olim Ribbeckius, postea in alia deflectens; in diem *h. e. κατ' ἦμαρ* (*ἀεὶ κατ' ἦμαρ Troad.* 392) *tantum non requiri videtur cum sententia tum Graeci versus exemplo; Cicero autem omisit, quod ad suam sententiam nihil conferebat* 206 hunc m. in quem *Scriverius*: hinc m. inquam 207 Quae tibi in*: cf.* 306 Quam tibi ex *Cicero pro Tullio* 2, 5 id ipsum verecunde modiceque faciam

XIII

HECUBA POLYMESTORI (1226)

210 Amicus certus in re incerta cernitur.

XIV

AGAMEMNO POLYMESTORI (1247)

211 Set numquam scripsistis qu*i* parentem aut hospitem
Necasset qu*o* quis cruciat*u* perbiteret.

IPHIGENIA

I

AGAMEMNO (1—3)

213 Procede, gradum proferre pedum,
Nitere, cessas, o fide

Hecuba quae 1258 dicit *οὐ γάρ με χαίρειν χρή σε τιμωρουμένην*; etiam continuo re gesta Iovi illa forma gratias agere potuit.

XIII (210) Cicero Lael. 17, 64 ʻquam graves quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates: ad quas non est facile inventu qui descendat: quamquam Ennius recte «amicus . . . cernitur».' Ita Euripidea loquitur Hecuba 1226 *ἐν τοῖς κακοῖς γὰρ ἀγαθοὶ σαφέστατοι φίλοι*, Hartungusque Eurip. restit. I p. 529 iure Ennii versum Hecubae adscribi iussit.

XIV (211) Nonius p. 153, 28 ʻpervitere perire . . . Ennius Hecuba «set n. scripsistis *quis* . . . *necassat quos* quis *cruciatur* perbiteret».' Haec ad Euripidis Hec. 1247 *τάχ' οὖν παρ' ὑμῖν ῥάδιον ξενοκτονεῖν, ἡμῖν δέ γ' αἰσχρὸν τοῖσιν Ἕλλησιν τόδε* redire cum Osanno Bothius intellexit: alii falso ad 803 sq. referri voluerunt.

IPHIGENIA Euripidis Iphigeniam Aulidensem Ennium secutum esse et imitatum non multa sed certa exempla docent; quae iam Columna recte taxavit; alia alii addiderunt.

I (213) Festus p. 324, 28 Th. ʻpedum est quidem baculum incurvum, quo pastores utuntur ad conprehendendas oves aut capras, a pedibus. cuius m. (h. e. meminit) etiam Vergilius in bucolicis (5, 88) cum ait «at tû sume pedum». sed in eo versu qui est in iphigenię Enni «procede . . . cessas» id ipsum iaculum (baculum Ursinus) significari cum ait Verrius, mirari satis non possum, cum sit ordo talis et per eum significatio aperta «gradum pro-

---

211 scripstis *Vossius* *Intelligit νόμων γραφάς quas dicit Euripides v.* 866 qui *Iunius*: quis 212 Necasset quo *Iunius*: necassat quos is quo *Pontanus* cruciatu *Iunius*: cruciatur 213 *sq. Orationis formam quam distinctione indicavi explicui et firmare studui in prooem.* 1880 *p.* 16 *sq.* Procede *h. e. δόμων τῶνδε πάροιθεν στεῖχε; cf. Seneca Troad.* 705 huc e latebris procede tuis 214 senex *add. Bergkius*

II

AGAMEMNO (6—8)

215 Quid noctis videtur? in altisono
Caeli clipeo superat temo
217 Stellas sublime ag*ita*ns etiam atque
Etiam noctis iter

III

219 favent faucibus russis,
Missis cantu plausuque premunt
Alas

ferre pedum cessas nitere».' Schol. Veron. in Verg. ecl. 5, 88 p. 72 Keil. I p. 12 Herrm. 'pedum autem est baculum recurvum, quo pastores utuntur — | aut adminiculum pedum sit, ut ait Ennius in Ifigenia «gradum ... cessas o fide — — | pastores pedes bovium (o v i u m Keilius) retrahere soleant.' Euripides 1—3 *ΑΓ. Ὦ πρέσβυ, δόμων τῶνδε πάροιθεν στεῖχε. ΠΡ. στείχω. τί δὲ καινουργεῖς, Ἀγάμεμνον ἄναξ; ΑΓ. πεύσει. ΠΡ. σπεύδω.* nam ex ipso initio fabulae illa Ennii expressa sunt, non ex v. 139 quod cum Scaligero vulgo crediderunt; vide prooem. 1888/89 p. 13 sq.

II (215) Varro de l. L. VII 73 «quid ... *caeli* clipeo *temo superat* . . *agens* ... iter». hic multam noctem ostendere volt a temonis motu; sed temo unde et cur dicatur latet. arbitror antiquos rusticos primum notasse quaedam in caelo signa quae praeter alia erant insignia atque ad aliquem usum culturae et (e t add. Lachm.) tempus designandum convenire animadvertebantur.[74] eius signa sunt quod has septem stellas Graeci ut Homerus vocat *ἄμαξαν* et propinquum eius bootem signum; nostri eas septem stellas boves et temonem, et prope eas axem.' Idem ibid. v 19 'omnino ego magis puto a chao choum (chovum) et hinc caelum, quoniam ut dixi hoc, circum supraque quod complexu continet terram, cavum, caelum. itaque dicit Andromeda Nocti [112] et Agamemno «in altisono *caeli* clipeo»; cavum enim clipeum; et Ennius item ad cavationem «caeli ingentes fornices» (381).' Festus p. 504, 9 Th. '(septentriones) | septem stellae appe(ll) — — | bus iunctis, quos trio — — | appellent, quod iun — — | quasi terriones — — | quod id astrum Grae — — | partem quandam — — | Ennius «*superat* — — | et physici eum sū —' etc. Cf. Varro VII 75. Apuleius de deo Socr. 2 p. 6, 19 Goldb. 'suspicientes in hoc perfectissimo «*mundi*» ut ait Ennius «clipeo» miris fulgoribus variata caelamina.'

III (219) Cicero de div. II 26, 57 'Democritus optumis verbis causam

---

215 *sq. Distinxi post* videtur, *et* in altisono c. clipeo superat temo *in unum coniunxi* (*hoc cum Columna*) *eidemque Agamemnoni tribui secum deliberanti: vulgo* videtur . . clipeo? temo superat, *quorum haec* temo *eqs. seni tribuunt parum probabili ratione; vide quae disputavi prooem.* 1888/89 *p.* 14 *sq.* 217 temo sublime agitans *dicit ut* sublime volantes nubes *Lucretius* VI 97 agitans *pro* agens *scripsi* (*prooem.* 1880 *p.* 13); *cf. ad* 291 220 Missis *addidi et sententiam explicui* (*prooem.*

IV

AGAMEMNO

222 Quís homo te exsuperavit usquam gentium impudentia?

MENELAUS

Quis aútem malitia te?

V

AGAMEMNO

224 Ménelaus me obiurgat: id meis rebus regimen rest*it*at.

VI

AGAMEMNO

225 Ego proiector quod tu peccas, tu delinqu*i*s, ego arguor?
Pro malefactis Helena redeat, virgo pereat innocens?
Tua reconcilietur uxor, mea ne*c*etur filia [mea]?

explicat cur ante lucem galli canant . . . qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius, «favent f. *russis cantu* plausuque (cantus lausuque Voss. A Vind. m. pr.) p. alas».'

IV (222) Cicero Tusc. disp. iv 36, 77 'ira vero, quae quamdiu perturbat animum dubitationem insaniae non habet, cuius inpulsu existit etiam inter fratres tale iurgium «quis homo . . *umquam* . . . malitia te». nosti quae secuntur: alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae, ut facile appareat Atrei filios esse.' Fluxisse ex Agamemnonis et Menelai iurgio in Iphig. Aulid. 317 sqq. Dobraeus animadvertit advers. ii p. 373.

V (224) Rufinianus de fig. 11 rhet. Lat. p. 41, 29 Halm. 'ἀγανάκτησις indignatio, quae fit maxime pronuntiatione. Ennius in Iphigenia «Menelaus . . *restat*».'

VI (225) Rufinianus de fig. 37 rhet. Lat. p. 47, 18 Halm. 'σύγκρισις sive ἀντίθεσις comparatio rerum atque personarum inter se contrariarum, ut «ego . . . *delinquas* . . . mea *negetur* filia *mea*».' Ad Iphigeniam, ut v quod idem Rufinianus ex Ennii Iphigenia citavit, iam Columna adscripsit: et haec tria fr. iv v vi quamvis ex iurgiis Atridarum, quae sunt apud Euripidem a v. 317 ad 411, repetita sint, tamen satis libere Ennius expressisse Graeci poetae sententias videtur. Conferri possunt maxime 329 Agam. *τί δέ σε τἀμὰ δεῖ φυλάσσειν; οὐκ ἀναισχύντον τόδε;* (cf. 327) et 331 Ag. *τὸν ἐμὸν οἰκεῖν οἶκον οὐκ ἐάσομαι* (cf. Androm. 581) cum Ennii 222. 224. 'malitiam' Agamemnonis

---

1888/89 *p.* 10 *sqq.), qua mihi noctis silentium depingi videtur, ut sic interpretata oratio sane redire ad Euripid. Iphig. Aul.* 9 *οὔκουν φθόγγος γ' οὔτ' ὀρνίθων οὔτε θαλάσσης possit, de quo in diversa sententia cogitavit Ribbeckius* 222 usquam *deteriores aliquot, Bentleius*: umquam 224 restitat *Bentleius epist. ad Millium p.* 43: restat; *cf. ad* 291 225 delinquis *Rob. Stephanus*: delinquas *De metri forma vide ad* 309 226 arguor? Pro *Bergkius*: arguor pro malefactis? *vulgabatur ante; cf. Hermannus ad Eurip. Iphig. Aul.* 385 227 mea necetur filia *Columna*: mea negetur filia mea

VII

AGAMEMNO (446—449)

228 Plebes in hoc regi ant*i*stat loco: licet
Lacrumare plebi, regi honeste non licet.

VIII

CLYTAEMNESTRA

230 Pos*t*quam abs te, Agamemno, ut venirem, tetigit aures nuntius,
Extemplo

IX

AGAMEMNO (701. 708)

232 The*t*is illi mater

(223) pluribus exponit Menelaus (cf. 349). porro 384 *εἶτ' ἐγὼ δίκην δῶ σῶν κακῶν, ὁ μὴ σφαλείς* et 396 *τἀμὰ δ' οὐκ ἀποκτενῶ 'γὼ τέκνα κοὐ τὸ σὸν μὲν εὖ παρὰ δίκην ἔσται κακίστης εὐνίδος τιμωρίᾳ* cett. cum Ennii 225—227. De Ennii oratione in vv. 225—227 contendi possunt etiam ex reconciliati Menelai oratione 483 *σὲ μὲν στενάζειν, τἀμὰ δ' ἡδέως ἔχειν, θνῄσκειν τε τοὺς σούς, τοὺς δ' ἐμοὺς ὁρᾶν φάος* et 494 *τί δ' Ἑλένης παρθένῳ τῇ σῇ μέτα.*

VII (228) Hieronymus epist. 60 (epitaph. Nepotiani), 14 t. I p. 349 C. D Vallars. (cf. C. Buresch. consolation. hist. p. 100; Luebeck. Hieron. quos noverit scriptores p. 105 et 157) 'Naevius poeta (com. 106 R.) «pati» inquit «necesse est multa mortales mala». unde et Niobem quia multum fleverit in lapidem .. commutatam finxit antiquitas ... prudenterque Ennius «plebes» ait «in hoc r. *antestat* ... non licet».' Haec ex Eurip. Iphig. Aulid. 446 sqq. *ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον. καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει, ἅπαντά τ' εἰπεῖν, τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν ἄνολβα ταῦτα* expressa esse Columna intellexit.

VIII (230) Cicero ad Att. XIII 47, 1 '«*posteaquam* abs te, Agamemno,» non «ut venirem» (nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset) sed ut scriberem «tetigit aures nuntius, extemplo» instituta (aures ... instituta om. Med.) omisi: ea quae in manibus habebam abieci, quod iusseras edolavi.'

Ex tragoedia sumpta verba et quidem Clytaemnestrae esse Agamemnonem appellantis olim intellectum est: Iphig. Aulid. 633 *ὦ σέβας ἐμοὶ μέγιστον, Ἀγαμέμνων ἄναξ, ἥκομεν, ἐφετμαῖς οὐκ ἀπιστοῦσαι σέθεν*, quae supposititicia habentur, Ladewigius anal. scen. p. 15 contulit Enniique Iphigeniae verba Tulliana adscripsit. Ab Ennio petitum sed fortasse non ex eodem loco etiam edolavi; cf. inc. XLIV. Aliquid similitudinis cum Ennianis prae se ferunt quae ex Varrone affert Nonius p. 263, 5 'quem simulac Romam venisse mihi attigit aures nuntius, extemplo meos in curriculum contuli propere pedes': in quibus quod est numerosi non fugit doctos.

IX (232) Varro de l. L. VII 87 'lymphata dicta a lympha; (lympha) a

---

228 antistat *Columna*: antestat hoc loco *quid esset declaravi prooem.* 1880 *p.* 5 *coll. Cic. in Catil.* IV 10, 22 quamquam est uno loco condicio melior externae victoriae quam domesticae, quod *etc*, *versusque formam vindicavi; poterat autem esse* (*ut in Graecis*) plebes ut hoc .. loco 230 Postquam *Ribbeckius*: posteaquam

X

AGAMEMNO (737)

233 Quae nunc abs te viduae et vastae virgines sunt

XI

CHORUS MILITUM

234 Otio qui nescit uti
Plus negoti habet quam cum est negotium in negotio.
236 Nam cui quod agat institutumst *non ullo* negotio
Id agit, *id* studet, ibi mentem atque animum delectat suum.
238 Otioso in *o*tio animus nescit quid velit.
Hoc idem est: em neque domi nunc nos *nec* militiae sumus:
240 Imus huc, hinc illuc, cum illuc ventum est, ire illuc *l*ubet.
Incerte errat animus, praeter propter vitam vivitur.

nympha, ut quod apud Graecos Θέτις, apud Ennium «*thetis* (telis corr. Turnebus) illi mater».' Cf. idem rer. rust. III 9, 19 'electis maximis gallinis, nec continuo his quas Melicas appellant falso, quod antiqui, ut Thetim Thelim dicebant, sic Medicam Melicam vocabant.' TELIS in specul. Praenest. (ephem. epigraph. I p. 14). Ad Iphigeniam adscripsi, quia Clytaemnestrae de genere Achillis sciscitanti 701 Agamemno respondet *Πηλεύς· ὁ Πηλεὺς δ' ἔσχε Νηρέως κόρην* et 708 Clytaemnestra rursus quaerit *Θέτις δ' ἔτρεψεν ἢ πατὴρ Ἀχιλλέα;*

X (233) Servius Danielin. in Aen. I 52 p. 34, 14 Thil. 'sane vasto pro desolato veteres ponebant. Ennius Iphigenia «quae . . . sunt».' Rettuli ad idem colloquium Agamemnonis et Clytaemnestrae ex quo fr. IX; in quo colloquio 736 sq. haec habentur *ΚΛ. καλὸν τεκοῦσαν τἀμά γ' ἐκδοῦναι τέκνα. ΑΓ. καὶ τάς γ' ἐν οἴκῳ μὴ μόνας εἶναι κόρας.* Cf. prooem. 1888/89 p. 9 sq.

XI (234) Gellius XIX 10, 5 'quid significaret verbum praeter propter . . [11] ibi Iulius Celsinus admonuit in tragoedia quoque Enni, quae Iphigenia inscripta est, id ipsum de quo quaerebatur scriptum esse . . . [12] statim proferri Iphigeniam Q. Enni iubet. in eius tragoediae choro inscriptos esse hos

---

233 *Septenarium in fine mancum descripsi; alii aliter* abs te viduae *ut in culice* 373 ego Ditis opacos cogor adire lacus viduos a lumine Phoebi, *ubi interiectionem pro praepositione statuunt non recte, opinor* 234 *sqq. De his versibus scribendis et disponendis egi Herm.* XV *p.* 262 *sqq.* 236 non ullo negotio *Hermannus*: in illis negotium *vel* in illo negotium *vel* in illo negotio *libri;* nil nisi negotium *Hertzius;* militi negotium *Ribbeckius nuper* 237 id *alterum add. Ribbeckius* 238 in otio *Lipsius*: initio 239 nec *olim corr.*: de 240 illuc. hinc *Par.* ire illuc *Par.* ire illinc *ceteri* lubet *Beroaldus*: iubet 241 vitam *utrobique libri; sunt qui* vita *scribi iubeant*

XII

ACHILLES

242 Astrologorum signa in caelo quid *f*it observationis,
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum.
244 Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.

versus legimus «otio (234) ... vivitur (241)». [13] ... petimus igitur dicas ... quid sit ignotus huiusce versus sensus «incerte ... vivitur» (241).' Militum choro in otio torpescentium quas tribuit sententias Ennius eas, ut Columna intellexit, ex Achillis oratione sumpsit quae Iphig. Aulid. a v. 804 exponitur: *οὐκ ἐξ ἴσου γὰρ μένομεν Εὐρίπου πέλας. οἳ μὲν γὰρ ἡμῶν ὄντες ἄζυγες γάμων οἴκους ἐρήμους ἐκλιπόντες ἐνθάδε θάσσουσ' ἐπ' ἀκταῖς, οἳ δ' ἔχοντες εὔνιδας καὶ παῖδας . . . τοὐμὸν μὲν οὖν δίκαιον ἐμὲ λέγειν χρεών . . γῆν γὰρ λιπὼν Φάρσαλον ἠδὲ Πηλέα μένω 'πὶ λεπταῖς ταισίδ' Εὐρίπου πνοαῖς, Μυρμιδόνας ἴσχων· οἳ δ' ἀεὶ προσκείμενοι λέγουσ'· Ἀχιλλεῦ, τί μένομεν; ποῖον χρόνον ἔτ' ἐκμετρῆσαι χρὴ πρὸς Ἰλίου στόλον; δρᾶ δ' εἴ τι δράσεις, ἢ ἄπαγ' οἴκαδε στρατόν, τὰ τῶν Ἀτρειδῶν μὴ μένων μελλήματα.* Conf. v. 1000 sq. Itaque hunc chori cantum eo loco posui, quem patefacta origo demonstrat et flagitat.

XII (242) Cicero de re p. I 18, 30 '«egregie cordatus homo catus Aelius Sextus», qui egregie cordatus et catus fuit et ab Ennio (ann. 331) dictus est non quod ea quaerebat quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat

---

242 *sq.* fit *scripsi* (*prooem.* 1878 *p.* 7)*; orationis forma ea est ut ab* observationis *nomine verbali pendeat* astrologorum signa*, ad modum Plautinum* quae misera in exspectatione est Epignomi adventum viri *Stich.* 283*;* nunc hic eam rem volt, scio, mecum adire ad pactionem *aulul.* 201*; ceterum hos versus multis modis mutatos recte traditos neque ullam recipere emendationem l. c. probare studui; de* nomine bel. *cf. Cic. ad fam.* VII 5, 3 huic ego neque tribunatum neque praefecturam neque ullius beneficii certum nomen peto, *et quae praeterea l. c. attuli; denique verbi* exoritur *positum notum est optimorum usu confirmari:* neque hic lupis mos nec f u i t leonibus*;* furorne caecos an r a p i t vis acrior *Hor. epod.* 7, 11 *et* 13 243 *Versus fortasse memor fuit Cicero de nat. deor.* III 16, 40 singulas stellas numeras deos eosque aut beluarum nomine appellas, ut capram, ut nepam, ut *eqs.* *De* nepa *Paulus Festi p.* 167, 9 *Th.* nepa Afrorum lingua sidus quod cancer appellatur *et Festus ipse; Nonius p.* 145, 13 244 *Cf. Cic. Tusc. disp.* v 39, 114 cum alii saepe quod ante pedes esset non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur*; Ter. ad.* 386 istuc est sapere, non quod ante pedes modost videre, sed etiam illa quae futura sunt prospicere*; Min. Fel.* 12, 7 desinite caeli plagas et mundi . . secreta rimari: satis est pro pedibus aspicere caeli scrutantur plagas*: cf. Augustin. conf.* x 16, 25 *in.; Paulinus Nolanus epist.* 12, 5 *p.* 77, 15 *H.* *Septenarius adnectitur octonariis ut* 259. 260 *et* 362—365

XIII

IPHIGENIA

245 Acherontem *ob*ibo, ubi Mortis thesauri *ob*iacent.

Quibus verbis Ciceronis de Tusc. disp. I 48, 116 hanc fabulam locupletarunt, ea vulgo nec recte scripta aut probe interpretata esse neque vero ullam huius tragoediae partem continere, satis opinor probavi prooem. 1879/80 p. 13 sq.

quae eos qui quaesissent et cura et negotio solverent, cuique contra Galli studia disputanti in ore semper erat ille (Osannus, illa cod.) de Ifigenia Achilles «astrologorum ... *sit* observationis ... plagas».' Idem de div. II 13, 30 'Democritus tamen non inscite nugatur ut physicus, quo genere nihil adrogantius: «quod ... plagas».' Ad Ter. ad. III 3, 32 'istuc est sapere, non quod ante pedes modost videre, sed etiam illa quae futura sunt prospicere' Donatus adnotavit 'quod ante pedes modo est videre: hoc sumpsit poeta de illo in physicum (in syrum vel syrum codd. opt.) pervulgato ancillae dicto «quod ante pedes est non videt (vident): caeli scrutatur (scrutantur) plagas».' Quae quamquam Enniani Achillis verba videntur referre, tamen cavendum est ne Achillis vel Achillae nomen reponamus pro ancillae: quo de dixi prooem. 1888/89 p. 15 sq. Idem dictum ancillae ad Thaletem in puteum cadentem accommodatum cum Plato refert Theaet. 174 a tum alii testes, quos praetereo. Seneca de mort. Claud. 8 'quid in cubiculo suo faciat nescit: et iam «caeli scrutatur plagas»? deus fieri vult?' Cf. Varro Menipp. 233 B. 'oculis caeli rimari plagas.'

Achillis sententiam unde duxerit Ennius non videtur afferri posse nisi cavillatio Calchantis et vatum, quae est apud Euripidem 955 sqq. *πικροὺς δὲ προχύτας χέρνιβάς τ' ἐνάρξεται Κάλχας ὁ μάντις· τίς δὲ μάντις ἔστ' ἀνήρ, ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει τυχών, ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται*; quae si secutus est Ennius satis libere poetae Graeci sententiam aemulatus est.

XIII (245) Festus ex apogr. l. XIV p. 236, 8 Th. 'ob praepositione antiquos usos esse pro ad testis est Ennius quom ait L. XIIII [IX] ... et in Iphigenia «Acherontem *adibo* ... *adiacent*».' Quae Iphigeniae verba Hermannus ad Euripidea 1375 *κατθανεῖν μέν μοι* (*μου* H. Weilius recte) *δέδοκται*, Columna autem ad 1503 *θανοῦσα δ' οὐκ ἀναίνομαι* referenda duxit: mihi magis valedicendi vim videntur habere; ut ex his potius 1506 *λαμπαδοῦχος ἁμέρα Διός τε φέγγος, ἕτερον ἕτερον αἰῶνα καὶ μοῖραν οἰκήσομεν, χαῖρέ μοι, φίλον φάος* expressa sint.

---

245 obibo *et* obiacent, *quae Festus requirit, restituit iam Aldina De* Mortis thesauris *vel* Orci thesauro (*Gell.* I 24, 2) *vid. Dielsii fol. Sibyll. p.* 46 *et C. Diltheii prooem. Gotting.* 1878/79 *p.* 7*;* dives Orcus *Tib.* III 3, 38*; Claudian. rapt.* I, 21

MEDEA EXUL

I

NUTRIX (1—8)

246 Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accedisset abiegna ad terram trabes,
248 Neve inde navis inchoandi exordium

MEDEA EXUL Ex Euripidis Medea expressam fabulam Cicero testatur de fin. I 2, 4 'iis est difficilius satisfacere qui se Latina scripta dicunt contemnere: in quibus hoc primum est in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos sermo patrius, cum iidem fabellas Latinas ad verbum e Graecis expressas non inviti legant. quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiiciat, quod se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat.' Medeam exulem aliquoties Nonius, semel Probus appellavit. Cicero et Varro non videntur nisi unam Medeam Ennii habuisse cognitam.

I (246) Rhet. ad Herenn. II 22, 34 'hic id quod extremum dictum est satis fuit exponere, ne Ennium et ceteros poetas imitemur quibus hoc modo loqui concessum est «*utinam ne* (246).. *Pelio securibus caesae accidissent* (accedissent vel cecidissent nonnulli) *abiegnae* (ad ignē Herb. abignę Par. P m. pr.) *ad t.* . . . navis (248) *inchoandi* (Bamb. naves inchoandas Herb. Par. P navis inchoandae vel inchoanda vel inchoans plerique) e. *coepisset* (cep. pauci) . . . A. (250) *qui* (qua Par. P Bern. cum expletis) *A. in eadem lecti* (delecti om. in ea expleti) *viri vecti* petebant *pellem* i. arietis (qua vecti argivi delecti viri petebant p. i. arietis unus Corb.) . . . nam (253) n. era errans mea domo (era et domo om. Herb. Parr. P m. pr., *II*) *efferret* pedem (medea egro amore saucia m. alt. add. Par. P)». nam hic

---

247 *Ambiguum est, utrum plurali numero Ennius* caesae accidissent abiegnae trabes *an singulari* caesa accidisset abiegna trabes *scripserit: illud potior pars testium, hoc unus Varro, et qui a Varrone pendet Priscianus: et est hoc convenientius Euripidi* 4 *πεσεῖν τμηθεῖσα πεύκη: tamen Varro ipse quid voluerit dubitatio oritur ex verbis* 248 navis inchoandi exordium cepisset *vel* coepisset *quod exstat apud Ciceronem de fato et in Bamb. ad Herenn. olim Manutius, postea probavit C. F. W. Muellerus philol.* XIII *p.* 571 *et Hertzius vind. Gell. alt. p.* 58 *sq., nuper cum Fr. Marxius ad Herenn. tum Fr. Leo quaest. Plaut. p.* 327, *quorum ille* cepisset, *hic maluit incipiendi vi ter repetita* coepisset. *Dicendi genus quo genere dicitur* inchoandi exordium *et* exordium coepit *late patuit; cf. Ter. Andr.* 709 immo etiam narrationis incipit mi initium*; Liv.* XXXIX 23, 5 inchoata initia a Philippo sunt*; et quae collegi pauca sane in disp. de Taciti dial. in comment. Mommsen. p.* 664 *sq.; Heraeus spicil. Val. Max.* (*Fleckeis. ann. suppl.* XIX) *p.* 590 *sq.; prooem.* 1894/95 *p.* 19 *sq.*

Coepisset, quae nunc nominatur nomine
Argo, quia Argivi in ea delecti viri
Vecti petebant pellem inauratam arietis
Colchis imperio regis Peliae per dolum.

satis erat dicere, si id modo quod satis esset curarent poetae, «utinam ne era (253) errans mea domo efferret pedem Medea (Medeas) animo (om. plerique homo Herb. homodo Par. P) aegro *amores revo* (amore om. saevo Bern. cum expletis) saucia (Par. *Π* nihil nisi Medea)».' Priscianus de metris Terent. 2, 14 G. L. K. III p. 423, 36 'nec solum comici huiuscemodi sunt usi iambis sed etiam tragici vetustissimi ut Ennius in Medea «*utinam ne* (246) .. *Pelio securibus caesae cecidissent abiegnae ad t.* ... navis (248) *inchoanda* e. *cepisset* (coep. Parr. R et e corr. A) ... A. (250) *qua vecti A. dilecti viri* petebant *illam pellem* ... *efferret* pedem (253)».' Cicero de fato 15, 34 'nec Hecubam causam interitus fuisse Troianis quod Alexandrum genuerit, nec Tyndareum Agamemnoni quod Clytaemnestram ... [35] ex hoc genere illud est Enni «*utinam ne* (246) .. *Pelio securibus caesae accedissent* (accidissent Voss. B m. pr. cecidissent corr. Voss. AB) *abiegnae ad t.* trabes». licuit vel altius, utinam ne in Pelio nata ulla umquam esset arbor; etiam supra, utinam ne esset mons ullus Pelius. similiterque superiora repetentem regredi infinite licet: «neve (248) .. *inchoandi* e. *coepisset* (cep. Voss. B)». quorsum haec praeterita? quia sequitur illud «nam (253) ... *haec ferret* (ecferret corr. in optimis) ... *amore saevo* saucia (254)», non ut eae res causam adferrent amoris.' Lactantius in Stat. Theb. v 336 'Pelias pinus: Argo navem dicit, quae in Pelio monte Thessaliae fabricata est. Cicero «*utinam* in nemore *pelion caesae securibus ad terram cecidissent abiegnae* trabes».' Cicero pro Caelio 8, 18 'quo loco possum dicere id quod .. M. Crassus ... paulo ante dixit «*utinam ne* .. *Pelio* (peleo Par.)» (246). ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret: «nam n. era (Par. eram Erf. Gembl.) errans» (253) hanc molestiam nobis exhiberet «Medea animo (mede animo Par.) aegro (aegra Harl. Salisb.) *amore saevo* saucia» (254).' Idem de inv. I 49, 91 'remotum est quod ultra quam satis est repetitur ... huiusmodi est illa quoque conquestio «*utinam ne* .. *Pelio securibus caesae accedissent* (..ccidisset Sang.; corr. accidissent vel cecidissent vel c̄cidissent) *ad* (abiegna ad Par. e corr.) *t.* trabes». longius enim repetita est quam res postulabat.' Idem de nat. deor. III 30, 75 'utinam igitur, ut illa anus optat «*ne* .. *Pelio securibus caese accidissent* (cecidissent corr. Voss. B) *abigne* (abiegne corr. Voss. B) *ad t.* trabes», sic istam calliditatem hominibus di ne dedissent.' Varro de l. L. VII 33 'sic dictum a quibusdam, ut una canes, una «trabes remis rostrata per altum» (ann. 616). Ennius «*ut in amne* .. *polio securibus cesa saccidisset abiegna ad t.* trabes». cuius verbi

250 *Veram scripturam quae servata est in Tusc. disp. et quam Halmius* (*anal. Tull.* I *p.* 16) *constituit* quia Argivi in ea delecti viri Vecti petebant pellem *manifestum est a quibus principiis orsi liberius mutatum iverint* qua (*pro* quia) vecti Argivi delecti viri, *deinde ne mancus esset versus alter* Petebant illam pellem

253 Nam numquam era errans mea domo efferret pedem
Medea animo aegro amore saevo saucia.

singularis casus rectus correptus ac facta trabs.' Priscianus vii p. 320, 16 H. 'vetustissimi tamen etiam trabes pro trabs proferebant. Ennius in Medea «*utinam ne* .. *Pelio securibus caesa* (cessa) *accedisset in terram abiegna* trabes».' Cicero topic. 16, 61 'hoc igitur sine quo non fit ab eo in quo certe fit diligenter est separandum. illud enim est tamquam «*utinam ne* .. *Pelio*» (246). nisi enim «*accidissent* (cecidissent) *abiegnae ad t.* trabes» (247), Argo illa facta non esset, nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria.' Quintilianus v 10, 84 'recte autem monemur causas non utique ab ultimo esse repetendas, ut Medea (media) «*utinam ne* .. *Pelio*» (246), quasi vero id eam fecerit miseram aut nocentem, quod illic ceciderint «*abiegnae ad t.* trabes» (247).' Donatus in Ter. Phorm. i 3, 5 'quod utinam ne Ph.: vetus elocutio utinam (ne), ut Ennius in Medea «*utinam ne* .. *Pelio unquam secte cecidissent* (cec. caesae unus Vat.) *ad t.* trabes».' Iulius Victor 12 rhet. Lat. p. 415, 33 Halm. 'vitiosum genus argumentationis ... aut ut remotum, quod ulterius quam satis est petitur, ut: si in n. Pelio non cecidissent trabes, hoc scelus factum non esset.' Cicero de fin. i 2, 4 'quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiiciat, quod se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat ... [5] .. an «*utinam ne* in nemore» (246) nihilo minus legimus quam hoc idem Graecum ...' Hieronymus epist. 127 (Marcellae viduae epitaph.), 5 t. i p. 948 C Vallars. 'hanc multos post annos imitata est Sophronia et aliae, quibus rectissime illud Ennianum aptari potest «*utinam ne* .. *Pelio*» (246).' Cicero Tusc. disp. i 20, 45 'etenim si nunc aliquid adsequi se putant, qui ostium Ponti viderunt et eas angustias per quas penetravit ea quae est nominata «Argo *quia A. in ea dilecti* (delecti Brux.) *v. vecti* petebant *pellem* i. arietis» (250. 251).' Orosius hist. i 12, 10 'nolo meminisse Medeae «*amore saevo* (amores vel mores aevo nonnulli) sauciae» (254) et pignorum parvulorum caede gaudentis.' Phaedrus iv 7, 6 suo more Medeae fabulam memor fortasse in paucis Ennii exponit.

Euripidis versus quos Ennius Latine reddidit hi sunt: 1 *ΤΡ. Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος Κόλχων ἐς αἶαν κυανέας Συμπληγάδας, μηδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε τμηθεῖσα πεύκη μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρος Πελίᾳ μετῆλθον. οὐ γὰρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ Μήδεια πύργους γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίας ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος.* A quibus Ennius cum in aliis tum in ordine rerum discessit, quem Euripides

---

253 efferret *h. e.* extulisset *ut infra* 279; *quod genus Ter. adelph.* 106 nam si esset unde id fieret faceremus 254 era mea | Medea *plane ut Eurip.* 7 *δέσποιν' ἐμὴ | Μήδεια: et saepe solent veteres, Graeci inprimis, etiam ultra necessitatem, addere nomina et principio versus addere, velut Hippol.* 53. 582 *Troad.* 862 *al. de quo genere, non semper recte aestimato a doctis, quaedam disputavi prooem.* 1885/86 *p.* 10 Medéa animo aégro*: de elisione Lachmannus ad Lucr.* iii 374 *p.* 162 aegra *alii cum libris deterioribus*

II

PAEDAGOGUS (49—51)

255 Antiqua erilis fida custos corporis,
Quid sic *te* extra aedis exa*nim*ata elimina*s*?

III

NUTRIX (57. 58)

257 Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Caelo atque terrae Medea*i* miserias.

IV

MEDEA (214—218)

259 Quae Corinthum arcem altam habetis matronae opulentae optimates,
Multi suam rem bene gessere et publicam patria procul,
261 Multi qui domi aetatem agerent propterea sunt improbati.

artificiosius instituit: qua de re ʻὙπόθεσις Μηδείας haec habet ἐπαινεῖται δὲ ἡ εἰσβολὴ διὰ τὸ παθητικῶς ἄγαν ἔχειν καὶ ἡ ἐπεξεργασία· μηδ' ἐν νάπαισι καὶ τὰ ἑξῆς· ὅπερ ἀγνοήσας Τιμαχίδας τῷ ὑστέρῳ φησὶ πρώτῳ κεχρῆσθαι, ὡς Ὅμηρος [Od. v 264].'

II (255) Nonius p. 39, 3 ʻeliminare extra limen eicere . . . Ennius Medea (metea) exule «antiqua *erilis* . . corporis (poris vel foris) q. *sit* extra a. *examinata elimina*».' Idem p. 292, 17 ʻeliminare est exire. Ennius Medea exule «antiqua *edilis* (aedilis) . . . *sit* extra a. *examinata eliminat*».'

Euripid. 49 παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς, τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγουσ' ἐρημίαν ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά;

III (257) Cicero Tusc. disp. III 26, 63 ʻsunt autem alii, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui saepe delectat, ut illa apud Ennium nutrix «cupido . . . *Medeae* miserias».' Euripid. 57 ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ λέξαι μολούσῃ δεῦρο δεσποίνης (vel Μηδείας) τύχας.

IV (259) Cicero ad fam. VII 6, 1 ʻdesideria urbis et urbanitatis depone et quo consilio profectus es id assiduitate et virtute consequere. hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quam ignoverunt Medeae, «quae Corinthum a. a. habebant m. o. optimates», quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi vitio illae verterent, quod abesset a patria: nam «multi . . . improbati» (260 sq.); quo in numero tu certe fuisses, nisi te extrusissemus. [2]. . . tu qui ceteris cavere didicisti (ad Trebatium scribit), in Britannia ne ab essedariis decipiaris caveto, et quoniam Medeam coepi agere, illud semper memento «qui ipse sibi sapiens prodesse non quit nequiquam sapit» (273).' Hunc ex-

---

256 sic te *olim corr.*: sit exanimata *olim corr.*: examinata eliminas *Mercerus* 258 Medeai *Turnebus*: Medeae 259—261 *Metra recuperavit octonariis mixtum septenarium restituens Bentleius ad Davis. Tusc. disp. edit. p. 26. Cf. ad 244* 261 quod domi *Wesenbergius; malim* quia

V

MEDEA (250. 251)

262 nam ter sub armis malim vitam cernere,
Quam semel modo parere.

VI

CREON (352—354)

264 Si te secundo lumine hic offendero,
Moriere.

tremum versum quoniam testimonio constat Ennianum esse, quid de reliquis iudicandum sit in promptu est: sed esse versus Ennianos de Medea nemo intellexit ante A. Politianum (miscellan. c. 27), qui collatis Euripideis 214 sqq. versus agnovit, sed non restituit. Enniana Medea quid agat, cum Corinthiis matronis appellatis illa exponere incipiat 'multi suam rem' cet. 260 sq., Cicero subindicat verbis 'ne sibi vitio illae verterent quod abesset a patria': in quibus tamen quae inest sententia num ante eos versus duos locum an post eos habuerit, quoniam 'nam' Ciceronis est, non Ennii, addubitare licet. Sed consilium ipsum quod apud Ennium exsequitur Medea, consentaneum illud quidem Ciceronis consilio quo his versibus utitur, longius discedit a mente Medeae Euripideae, quae ita loquitur *Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων, μή μοί τι μέμφησθ'· οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο, τοὺς δ' ἐν θυραίοις· οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδός δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν.* De quo dissensu post Muretum var. lect. VIII 17 et Victorium var. lect. XX 13 Elmsleius ad Euripidis verba dixit; nuper etiam Tyrrellius Hermathen. V (1885) p. 21 sqq.

V (262) Varro de l. L. VI 81 'ab eodem (cerno) est quod ait Medea «*ter* (er in ras. Flor.) . . . *multa* cernere . . . parere», quod, ut decernunt de vita eo tempore, multorum videtur vitae finis.' Nonius p. 261, 18 'cernere rursum dimicare vel contendere . . . Ennius in Medea exule «nam *te* . . . *vitam* cernere».' Idem p. 261, 7 'cernere amittere. Varro gerontodidascalo (189 B.) «non vides apud (Ennium add. Aldina) esse scriptum: *ter* . . . *vitam* cernere . . . parere?».' Accurate ex Euripide expressa 250 *ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ.*

VI (264) Cicero pro Rabirio Post. 11, 29 'nemo nostrum ignorat, etiam si experti non sumus, consuetudinem regiam. regum autem sunt haec imperia «animadverte ac dicto pare» (trag. inc. 156 R.) et «praeter rogitatum si pie» (ibid. 158) et illae minae «si . . . *hoc* offendero moriere», quae non ut delectemur solum legere et spectare debemus, sed ut cavere etiam et fugere discamus.' Idem ad Att. VII 26, 1 'omnia erant facta hoc biduo laetiora: itaque fuga quae parabatur repressa est; Caesaris interdicta «si . . . *hic* offendero» respuuntur.' Ad Ennii Medeam versum rettulit Scaliger coniect. in Varr. de l. L. p. 110 nec potest dubitari: ita e Graecis conversus est (352): *εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονός, θανεῖ.* Sed idem etiam illa 'animadverte' et 'praeter rogitatum' ad eandem fabulam scenamque refert, quorum vix similia sunt e Graecis quae attulit exempla.

---

262 vitam cernere: *cf. ann.* 196 vitam cernamus utrique

VII

MEDEA (365—375)

266 Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio.
Nam ut ego ill*i* supplicarem tanta blandiloquentia,
268 Ni ob *r*em?

269 Qui volt *esse* quod volt, ita dat se res, ut operam dabit.
Ille traversa mente mi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam atque illi perniciem dabo,
Mihi maerores, illi luctum, exitium illi, exilium mihi.

VII (266) Cicero de nat. deor. III 25, 65 'Balbus interpellare te inquit Cotta nolo sed sumemus tempus aliud; efficiam profecto ut fateare. sed «nequaquam (266) istuc istac ibit (ista*ibit eras. c Voss. B istaibit Voss. A Vind. sed hic in mg. m. alt. ist*aec eras. h)... *illis*.. *blandi loquenti aniobem* (aniobe Voss. B)» (multa intercepta esse, et quidem post sed, non ante sed, manifestum est et iam in codicibus optimis in margine adnotatum). [26,66] parumne ratiocinari videtur et sibi ipsa nefariam pestem machinari? illud vero quam callida ratione «qui *volt quod* volt (vult bis Voss. B) . . . dabit» (269). qui est versus omnium seminator malorum. «ille (270) . . mihi . . . perniciem (271; ante corr. permiiem Voss. A Vind. et ita vel permitem Voss. B, quae videntur ad formam permiciem vel permitiem redire) . . merores . . *exitum* (exitium corr. Vind. Voss. B) . . mihi». hanc videlicet rationem, quam vos divino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiae non habent. [67] videsne igitur, quanto munere deorum simus adfecti? atque eadem Medea patrem patriamque fugiens «postquam pater adpropinquat iamque paene ut conprehendatur parat, puerum interea obtruncat membraque articulatim dividit perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia ut dum nati dissipatos artus captaret parens, ipsa interea effugeret, illum ut maeror tardaret sequi, sibi salutem ut familiari pareret parricidio» (trag. inc. XCIII R.). huic ut scelus sic ne ratio quidem defuit.' Versus 266—272 ex Medea promptos Cicero ipse indicavit: similemque sententiarum tenorem Medeae Euripides tribuit a v. 364 *κακῶς πέπρακται πανταχῇ· τίς ἀντερεῖ; ἀλλ' οὔτι ταύτῃ ταῦτα, μὴ δοκεῖτέ πω. ἔτ' εἴσ' ἀγῶνες τοῖς νεωστὶ νυμφίοις καὶ τοῖσι κηδεύσασιν οὐ σμικροὶ πόνοι. δοκεῖς γὰρ ἄν με τόνδε θωπεῦσαί ποτε, εἰ μή τι κερδαίνουσαν ἢ τεχνωμένην; οὐδ' ἂν προσεῖπον οὐδ' ἂν ἡψάμην χεροῖν. ὁ δ' εἰς τοσοῦτον μωρίας ἀφίκετο, ὥστ' ἐξὸν αὐτῷ τἄμ' ἑλεῖν βουλεύματα γῆς ἐκβαλόντι, τήνδ'*

---

267 illi *Ribbeckius, ut est in Graecis* 368 *τόνδε*: illis 268 Ni ob rem *scripsi* (*pro* niobem) *accommodate ad Graeca* 369 *εἰ μή τι κερδαίνουσαν, non minus ad usum Latinum, quo usu vel Terentius scribit Phorm.* 526 Non pudet vanitatis? ‖ Minume, dum ob rem. *Haec proposui totamque horum versuum rationem dedita opera explicui in prooem.* 1877; *similem, non comparem sententiam a.* 1879 (*'Rev. de philol.'* III *p.* 80) *attulit L. Havetus* 269 esse *ex deterioribus paucis add. Davisius*

VIII

MEDEA

273 Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequiquam sapit.

IX

MEDEA (476—482)

274 Non commemoro quod draconis saevi sopiv*i* impetum,
Non quod dom*ui vim tau*rorum et segetis armatae manus.

ἀφῆκεν ἡμέραν μεῖναί μ᾽, ἐν ᾗ τρεῖς τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν νεκροὺς θήσω, πατέρα τε καὶ κόρην πόσιν τ᾽ ἐμόν. Cf. 398 *πικροὺς δ᾽ ἐγώ σφιν καὶ λυγροὺς θήσω γάμους, πικρὸν δὲ κῆδος καὶ φυγὰς ἐμὰς χθονός.* Et universe Ennianorum versuum origo Euripidea nec Osannum fugit (anal. crit. 1816 p. 117 sqq.) neque Elmsleium ad Eurip. Medeam 359. 365. Qua parte in singulis Enniana ratio ab Euripidea discesserit, l. i. c. exposui. V. 269, qui nullum sui similem habet in Graecis, tamen, ut egregie quadrat in hanc Medeae deliberationem, ita dubitari non potest quin a Cicerone ex eodem loco quo reliqui petitus sit. Quos vero versus Cicero 26, 67 de eadem quidem Medea sed alia occasione elatos (patrem patriamque fugiens inquit) affert, de quibus saepe falso iudicatum est, eos apparet ab Ennii Medea alienos esse.

VIII (273) Cicero ad fam. VII 6, 2 supra ad IV adscr. Idem de off. III 15, 62 'haec igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. ex quo Ennius «nequiquam sapere sapientem, qui ipse sibi prodesse non quiret». vere id quidem, si quid esset prodesse mihi cum Ennio conveniret.' Similis versus in Euripidis Medea non exstat, sed exstat similis sententiae versus Euripideus *ἀδέσποτος* quem idem Cicero affert cum scribit ad fam. XIII 15, 2 'itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera praecepta *Εὐριπίδου* «*μισῶ σοφιστήν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός*», quem versum senex Precilius laudat egregie et ait posse eundem et *ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω* videre et tamen nihilo minus *αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.*' A quo versu, de quo vide Nauckium trag. fragm. 905 II, si suum Ennius convertit, non inepte suam alienis Medeam locupletavit: nam condigna est Medea sententia et optime locum obtinebat in ea *ῥήσει* ex qua vv. 266—272 petiti sunt; velut apud Euripidem a v. 400 ita loquitur: *ἀλλ᾽ εἶα· φείδου μηδὲν ὧν ἐπίστασαι, Μήδεια, βουλεύουσα καὶ τεχνωμένη κτλ.*

IX (274) Charisius IV p. 284, 9 K. 'fit schema dianoeas . . . per paralipsim, in quo cū nolumus negantes aliquid indicare tamquam «non *com* | *moro* (commemoro ed. princ.) q *latroni statui oppressi et dom* | *ista* (et domus ista ed. princ.) *uirorū* et segetis *armata* manus».' Idem p. 286, 7 'negando, cum quid negantes volumus inducere atq, impperantes beneficia q̄ audiens | noscat «n̄ *memoro* q | *conis* (cognoscat non memoro quod draconis ed. princ.) *sęui sopiuit impetū non* q *domauit uiros* et segetis *armatę* manus».' Ex his scripturis recte coniunctis prodit paene quam supra posui scripturam. Quae verba non potuit nisi Medea eloqui, eaque tam prope accedunt ad ea quae Euripidis Medea in sua causa exponit a v. 476

---

274 sopivi *Fabricius* 275 domui vim taurorum *Lindemannus*

X

MEDEA (502—504)

276 Quo nunc me vortam, quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne anne ad Peliae filias?

XI

IASON (530. 531)

278 Tu me amoris magis quam honoris serva*vi*sti gratia.

ἔσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος, πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην ζεύγλαισι καὶ σπεροῦντα θανάσιμον γύην, δράκοντα δ' ὃς πάγχρυσον ἀμπέχων δέρας σπείραις ἔσῳζε πολυπλόκοις ἄυπνος ὤν, κτείνασ' ἀνέσχον σοὶ φάος σωτήριον, ut Welckero (trag. Graec. p. 1378) assentiendum videatur, haec, utpote ab Euripidis Medea conversa, Ennii esse et in Ennii Medea locum habuisse. quod si est, egregie poeta Romanus Medeam hoc schemate dianoeas utentem fecit, ea vi scilicet, quam grammaticus dicit verbis quidem obscuris ac mutilis, ut 'improperaret beneficia' quibus Iasonem impertivit cum ita dicit 'non commemoro quae tuae salutis causa feci, quippe quae nemo sit Argonautarum qui nesciat' (cf. Eurip. 476).

X (276) Cicero de orat. III 58, 217 'aliud vocis genus iracundia sibi sumat . . . aliud miseratio ac maeror, flexibile plenum interruptum flebili voce «quo . . vortam (Abr. Harl. vertam ceteri) . . . paternamne (ne om. integri) a. ad Peliae (appellare mutili) filias» et illa [92 sqq.].' Haec Enniana esse, ex Euripidis Medea translata Columna intellexit: apud quem cum dicat 502 *νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους; οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην; ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν δέξαιντό μ' οἴκοις ὧν πατέρα κατέκτανον*, schemate usa est Graecis Romanisque perfamiliari; sed eius schematis esse proprium videtur, ut interrogationi subiiciatur responsum, quo responso negatur id fieri posse quod erat in interrogatione; ut apud Eurip. et hoc loco et aliis (suppl. 1094 sqq. Hercul. 1283 sqq. Sophocl. Aiac. 460 sqq.), ut Ariadna Catulli lamentatur 177 'nam quo me referam, quali spe perdita nitor? Idomeneosne petam montes? ah gurgite lato discernens ponti truculentum ubi dividit aequor? an patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui' eqs. (cf. Sallust. Iug. 14, 17). Diodorus XIII 31, 1 *ποῖ γὰρ ἄξιον τούτοις καταφυγεῖν; πρὸς θεούς; ὧν τὰς πατρίους τιμὰς ἀφελέσθαι προείλοντο; πρὸς ἀνθρώπους; οὓς δουλωσόμενοι παρεγένοντο*; ut mittam alia et vulgata. Unde vereor ne Cicero, ut solet, non plena Ennii verba attulerit, et post domum paternamne quod fuerit responsum interceptum sit.

XI (278) Cicero Tusc. disp. IV 32, 69 'quid ait ex tragoedia princeps ille Argonautarum? «tu me amoris . . . *servasti* gratia». quid ergo, hic amor Medeae quanta miseriarum excitavit incendia. atque ea tamen apud alium poetam (inc. 175 R.) patri dicere audet, se coniugem habuisse «illum, Amor quem dederat qui plus pollet potiorque est patre».' Graeca Euripidis

---

278 servavisti *Cratandrina*

XII

279 Utinam ne umquam Mede Col*ch*is cupido corde pedem extulisses

XIII

280 Sol, qui candentem in caelo sublimat facem

XIV

281 fructus verborum aures aucupant

XV

MEDEA (1069. 1070)

282 salvete, optima corpora,
Cette manus vestras measque accipite.

530 *ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασε τόξοις ἀφύκτοις τοὐμὸν ἐκσῷσαι δέμας* comparavit Columna.

XII (279) Nonius p. 297, 18 'efferre significat proferre. Virgilius . . . et lib. II (657) «mene efferre pedem genitor (te posse relicto sperasti)». Lucilius . . Ennius Medea «utinam . . mede *cordis* . . . extulisses».' Videntur chori verba, referuntque ad 431 *σὺ δ' ἐκ μὲν οἴκων πατρῴων ἔπλευσας μαινομένᾳ καρδίᾳ*; sed si recte intelligo verba sane mendosa, in quibus summa vis est verborum cupido corde, haec sententia magis videatur convenire chori cantui qui a v. 627 incipit: *ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν ἐλθόντες οὐκ εὐδοξίαν οὐδ' ἀρετὰν παρέδωκαν ἀνδράσιν.*

XIII (280) Nonius p. 170, 10 'sublimare extollere. Ennius Medea «Sol . . . facem».' Quae ad Aegei iusiurandum, puto, pertinent, 752 *ὄμνυμι Γῆν καὶ λαμπρὸν Ἡλίου φάος θεούς τε πάντας*; poteratque sic suppleri versus Audiat Sol, qui . . . sublimat f. Cf. Aen. IV 607 sqq.

XIV (281) Nonius p. 467, 13 'aucupavi activum positum pro passivo . . . Ennius Medea (media Bamb.) «fructus . . aucupant».' Qui fructus verborum dicantur (vulgatur fluctus) Seneca docere potest ad Marc. 12, 2: quare haec vera arbitror referoque sic suppletum versum 'sed frustra fructus verborum a. a.' ad ea quae apud Euripidem Medea choro dicit consilia sua expositura 772 *πάντα τἀμά σοι βουλεύματα λέξω· δέχου δὲ μὴ πρὸς ἡδονὴν λόγους.*

XV (282) Nonius p. 84, 33 'cette significat dicite vel date ab eo quod cedo . . . Ennius in Medea «salvete . . . accipite».' Cf. Med. Euripid.

---

279 mede *tot litteris scriptum visum est* Medeae *nomen esse: quam formam nominis Meinekius ostendit et probavit anal. Alexandr. p.* 46, *cf. nunc Useneri 'Götternamen' p.* 161 Colchis *Lipsius epist. quaest.* IV 19: cordis extetulisses *Buechelerus, ut anapaesti sint, quos pro trochaeis habere malim: cf. ad* 309 280 sublimas *Columna, quo nihil opus erat, ne in invocatione quidem Solis: cf. ann.* 620 282. 283 *De metris dubito* corpora*:* nata simul, moritura simul, simul ite sub undas

XVI

CHORUS (1251—1254; 1258 sq.)

284 Iuppiter tuque adeo, summe Sol, qui res omnis *s*picis,
Quique tuo *cum* lumine mare terram caelum contines,
Inspice hoc facinus, prius quam fi*a*t, prohibess*is* scelus.

1069 *παῖδας προσειπεῖν βούλομαι. δότ' ὦ τέκνα δότ' ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χέρα.*

XVI (284) Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 16, 2 Keil. 'principio caelum ac terram camposque liquentes (Aen. VI 724): . . . Aemilius Asper cum hunc locum adnotaret sic ait: haec membra naturae sic solet iungere ut in tria dividat: nam et alibi «maria ac terras caelumque profundum» (georg. IV 222; ecl. 4, 51) et Homerus similiter (Il. XVIII 483) *ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανόν, ἐν δὲ θάλασσαν.* sed et Homerum ipso hoc loco possumus probare quattuor elementorum mentionem fecisse . . . similiter et Ennius in Medea exule in his versibus «Iuppiter . . . *inspicis* q. *tuo lumine* . . . priusquam *fit prohibesse et* (et om. Vat.) scelus». nam et hic Iuppiter et Sol pro igni, qui mare et terram et caelum continet, ut non dubie caelum pro aere dixerit.' Euripidis versus 1251 sqq. *ἰὼ Γᾶ τε καὶ παμφαὴς ἀκτὶς Ἀελίου, κατίδετ' ἴδετε τὰν ὀλομέναν γυναῖκα, πρὶν φοινίαν τέκνοις προσβαλεῖν χέρ' αὐτοκτόνον* iam Scaliger coniect. in Varr. de l. L. p. 110 contulit. Adde 1258 sq. *ἀλλά νιν, ὦ φάος διογενές, κάτειργε κατάπαυσον κτλ.* Ennius quod scribit 'qui res omnis spicis'

---

corpora *blandiens ait minister Remum et Romulum in undis mergens Ovid. fast.* II 404; *apud eundem* fidissima corpora *Cadmus socios occisos adloquitur met.* III 58 *Haupt.* 284. 285. 286 *Quadratos restituit G. I. Vossius castig. p.* 40 284 Sol *ex hoc versu in alterum transponens L. Havetus ('Rev. de philol.'* III 1879 *p.* 80) *nulla praeterea mutatione adhibita hanc orationem effecit* tuque adeo summe, qui res omnis inspicis Quique tuo Sol lumine, *miro sane ac vix credibili positu nominis.* grates tibi ago, summe Sol *ait Scipio in Cic. de re p.* VI 9, 9 spicis *scripsi*: inspicis *Cf. ann.* 421; *Paulus Festi p.* 2, 8 *Th.* auspicium ab ave spicienda: nam quod nos cum praepositione dicimus 'aspicio', apud veteres sine praepositione 'spicio' dicebatur. *Festus p.* 514, 29 *Th.* spiciunt antiquos di | . . . testis est Cato *eqs. Varro de l. L.* VII 12 285 cum *addidi usumque praepositionis vindicare studui mus. Rhen.* XIV *p.* 566 *Cf. ann.* 543 arcet (*id est* continet) terram mare caelum; *Plaut. Amphitr.* 1055 videntur omnia, mare terra caelum, consequi; *trin.* 1070 mare terra caelum, di vestram fidem; *Seneca Herc. Oet.* 461 mare terra caelum et Tartarus; *Cicero de fin.* V 4, 9 ut nulla pars caelo mari terra, ut poetice loquar, praetermissa sit; *Tusc. disp.* V 36, 105 286 qui res omnis spicis Inspice, *ut ἴδω . . εἰσίδω; ὁρῶ . . οὐκέτ' εἰσορῶ; ὅρα . . εἰσόρα Soph. Electr.* 267. 268; 610. 611; 580. 584 hoce *Usenerus* fiat *olim corr.* prohibessis *Bothius* prohibesseis *Fleckeisenus: cf. Cic. de legg.* III 3, 6 prohibessit; III 3, 9 prohibessint; *Plaut. Pseud.* 14 prohibes-

XVII

287 Asta atque Athenas anti*c*um opulentum oppidum
Contempla et templum Cereris ad laevam aspice.

MELANIPPA

I

289 Cert*ati*o hic est nulla quin monstrum siet:
Hoc ego tibi dico et coniectura auguro.

II

HELLEN AEOLO

291 Mi ausculta, nate, pueros crem*it*ari iube

fortasse simul memor erat Homerici *Ζεῦ πάτερ . . . Ἠέλιος ϑ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς*. De sententia cf. etiam Diodorum fragm. l. XXXVII 19, 4 *καὶ τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνατείνοντας ἐπικαλεῖσϑαι τὸν πάντων ἐφορῶντα τὸν βίον τῶν ἀνϑρώπων Ἥλιον σῶσαι ψυχὰς νηπίων παίδων.*

XVII (287) Nonius p. 470, 4 'contempla . . . Ennius Medea «asta atque (a t q; a t q; Bamb.) A. *antieum* opulentum (o p u l e n t e u m Leid. Bamb.) o. contempla».' Varro de l. L. VII 9 'in hoc templo faciundo arbores constitui fines apparet et intra eas regiones qua oculi conspiciant, id est tueamur, a quo templum dictum et contemplare, ut apud Ennium in Medea «contempla . . . levam aspice». contempla et conspicare idem esse apparet.' Duos versus ut in unum coire manifestum est ita coniunxit primus Scaliger. In Euripidis Medea nihil simile: referunt ad alteram Ennii Medeam.

MELANIPPA I (289) Nonius p. 469, 6 'auguro Accius (497 R.) «atque ea coniectura auguro». . . . Ennius *menalippo* (m e l a n i p p o Leid. m. pr. M e l a n i p p a Columna) «*certo* . . nulla (n u l l u m Wolf., e corr. Harl.) . . . auguro».'

II (291) Nonius p. 246, 11 'auscultare est obsequi . . . Ennius *menalippa* «mihi . . *cremari* iube».' Quae apud Gregorium Cor. (rhetor. Gr. VII p. 1313 Walz.) *τῆς σοφῆς Μελανίππης ἱστορία* narratur *Ἕλληνος τοῦ Διὸς Αἴολος τεκνωϑεὶς . . ἐγέννησε . . ἐκ τῆς Χείρωνος ϑυγατρὸς Ἵππης κάλλει διαφέρουσαν Μελανίππην· αὐτὸς μὲν οὖν φόνον ποιήσας ἐπ' ἐνιαυτὸν ἀπῆλϑε φυγάς, τὴν δὲ Μελανίππην Ποσειδῶν διδύμων παίδων ἔγκυον ἐποίησεν· ἡ δὲ διὰ τὴν τοῦ πατρὸς προσδοκίαν τοὺς γεννηϑέντας εἰς τὴν βούστασιν ἔδωκε*

---

sit*; Cato de agri cult.* 141, 2 prohibessis defendas 287 antiquum *edd.* anticum *Rothius*: antieum 289 Certatio *Passeratius*: certo *Cf. Terentius hecyr.* 650 nulla tibi hic iam consultatio est 291 Mi ausculta*: cf. Plaut. Casin.* 204 tace sis stulta et mi ausculta*; Ter. hautont.* 585 vin tu homini stulto mi auscultare*; Cic. pro Rosc. Am.* 36, 104 mihi ausculta: vide ne tibi desis cremitari *Bothius*: cremari *Iterativae formae verborum ut saepius permutantur cum primitivis* (*cf. ad ann.* 621 *scen.* 217. 224*; testes variant ann.* 307 *scen.* 24) *ita quaedam*

III

292 Lumine sic tremulo terra et cava caerula candent

IV

293 cum saxum sciciderit

V

294 stata forma

τῇ τροφῷ θεῖναι κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ κατασπείραντος. ὑπὸ δὲ τὴν κάθοδον τοῦ δυνάστου τὰ βρέφη τινὲς τῶν βουκόλων φυλαττόμενα μὲν ὑπὸ τοῦ ταύρου, θηλαζόμενα δὲ ὑπὸ μιᾶς τῶν βοῶν ἰδόντες ὡς βουγενῆ τέρατα τῷ βασιλεῖ προσήνεγκαν· ὁ δὲ τῇ τοῦ πατρὸς Ἕλληνος γνώμῃ πεισθεὶς ὁλοκαυτοῦν τὰ βρέφη κρίνας Μελανίππῃ τῇ θυγατρὶ προσέταξεν ἐνταφίοις αὐτὰ κοσμῆσαι. ἡ δὲ καὶ τὸν κόσμον αὐτοῖς ἐπέθηκε καὶ τὸν λόγον εἰς παραίτησιν ἐξέθηκε φιλότιμον, ex ea intelligitur Ennii verba Hellenis esse Aeolum filium monentis ut pueros cremari iubeat. (Cf. Dionys. Halic. ars rhet. v p. 356 R. p. 94 Useneri). Eidemque Helleni malim etiam versus duos primos (I) quam uni pastorum repertos in stabulo pueros nuntianti attribui.

III (292) Macrobius Sat. VI 4, 7 'splendet tremulo sub lumine pontus (Aen. VII 9). tremulum lumen de imagine rei ipsius expressum est. sed prior Ennius in Melanippe «lumine ... candent».' Ad Melanippae *ῥῆσιν* physicam pertinere crediderim, cuius est fr. 484 Nauck. II. alii aliter.

IV (293) Priscianus x p. 517, 10 H. 'scindo scidi. vetustissimi tamen etiam scicidi proferebant, quod solum quoque in usu esse putat Asmonius ... sed errat. nam Lucanus .. scidit ponit .... sed Afranius more antiquo dixit .. (227 R.) «... scicidistis colus». Accius Sotadicorum I «num ergo aquila ita ut hi praedicant sciciderat (ea) pectus?» ... Ennius in Melanippa (menalippa Bamb. Bern.) «cum s. sciciderit (sciściderit Par. R)».' Gellius VI 9, 15 'praeterea inveni a verbo scindo simili ratione non sciderat sed sciciderat dictum esse. [16] L. Accius in Sotadicorum libro I sciciderat dicit. verba haec sunt «num ..... pectus?» [17] Ennius quoque Valerius Antias in libro historiarum LXXV verba haec scripsit «deinde funere locato ad forum descendidit».' Defectum patefacit Priscianus, nec fugit I. Gronovium.

V (294) Gellius v 11, 11 'inter pulcherrimam feminam et deformissimam media forma quaedam est quae et a nimiae pulchritudinis periculo et a summae deformitatis odio vacat; [12] qualis a Quinto Ennio in Melanippa

---

habent singularia: aditavere (*scen.* 425) *semel Ennius;* halitantes *semel idem* (*scen.* 184)*;* palitantes *vel* balitantes *singulare utrumque Plautus Bacch.* 1123*;* paritare *unus Plautus et raro;* multitare *semel Cato apud Gell.* x 23, 4*;* discrepitare nominitare *ut metro aptaret Lucretius finxit* (nominitare *Buecheler. carm. epigr.* 959, 1)*;* curitare *Apuleius;* pugnitare *Paulus ex Festo* 292 *In hexametro non esse offendendum* (*cf.* 367)*, Euripidis exemplum docere potuit hexametros vel singulos vel plures coniunctos exhibentis in tragoediis velut Helen.* 164. 165. *Troad.* 595—602

VI

295 Regnumque nostrum ut sospitent superstitentque

NEMEA

I

296 Pécudi dare vivam marito

II

297 Teneór consaepta, undique venor

PHOENIX

I

AMYNTOR

298 Stultus est, qui cupida *mente* cupiens cupienter cupit

perquam eleganti vocabulo «stata (tecta Vat.)» dicitur, quae neque κοινὴ futura sit neque ποινή ... [14] Ennius autem in ista quam dixit tragoedia eas fere feminas ait incolumi pudicitia esse, quae «stata forma» forent.' Versus formam recuperare olim Ribbeckius (trag. Rom. p. 180), nuper Buechelerus apud Ribb. (trag. ed. III) studuerunt. Ennii sententia ad Melanippam quid valeat apparet, quae et κάλλει διαφέρουσα ferebatur et a Neptuno corrupta.

VI (295) Nonius p. 176, 3 'sospitent salvent. Ennius Melanippa (menalippa Wolf.) «regnumque *n. s.* superstitentque».' Idem p. 170, 13 'superstitent salvent. Ennius Melanippa «regnumque *n. ut s.* superstitentque».' Cf. C. Gl. L. VII p. 282.

NEMEA I (296) Priscianus V p. 171, 4 H. 'hic et haec et hoc pecus. Ennius in Nemea (nemia Lugd.) «pecudi d. vivam (viva pauci deteriores) m.». potest tamen figurate hoc esse prolatum, ut si dicam aquila maritus vel rex avium.'

II (297) Nonius p. 183, 13 'venor circumvenior. Ennius Nemea «teneor consepta (concepta Wolf.) u. venor».' Paulus Festi p. 43, 37 Th. 'consiptum apud Ennium pro conseptum invenitur', sed idem p. 45, 15 'consiptum clavis praefixum.' Ut dubites quam recte hae duae glossae ad Nemeae versum referantur: in quo consipta scribi iubent Scaliger coniect. in Varr. de l. L. p. 107 et G. I. Vossius castig. p. 36.

PHOENIX I (298) Nonius p. 91, 7 'cupienter cupidissime ... Ennius foenice «stultus .. *cupida cupiens* c. cupit».'

---

295 *Aut* que *delent aut versum unum in duo discerpunt, utrumque opinor falso; si quidem* que *non minus recte elidetur quam* atque *apud Pacuvium quem crediderunt* (*inc. inc. fab.* 191 *Ribb.*) situ nigroris barba paedore horrida atque Intonsa *et saepius apud Terentium: cf. prooem.* 1878 *p.* 6 *Plaut. asin.* 17 tuae superesse vitae sospitem et superstitem 298 mente *addidi* (*prooem.* 1888/89 *p.* 16); *cf.* cupido corde

II

AMYNTOR

299 Néque tu *meum* umquam in gremium extollas liberorum ex te genus.

III

PHOENIX

300 Sed virum vera virtute vivere animatum ad*d*ec*e*t
Fortiterque innoxium *st*are adversum adversarios.
302 Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat:
Aliae res obnoxiosae nocte in obscura latent.

IV

AMYNTOR

304 Tum tu isti crede *t*e atque exerce linguam ut argutarier
Possis

II (299) Cicero orat. 46, 155 'itaque idem poeta, qui inusitatius contraxerat (59) «patris mei meum factum pudet» pro meorum factorum et (66) «texitur: exitium examen rapit» pro exitiorum, non dicit liberum. ut plerique loquimur ... sed ut isti volunt «neque *tu* (tuū Abrinc.) *umquam* ... genus» et idem (165) «namque Aesculapi liberorum». at ille alter in Chryse [Pacuv. 80 R.]' eqs. Quae est exsecratio Phoenicis quam narrat ipse Il. IX 453 *πατὴρ δ' ἐμὸς . . πολλὰ κατηρᾶτο . . μήποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα*: itaque Enniana verba ad Phoenicem eius rettulit Elmsleius ad Med. 785.

III (300) Gellius VI 17, 1 'quid significaret obnoxius quaeque eius vocabuli origo ac ratio esset .... [10] iam vero illud etiam Q. Ennii quo pacto congruere tecum potest quod scribit in *phonice* in hisce versibus «sed virum ... animatum (anima tum Vat. Par.) *adiecit* fortiterque (q̄ Rott.) innoxium *vocare* (vacare Par.) .... obnoxiose (obnoxio se Par. obnoxie se Rott.) ... latent».'

IV (304) Nonius p. 245, 27 'argutari dicitur loquacium pro loqui. En-

---

279, *et Catull.* 64, 147 *De sententia cf. Plauti Pseud.* 683
299 meum *addidi sententiamque ad Homericum versum accommodavi; cf. Ter. adelph.* 333 qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris 300 addecet *L. Carrio*: adiecit 301 stare (*pro* vocare) *Buechelerus et quod post compertum est* (*mus. Rhen.* XXXV *p.* 633) *Bentleius; cf. Cic. Lucull.* 45, 137 cum Carneades et Diogenes ad senatum in Capitolio starent*; Eurip. Iphig. Taur.* 961 *ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἧκον, ἐς δίκην τ' ἔστην* adversum*: cf. scen.* 338 302 Ea libertas est, qui*: cf.* 269 *et prooem.* 1877 *p.* 8 *sq.* 303 obnoxiosae *Acidalius* 304 crede te *Hauptius opp.* III *p.* 375: credere linguam modo et vocem exercerent *Tacitus dial.* 31*;* turpes litibus exercent linguas *Ovid. met.* VI 375

V

PHOENICIS ET AMICORUM V—VIII

306 Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit.

VI

307 Saeviter suspicionem ferre falsam futtilum est.

VII

308 Plus miser *si*m si scelest*u*m faxim quod dicam fore

VIII

309 Ut quod factum est futtile, amici, vos f*e*ratis fortiter.

IX

310 Ibi tum derepente ex alto in altum despexit mare.

nius *quo enicetum* (Phoenice «tum Columna) tu i. *credere* (crede Leid. Harl. Par.) atque e. *lingua* (linguam Bern. alt. Montepess.) . . possis».' Amyntoris esse putabam Phoenicis *παρρησίαν* cum acerbitate cavillantis, ita quidem ut, qui causam suam vincere verbis cupiat, eum isti se tradere iubeat et eo duce exercere linguam: ad eum fere modum quo Ter. adelph. 372 'huic mandes, si quid recte curatum velis,' et quae similia occurrunt in comoedia.

V (306) Nonius p. 512, 6 'duriter pro dure . . . Ennius foenice (fenice) «quam . . . dedit».' Charisius II p. 197, 25 K. 'duriter Terentius in adelphis [45]: ubi Acron secundum antiquorum inquit consuetudinem. nam et Ennius in poenice «quam . . . dedit».'

VI (307) Nonius p. 511, 5 'saeviter pro saeve . . . Ennius *fonice* (foenice, fenice) «saeviter . . . futtilum (futilum) est».' Cf. C. Gl. L. VII p. 223.

VII (308) Nonius p. 507, 22 'faxim fecerim. Ennius fenice (foenice) «plus m. *sum* si *scelestim* . . . fore».' Haec nisi fallor lucem accipiunt ex Il. IX 458 ubi haec de se Phoenix *τὸν μὲν* (patrem) *ἐγὼ βούλευσα κατακτάμεν ὀξέι χαλκῷ· ἀλλά τις ἀθανάτων παῦσεν χόλον, ὅς ῥ' ἐνὶ θυμῷ δήμου θῆκε φάτιν καὶ ὀνείδεα πόλλ' ἀνθρώπων, ὡς μὴ πατροφόνος μετ' Ἀχαιοῖσιν καλεοίμην*.

VIII (309) Nonius p. 514, 13 'futtile futtiliter. Ennius foenice «ut . . . futtile (futile) . . *fueratis* f.».' Phoenicis consultatio cum amicis instituta, ad quam v. VI. VII. VIII refero, haud scio an aliquid coloris duxerit item ex Homerica narratione Il. IX 464 *ἦ μὲν πολλὰ ἔται καὶ ἀνεψιοὶ ἀμφὶς ἐόντες αὐτοῦ λισσόμενοι κατερήτυον ἐν μεγάροισιν κτλ.*

IX (310) Nonius p. 518, 5 'derepente . . . Ennius foenicae (phenice Bamb.) «ibi . . . mare».'

---

306 *Cf. scen.* 207 308 sim *Delrio*: sum scelestum *ed. princ.*: scelestim *Dicit* si fecerim scelestum quod dicam fore*; velut Plautus* (*trin. prol.* 2) sed finem fore quem dicam nescio *consueta veteribus circumitione* 309 fúttile amici*: de dactylo dixi Herm.* XVII *p.* 604 *sq. Cf. scen.* 12 nátu' sum amícitiam*;* 55 virginali modestia*;* 225 delinquis ego arguor*;* 279 córde pedem éxtulisses, *cf.* 273 feratis *ed. princ.*: fueratis

TELAMO

I

311 Strata terrae lavere lacrumis vestem squalam et sordidam

II

TELAMO

312 Ego cum genui tum morituros scivi et ei rei sustuli,
Praeterea ad Troiam cum misi ob defendendam Graeciam,
Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.

TELAMO I (311) Nonius p. 172, 19 'squalam (squalem Wolf. m. pr.) pro squalidam Ennius *talamone* «strata *terrae lavere* (terra elavere Wolf. terra lavere Flor. m. pr.) lacrimis v. *squalam* (squalem Wolf. m. pr.) et sordidam».' Idem p. 504, 4 'lavit pro lavat . . . lavere inde tractum est. . . Ennius Telamone «strata *terra* (terrae Par.) *labere* lacrumis v. *squalidam* (squalem Par. m. pr.) et sordidam».' Aiacis matrem Eriboeam puto dici, quae accepta morte filii non desinit, narrante nescio quo, 'strata terrae lavere lacrumis vestem.' Hoc fore Aiax Sophocleus 848 sqq. praedixit ipse: *ἄγγειλον* (Solem appellat) *ἄτας τὰς ἐμὰς μόρον τ' ἐμὸν γέροντι πατρὶ τῇ τε δυστήνῳ τροφῷ. ἦ που τάλαινα, τήνδ' ὅταν κλύῃ φάτιν, ἥσει μέγαν κωκυτὸν ἐν πάσῃ πόλει.* Cf. 507. 625 sqq.

II (312) Cicero Tusc. disp. III 13, 28 'videntur enim omnia repentina graviora. ex hoc et illa iure laudantur «ego . . . *morituros* s. et *ei* rei . . . *sciebam* (314) me in *mortiferum bellum* . . . mittere». [14, 29] haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum quae venientia longe ante videris. itaque apud Euripiden a Theseo dicta laudantur . . . «nam qui haec audita a docto meminissem viro, futuras mecum commentabar miserias . . .». [30] quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides. fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse «sciebam me genuisse mortalem».' Idem ibid. 24, 58 'atque hoc idem et Telamo ille declarat «ego cum genui» et Theseus «futuras mecum commentabar miserias» et Anaxagoras «sciebam me genuisse mortalem».'
Cf. Plutarch. de cohib. ira 16 p. 463 d (Anaxagoras) *ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ παιδὸς εἶπεν* '*ᾔδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα*'; idem de tranqu. an. 16 p. 474 d. Diogen. Laert. II 55 (Xenophon) '*ᾔδειν θνητὸν γεγεννηκώς.*' Seneca ad Polyb. de cons. 11, 2 'quanto ille iustior qui nuntiata filii morte dignam magno viro vocem emisit «ego . . . *moriturum* scivi». prorsus non mireris ex hoc natum

---

311 terra *an* terrae strata *rectius dicatur in hac discrepantia testimoniorum difficile dignoscitur: Vergilius Aen.* XI 87 sternitur et toto proiectus corpore terrae, *sed Accius in Bruto* (*Cic. de div.* I 22, 44) prostratum terra, *Catull.* 64, 389 terra centum procumbere tauros. *Cf. Heinsius ad Ovid. amor.* III 2, 25 312 morituros*: liberos dicit in universa sententia non plus quam Aiacem intelligens; cf. scen.* 135 *sq. Eurip. Troad.* 1016

III

TELAMO

315 More antiquo audibo atque auris tibi contra utendas dabo.

IV

TELAMO

316 Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus:

esse qui fortiter mori posset. non accepit tamquam novum nuntium filii mortem: quid est enim novi hominem mori, cuius tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est? «ego cum genui tum *moriturum* (morituros Berol.) scivi»; [3] deinde adiecit rem maioris et prudentiae et animi «et *huic* rei sustuli». omnes huic rei tollimur: quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur.' Fronto de bello Parthico p. 217 Nab. 'tam genuit gentem Romanam, aequo animo patitur fatisci nos interdum et pelli et volnerari. an cunctetur de militibus nostris Mars pater illa dicere «ego . . . *morituros* s. et *ei* rei sustuli, praeterea cum ob terrae orbem missi ob defendendum imperium, *scibam* me in *mortifera bella*, non . . mittere». haec verba Telamo Troiano bello de suis liberis semel elocutus est, Mars de Romanis saepe multisque in bellis hoc carmine usus est.' Ciceronem Tusc. disp. III 14, 30 secutus Hieronymus epist. 60 (epitaph. Nepotiani), 5 t. I p. 332 C Vallars. 'ubi illud ab infantia studium litterarum et Anaxagorae ac Telamonis semper laudata sententia «sciebam me genuisse mortalem».'

III (315) Nonius p. 505, 33 'audibo pro audiam. Ennius *telemone* «more a. audibo *neque* (atque Bamb.) . . . utendas (utendos Bamb.) dabo».' pro audiam more antiquo. Ennius cum Gothofredo vel Scaligero Quicheratus: quod speciosum est sed, opinor, non probabile. Intelligo autem more antiquo (cf. Varro Menipp. 303 B. antiquo more, Plaut. rud. 625 more antiquo) de communi more hominum loquendi audiendique commercio iunctorum. Eurip. Heraclid. 182 *ὑπάρχει μὲν τόδ' ἐν τῇ σῇ χθονί, εἰπεῖν ἀκοῦσαί τ' ἐν μέρει πάρεστί μοι.* suppl. 569 *κἀμοῦ νυν ἀντάκουσον, εἰ βούλει, πάλιν. Κ. κλύοιμ' ἄν· οὐ γὰρ ἀλλὰ δεῖ δοῦναι μέρος.* Ad eum morem Telamo qui videtur Teucrum advenientem solum et de morte Aiacis referre cupientem audire se et illi contra quod audiat reddere velle profitetur. Cf. relat. acad. a. 1888 p. 34. De Teucri narratione nihil restat, sed qualis ea fere fuerit, haud scio an aliquam partem ex Telamonis responso cognosci possit: vide ad IV.

IV (316) Cicero de div. II 50, 104 'primum hoc sumitis: si sunt di benefici in homines sunt. quis hoc vobis dabit? Epicurusne? qui negat quicquam deos nec alieni curare nec sui; an noster Ennius? qui magno plausu loquitur adsentiente populo «ego . . . h. genus» (316 sq.). et quidem cur sic opinetur rationem subicit. sed nihil est necesse dicere quae secuntur: tantum sat est intellegi, id sumere istos pro certo, quod dubium controversumque sit.' Idem de nat. deor. III 32, 79 'Telamo autem uno versu locum totum conficit,

---

315 *Cf. Plaut. mil. glor.* 799 ne me surdum esse arbitrare . . ego recte meis auribus utor

318 Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

319 superstitiosi vates inpudentesque harioli,
Aut inertes aut insani aut quibus egestas imperat,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,
322 Quibus divitias pollicentur, ab *i*is drach*u*mam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachumam, reddant cetera.

cur di homines neglegant «nam... abest» (318).' Idem de div. I 58, 132 'nunc illa testabor, non me sortilegos neque eos, qui quaestus causa hariolentur ... agnoscere, non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum. non enim sunt hi aut scientia aut arte divini sed «superstitiosi (319) ... cetera (323)». atque haec quidem Ennius, qui paucis ante versibus «esse deos» censet, «sed eos non curare opinatur quid agat humanum genus».' Ennianos versus a verbis 'sed superstitiosi' incipere intellexit Bothius, verum 'sed' quoque Ciceronis esse potius quam Ennii videtur. Haec de dis et vatibus paene uno tenore a Telamone pronuntiata credibile est Teucri narratione de morte Aiacis (cf. ad III) mota eique opposita esse: certe causam eorum ex Sophoclis Aiace suspicari licet, quam tragoediam Ennii menti obversatam esse quaedam vestigia indicant (cf. V et VII): quae enim ibi nuntius de Calchantis vaticiniis refert 746 et a 750. 758 *τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόνητα σώματα πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις ἔφασχ᾿ ὁ μάντις, ὅστις ἀνθρώπου φύσιν βλαστὼν ἔπειτα μὴ κατ᾿ ἄνθρωπον φρονεῖ* eqs., et quae Tecmessa cruentum Aiacem conspicata lamentatur 950 *οὐκ ἂν τάδ᾿ ἔστη τῇδε μὴ θεῶν μέτα*; 952 sq. et 970, quae denique Teucer ipse de huius caedis causis affert, velut 1036 *ἐγὼ μὲν ἂν καὶ ταῦτα καὶ τὰ πάντ᾿ ἀεὶ φάσκοιμ᾿ ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεούς*: his similes res et sensus si Teucer in sua memoria attulerat, in promptu est, qua re Telamo, qui Teucrum fraternae necis auctorem esse sibi persuasit (v. VII), illa de dis et vatibus cum contumelia effutiat: qui de vatibus sentit prope ut Oedipus (387) de Tiresia *ὑφεὶς μάγον τοιόνδε μηχανορράφον, δόλιον ἀγύρτην, ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσιν μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ᾿ ἔφυ τυφλός*. Quae vero Teucer apud Sophoclem 1026 sqq. de mutuis donis Aiacis et Hectoris et de Hectoris ferro Aiacis occisore narrat, ea fabula Telamonem minime motum esse quin Teucrum patria propulsaret, Lycophro tradit Alex. 462 *οὐ γάρ τι πείσει φῖτυν, ὡς ὁ Λήμνιος πρηστὴρ Ἐνυοῦς .. δυσμενεστάτου ξένων ἔτυψε δώρῳ σπλάγχνον, ἀρνεύσας λυγρὸν πήδημα πρὸς κνώδοντος αὐτουργοὺς σφαγάς· ἐλᾷ δὲ πάτρας τῆλε Τραμβήλου κάσιν*. Cf. ad fab. inc. XIII.

---

322 iis *olim corr.*: his   dracmam *Voss. A* drachman *sed corr.* drag*mā* *Voss. B* dragmam *Vind.*   323 is *Voss. B*   drachumam *Voss. A*, *corr.* dracmam *Vind.* Drachumam *sed corr.* Drag**mā* *Voss. B*
De vera huius nominis ratione vide Ritschelium disputantem opp. II *p.* 469 *sqq.*

V

TELAMO

324 Scibas natum ingen*u*um Aiacem, cui tu obsidionem paras.

VI

TEUCER

325 Nam ita mihi Telamonis patris atque *Ae*aci et proavi Iovis
Gratia e*sse* est atque hoc lumen candidum claret mihi

VII

TEUCER

327 Eandem me in suspicionem sceleris partivit pater.

V (324) Festus ex apogr. l. xiv p. 234, 20 Th. 'obsidionem potius dicendum esse quam obsidium adiuvat nos testimonio suo Ennius in Telamone quom ait «scibas n. *ingenium* . . . paras». item alio loco [scen. 175].'

VI (325) Nonius p. 85, 23 'claret clara est vel clareat. Turpilius . . (152 R.) «cuius adventu insula hodie claret Cypros». Ennius Telamone «nam . . . patris atque *faciet* p. Iovis (tovis Flor. m. pr. Leid.) gratia *ea* est . . . claret (clare Flor. m. pr.) mihi».'

VII (327) Nonius p. 475, 24 'partiret pro partiretur . . . Ennius Telamone «eamdem . . . pater».' Haec est illa suspicio qua se a patre exceptum iri Teucer praevidit in Sophoclis Aiace 1008 cum Aiacem ita appellat *ἦ πού με Τελαμὼν σὸς πατὴρ ἐμός θ' ἅμα δέξαιτ' ἂν εὐπρόσωπος ἵλεώς τ' ἴσως χωροῦντ' ἄνευ σοῦ . . . ποῖον οὐκ ἐρεῖ κακὸν τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον, τὸν δειλίᾳ προδόντα καὶ κακανδρίᾳ σὲ φίλτατ' Αἴας ἢ δόλοισιν, ὡς τὰ σὰ κράτη θανόντος καὶ δόμους νέμοιμι σούς.* ratiocinatur fere ut Pylades in Iphig. Taur. 676 sqq. si Orestem solum mortem oppetere sinat. De Teucro cf. quae schol. ad Pind. Nem. 4, 76 memorat *ὁ γὰρ Τεῦκρος ἐλθὼν μετὰ τὴν ἅλωσιν Ἰλίου ἐν Σαλαμῖνι καὶ ὑπονοηθεὶς ὑπὸ τοῦ Τελαμῶνος ὡς αἴτιος γεγονὼς τοῦ φόνου τῷ Αἴαντι φυγὼν ᾤκισε τὴν Κύπρον.* Ennius quod dicit 'eandem in suspicionem sceleris' intelligitur opinor 'eandem' cum Atridis vel Ulixe, quorum partes primarias fuisse in morte Aiacis Telamo non ignoravit sed ut Teucrum eorum partes adiuvisse insimularet; quem Aiaci 'obsidionem parasse' accusat.

---

324 ingenuum *vulg.*: ingenium paras*: de praesenti cf. quae prooem.* 1886/87 *p.* 17 *memoravi et quae Madvigius opp.* II *p.* 225 325 avi Aeaci et *Bergkius, ex quo* Aeaci (*h. e.* eaci *unde* faci) et *recepi* 326 Gratia astet *vel* adsit *Buechelerus* Gratia ecstet *Ribbeckius: ego* Gratiâ esse (*h. e.* ẽe *pro* ea) est *scripsi et probare studui relat. acad. a.* 1888 *p.* 38 *sq.* *Excipiebat haec ut plena esset asseveratio sententia qualis haec est* ut ego mortis huius insons sum 327 in me *Passeratius, sed verius illud videtur* me in susp. partivit *h. e.* me in partem eiusdem suspicionis adduxit

VIII

328 Deum me sentit facere pietas, civium porcet pudor.

IX

329 Abnuebunt

TELEPHUS

I

TELEPHUS

330 Cedo et caveo cum vestitus squalida saeptus stola

VIII (328) Nonius p. 160, 5 'porcet significat prohibet... Ennius Telamone «deum ... pudor».' Cf. Paulus Festi p. 11, 36 Th. 'porcet quoque dictum ab antiquis quasi porro arcet.' Enniana verba Teucri esse, non Telamonis, certum videtur; sunt autem fortasse ex simili deliberatione ducta, quam Phoenix instituit VI. VII, qui cum Teucro pari sorte est in eo quod uterque falsa patris suspicione violati ultionis consilia ineunt et abiiciunt.

IX (329) Diomedes I p. 382, 14 K. 'apud veteres et abnueo dictum annotamus, ut Ennius octavo annalium [VIII]. idem in telamonem (telamone Mon.) ex eo futurum «abnuebunt (abnuebant Par. B m. pr. abnueb̄ Mon.)».'

TELEPHUS Ex Telephi Euripideae reliquiis pauca comparabilia afferri possunt eaque pridem a doctis collata sunt: multum tamen abest ut Enniana omnia intelligi satis aut explicari possint.

I (330) Nonius p. 537, 25 'stolam veteres non honestam vestem solum sed etiam omnem quae corpus tegeret. Ennius telefo «cedo .. *cum* vestitus s. saeptus (septus) stola». idem in eadem [VIII].' Paulus Festi p. 487, 6 Th. 'squalidum incultum et sordidum, quod proxime similitudinem habeat squamae piscium, sic appellatum.' Festus ' — — | cultum et sord — — | tum quod proximę — — | scium accedit. r — — | diti paludum squ — — | in Telepho

---

328 sentit *quod et hoc loco et aliis in* sancit, sanxit *mutandum censent, rectum habeo et explicare conabar Herm.* XV *p.* 260 *sq. coll. Aen.* X 622 meque hoc ita ponere sentis*; cf. relat. acad. a.* 1888 *p.* 33   330 Cedo et abeo *Madvigius adv.* II *p.* 668, *velut sat.* 53 tempus cedendi et abeundi*; sed* caveo *vix depravatum*   *Possis* vestitus squalida ac saeptus st. *velut* saeptum undique et vestitum vepribus *Cic. Tusc.* V 23, 64*;* oculos membranis vestivit et saepsit *de nat. deor.* II 57, 142*; trag. inc.* 113 *Ribb.* is se circumvestit dictis saepit sedulo. *sed fortasse frustra temptantur et intelligitur* saeptus (*h. e.* tectus, tutatus) squalida stola vestitus mei*: cf. Eurip. Herc.* 413 *κόρας Ἀρείας πέπλων χρυσεόστολον φάρος et quae tetigi prooem.* 1894/95 *p.* 18 *sq.*   cum *in pendenti oratione potest verum esse; sed de Festi* quam *quid iudicandum sit ambigo;* Caedem caveo hoc cum vestitu *praeeunte Geelio Ribbeckius*

II

TELEPHUS

331 Palam muttire plebeio piaculum est

III

332 Et civitatem video Argivum incendere

IV

333 Qui illúm di deaeque magno mactassint malo.

V

334 verum quorum liberi leto dati
Sunt in bello, non lubenter haec enodari audiunt.

VI

336 Deumque de consilio hoc itiner credo conatum modo

«*quā* ve — — | stola».' Eurip. 697 Nauck. II *πτώχ' ἀμφίβληστρα σώματος λαβὼν ῥάκη ἀλκτήρια τύχης* (cf. Helen. 1079 *τάδ' ἀμφίβληστρα σώματος ῥάκη*). Ex his enim Ennius sua ducere potuit: in qua re *ἀλκτήρια τύχης* indicio sunt quid sibi velit 'caveo'. Sed VIII 'regnum reliqui saeptus mendici stola' nec recte primo loco posita sunt ab editoribus nec cum illis Euripideis recte collata.

II (331) Festus ex apogr. l. XII p. 124, 26 Th. 'mutire loqui. Ennius in Telepho «palam mutire p. *piaculum* est».' Paulus 'muttire loqui. Ennius «palam muttire p. *piaculum* est».' Phaedrus III epil. poet. 34 'ego quondam legi quam puer sententiam «palam muttire p. *periculum* est».' Cf. Paulus p. 5, 4 Th. 'quidam amussim esse dicunt non tacite, quod muttire interdum dicitur loqui.' Cf. Euripid. 703 *μή μοι φθονήσητ' ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι, εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσιν λέγειν.*

III (332) Nonius p. 429, 4 'inter urbem et civitatem hoc interest: urbs est aedificia, civitas incolae . . . Ennius telefus (telefo Wolf. et corr. Harl. telefo et telef' inter se permutata) «et . . . incendere».' Cf. Eurip. 712 *ἅπασαν ἡμῶν τὴν πόλιν κακορροθεῖ.* 713 *ὦ πόλις Ἄργους κλύεθ' οἷα λέγει.*

IV (333) Nonius p. 342, 14 'mactare malo adficere significat . . . Pomponius . . (137 R.) «at te di omnes . . mactassint malo». Accius (305 R.) «. . pelopis externis». et Ennius telefo «qui i. dii . . . malo». Afranius . . (264 R.) « . . di te mactassint malo».' Euripid. 720 *κακῶς ὄλοιατ'· ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι.*

V (334) Nonius p. 15, 12 'enoda significat explana . . hoc est nodis exsolve . . . Ennius telefo «verum . . laeto . . . audiunt».'

VI (336) Nonius p. 490, 12 'itiner pro iter. Ennius Telepho (telefo vel telepo) «deumque de (de om. Wolf.) . . . modo».'

---

332 incendere *scil.* eum*; vide Euripidea; quo peius ex Aldina* incendier *propagatur* 335 dati | Sunt*: Plaut. capt.* 884 quia enim item asperae | Sunt ut tuom victum autumabas esse. *Ter. adelph.* 332

VII

337 Te ipsum hoc oportet profiteri et proloqui
Advorsum illam mihi

VIII

TELEPHUS

339 Regnum reliqui saeptus me*n*dici stola.

THYESTES

I

340 Ibi quid agat secum cogitat parat putat

II

341 Sed sonitus auris meas pedum pulsu increpat

III

THESPROTUS

342 Eho tu, di quibus est potestas motus superum atque inferum,
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam

VII (337) Nonius p. 232, 24 'advorsum rursum apud significat . . . Ennius telefo «te . . . mihi».'

VIII (339) Nonius p. 537, 27 'stolam veteres non honestam vestem solum sed etiam omnem quae corpus tegeret. Ennius telefo [I]. idem in eadem «regnum r. septus *medici* stola».'

THYESTES I (340) Nonius p. 369, 25 'putare animo disputare . . . Ennius Thyeste (thieste) «ibi . . . *cogitet* (c o g i t a t Harl. m. pr. Par. Bern. prior) p. putat».'

II (341) Nonius p. 255, 24 'crepare ferire. Ennius in Thyeste «sed . . . increpat».'

III (342) Cicero de inv. I 49, 91 'controversum est in quo ad dubium demonstrandum dubia causa adfertur hoc modo «eho tu di (dii) . . . concordiam».' Rhet. ad Herenn. II 25, 39 'item vitiosum est cum id pro certo sumitur quod inter omnes constat quod etiam nunc in controversia est, hoc

---

in quo nostrae spes opesque omnes sitae | Erant. *Conradtus de compos. Ter. p.* 65 *sqq.* 81*; de Graecorum more I. Bekkerus sched. Hom.* I *p.* 274

337 profiteri *primam productam habere iam G. I. Vossius castig. p.* 89 *adnotavit et post eum multi* 338 Advorsum*: cf.* 301 339 mendici *Iunius*: medici 340 paritat *vel* curat *proponunt metri causa: ego cur nihil mutandum censerem dixi prooem.* 1878 *p.* 10 (*et* 1880 *p.* 5) *coll. Cic. ad fam.* II 5, 2 ea para meditare cogita, quae esse in eo civi debent. *Cf.* 228

IV

344 *S*in flaccebunt condiciones, repudiato et reddito

V

345 Aspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iovem.

modo «eho tu dii quibus (modo studiis mutili) est potestas motus (motum iidem)... pacem inter (pacem enim inter iidem) sese (se expleti).. concordiam». nam ita pro suo iure hoc exemplo utuntur thesprotum (ita mutili; usum threspontem expleti; utentem Kayserus) Ennius induxit, quasi iam satis certis rationibus ita esse demonstrasset».' Thesprotum potior fides librorum videtur confirmare, cum praesertim threspontem (h. e. Chrespontem) unde natum sit, ex eadem rhetorica II 24, 38 dispiciatur. Ad Thyesteam fabulam ut illa referenda ducerem (prooem. 1888/89 p. 17) movit me Hygini fab. 88 quae habet Thesproti regis cum Atreo et Thyeste commercium. Cf. incerti tragici fragm. LXV. LXVI Ribb.

IV (344) Nonius p. 110, 14 'flaccet languet deficit... Ennius Thyeste «*inflaccebunt* conditiones.. reddito».'

V (345) Festus p. 442, 16 Th. '*sublimem* est in altitudinem elatum, ut Ennius in Thyeste «aspice h. *sublime candens* quē (corr. ex q>) *vocant* o. Iovem». Vergilius in georgicis l. I (242) «hic... sub».' Paulus '*sublimen* est in altitudinem elatum, id autem dicitur a limine superiore quia supra nos est (Fest. l. c. 23—25).' Cicero de nat. deor. II 2, 4 'quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis quo haec regantur. quod ni ita esset, qui potuisset adsensu omnium dicere Ennius «aspice h. *sublime candens* q. *invocant* (invocat Voss. B m. pr.) o. Iovem», illum vero et Iovem et dominatorem rerum et omnia nutu (motu optimi, corr. in dett.) regentem, et, ut idem Ennius, «patrem divumque hominumque» (ann. 581) et praesentem ac praepotentem deum.' Idem ibid. 25, 64 'sed ipse Iuppiter, id est iuvans pater, quem conversis casibus appellamus a iuvando Iovem, a poetis «pater divomque hominumque» dicitur, a maioribus autem nostris optumus maxumus... [65] hunc igitur Ennius, ut supra dixi, nuncupat ita dicens «aspice h. *sublime* (suplimim corr. sublime* Voss. B) *candens* q. *invocant* o. Iovem» planius quam (quem Voss. A quem̄ Vind.) alio loco idem [401]: hunc etiam augures nostri, cum dicunt Iove fulgente tonante; dicunt enim caelo fulgente tonante. Euripides autem, ut multa praeclare,

---

344 Sin flaccebunt *Gulielmius in Plauti capt. c.* 5; fracebunt *Ribbeckius coll. Paul. Fest. p.* 64, 21 *Th.* fracebunt displicebunt 345 sublime *scripsi* (*olim* sublimen); *quod testium fide firmatur, quamquam Festum cum Paulo* sublimen *interpretari manifestum est: de quo nomine olim Ritschelius* (*opp.* II *p.* 462 *sqq.*) *et qui eum secuti sunt* sublimen *defensitantes, nuper in contrariam partem post R. Klotzium disputavit Guil. Heraeus* (*philol.* LV *p.* 197 *sqq.*); *intelligo autem non* aspice hoc sublime quod candet, *sed* hoc quod sublime (*h. e.* in altitudine) candet

VI

346 impetrem
Facile ab animo ut cernat vitalem *h*abi*t*um

VII

348 Quemnam te esse dicam, qui tarda in senectute

sic hoc breviter «vides *sublime* fusum immoderatum aethera, qui terram tenero circumiectu amplectitur: hunc summum habeto divum, hunc perhibeto Iovem».' Graeca Euripidis, quae Cicero convertit, quaeque eadem Ennio videntur obversata esse, 941 Nauck. II *ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις; τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.* Cicero de nat. deor. III 4, 10 '(argumentum) primum fuit, cum caelum suspexissemus, statim nos intellegere esse aliquod numen quo haec regantur. ex hoc illud etiam «aspice h. *sublime candens* (c a d e n s Voss. A m. pr. et Vind.) q. *invocant* o. Iovem».' Idem ibid. 16, 40 'sit sane deus ipse mundus. hoc credo illud esse «*sublime candens* q. *invocant* o. Iovem».' Apuleius de mundo 33 p. 131, 2 Goldb. 'adfirmant superiora esse deo tradita. namque habitus orantium sic est ut manibus extensis (in) caelum precemur. Romanus etiam poeta sic sensit «aspice h. *sublime* (s u b l u m i n e Par. P Laur.) *cadens* q. *invocant* o. Iovem»; unde illa quae videntur suntque omnibus praestantiora, eadem sublimitates regionum tenent.' Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 11, 10 Keil. 'principem habuerunt Empedoclem Agrigentinum qui de his (quattuor elementis) ita scribit *τέσσαρα δὴ πάντων ῥιζώματα πρῶτόν ἔασιν Ζεὺς ἀργὴς' κτλ* (33—35 Stein) 'ut accipiamus *Ζεὺς ἀργὴς* ignem qui sit *ζέων* et candens, quod ignis est proprium, de quo Euripides *ὁρᾷς τὸν ὕψου τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα καὶ τὸν περιέχοντα ὑγρὰν ἀγκάλαις τὸν νόμιζε Ζῆνα* (vide supra), et Ennius «aspice h. *sublime candens* q. *vocant* o. Iovem».' Cf. Cic. de nat. deor. I 15, 40 'idemque (Chrysippus) disputat aethera esse eum quem homines Iovem appellarent.' Eurip. fr. 877 Nauck. II *ἀλλ' αἰθὴρ τίκτει σε, κόρα, Ζεὺς ὃς ἀνθρώποις ὀνομάζεται.*

VI (346) Nonius p. 261, 13 'cernere iudicare. Pacuvius . . (32 R.) «et aecum et rectum est quod postulas: iurati cernant». Ennius Thyeste (t h y s t e) «impetrem . . . *babium*».'

VII (348) Cicero orat. 55, 183 'in versibus res est apertior, quamquam etiam a modis quibusdam cantu remoto soluta esse videatur oratio maximeque id in optimo quoque eorum poetarum qui *λυρικοὶ* a Graecis nominantur:

---

347 habitum *scripsi* (*Herm.* XII *p.* 254) *sententiamque sic supplevi et explicui* impetrem facile ab animo (meo) ut cernat (*h. e.* decernat, diiudicet) vitalem habitum (esse animam corporis)*; plane ut Lucretius dicit, Ennii comes assiduus,* III 98 sensum animi certa non esse in parte locatum, verum habitum quendam vitalem corporis esse. Impetremus (impetrem') *si ponere licet, cum supplemento integrum habebis pentametrum trochaicum* 348 senecta *Lachmannus* (*ap. Iahn.*), *probe, nisi forte numeri continuabantur*

VIII

THYESTES

349 Nolite, hospites, ad me adire, ilico istic,
Ne contagio mea bonis umbrave obsit.
351 Tanta vis sceleris in corpore haeret

UNUS HOSPITUM

352 Quidnam est obsecro quod te adiri abnutas?

IX

THYESTES

353 *Eh*eu, mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala

X

THYESTES

354 pol mihi fortuna magis nunc defit quam genus.

quos cum cantu spoliaveris, nuda paene remanet oratio. [184] quorum similia sunt quaedam etiam apud nostros, velut ille (illa Abrinc.) in Thyeste «quemnam . . . qui (quin integri) . . senectute» et quae secuntur. quae nisi cum tibicen accessit, orationis sunt solutae simillima.' Cf. Nonius p. 336, 31 'Varro περὶ ἐξαγωγῆς (405 B.) «quemnam te esse dicam, fera qui manu corporis»'eqs. 'Thyestem' quod dicit Cicero non potest nisi Ennii tragoediam intelligere.

VIII (349) Cicero Tusc. disp. III 11, 25 'nunc aegritudinem depellamus . . . taetra enim res est, misera, detestabilis . . [12, 26] qualis enim tibi ille videtur [XI] tamne ergo abiectus tamque fractus? «nolite» inquit «hospites . . . istic (isti deteriores) . . . obsit tanta . . . haeret». tu te, Thyesta, damnabis orbabisque luce propter vim sceleris alieni?' Idem de orat. III 41, 164 'nolo esse verbum angustius id quod translatum sit quam fuisset illud proprium ac suum. «quidnam . . quod (quid integri plerique) te adiri (abire mutili) abnutas» (352): melius esset vetas prohibes absterres, quoniam ille dixerat «ilico (illico) istic (istinc integri pauci) . . . obsit» (349 sq.).'

IX (353) Nonius p. 90, 14 'conglomerare involvere superaddere. Ennius *tithe* (in Thieste ed. a. 1476) «*eumea* . . . conglomeras (glomeras Wolf.) mala».'

X (354) Cicero Tusc. disp. III 19, 44 'quaerendum igitur quem ad modum aegritudine privemus eum qui ita dicat «pol . . . suppetebat mihi . . .

---

349 *sqq. Post vana superiorum conamina quattuor* '*bacchiacos tetrametros*' *descripsit Bentleius ad Davisii Tusc. disp. edit. p.* 46 ilico istic*: cf. Plaut. merc.* 912 atque istic sta ilico 351 Meo tanta *Bentleius* haeret meo *olim Ribbeckius* ilico istic . . Stetis. tanta *Lachmannus ad Lucr.* III 880. *Cf. Cic. in Verr. act.* II *lib.* I 32, 81 nisi tanta acerbitas iniuriae, tanta vis sceleris fuisset 352 te abnutas adiri *olim Ribbeckius* 353 Eheu *Lachmannus ad Lucr.* I 360 *p.* 36: eu

355 Namque regnum suppetebat mi, ut scias, quanto e loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna accidat.

XI

357 Tantalo prognatus, Pelope natus, qui quondam a soc*ru*
Oenomao rege Hippodameam raptis nanctus nuptiis,
Iovis iste quidem pronepos

XII

360 Quam mihi maxime hic hodie contigerit malum

XIII

361 Set me Apollo ipse delectat ductat Delphicus

accidat». quid, huic calix mulsi impingendus est ut plorare desinat, aut aliquid eius modi? ecce tibi ex altera parte ab eodem poeta [85].' Enniana esse Cicero indicat; Thyesti attribuenda censuit Ribbeckius; et videntur haec in Thyestem omnia sua mala (353), ereptum regnum et extinctum genus, deplorantem egregie quadrare.

XI (357) Cicero Tusc. disp. III 11, 25 'aegritudinem depellamus . . taetra enim res est, misera, detestabilis . . . [12, 26] qualis enim tibi ille videtur «Tantalo . . . a *socero* . . . nuptiis, Iovis iste quidem pronepos». tamne ergo abiectus tamque fractus? «nolite» inquit «hospites . . . haeret» (VIII). tu te, Thyesta, damnabis orbabisque luce propter vim sceleris alieni?' Cf. ibid. 18, 39. Haec omnia ad unum eundemque Thyestem pertinere, quem Hyginus identidem (fab. 86. 87) 'Pelopis et Hippodamiae filium' appellat, nec VIII certius ad Ennium quam XI referri, Ciceronis iter disputandi patefacere videtur (alia res est de Medea, vide ad VII); itaque haec quoque Thyestis verba de suis rebus referentis esse probabile est; neque ista 'Iovis . . pronepos', de quo Bentleius rectius quam posteriores iudicavit, ab Ennio seiungenda sunt; cf. Telam. VI et trag. inc. LIV R.; nisi quod Cicero fortasse ut solet orationem variavit; nam verisimilius quidem videtur haec Thyestem de se exhibere.

XII (360) Nonius p. 268, 11 'contingere evenire . . . Ennius tyeste «quam . . . malum».'

XIII (361) Nonius p. 97, 31 'delectare illicere attrahere. Ennius *theestes et* (Thyeste «set Mercerus) me . . . delficus».'

---

357 *sqq. Numeros Bentleius constituit* socru *Bentleius coll. Nonio p.* 223, 20 socrus et masculino genere veteres dici posse voluerunt. Naevius [*com.* 66 *R.*] *et Prisciano* VI *p.* 233, 7 *H.* 358 nactust (nanctust) *Bentleius* 359 *Fortasse* ego quidem*; cf. quae supra scripsi* 360. 361 *De utriusque metro quod idem est, cretici adnexis trochaeis, dixi prooem.* 1888/89 *p.* 9. *De quo metrorum genere Leo nuper egit de cant. Plaut.* (*act. acad. Gotting. a.* 1897) *p.* 18

XIV

THYESTES

naufragio pereat Atreus

362 Ipse summis saxis fixus asperis evisceratus
Latere pendens saxa spargens tabo sanie et sanguine atro.

364 Neque sepulchrum quo recipiat habeat portum corporis,
Ubi remissa humana vita corpus requiescat malis.

AMBRACIA

I

366 *Esse* per gentes cluebat omnium miserrimus

XIV (362) Cicero Tusc. disp. I 44, 107 'exsecratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum «ut naufragio pereat Atreus»; durum hoc sane, talis enim interitus non est sine gravi sensu; illa inania «ipse ... sanguine atro» (362 sq.). non ipsa saxa magis sensu omni vacabunt, quam ille «latere pendens» (363), cui se hic cruciatum censet optare. quae essent dura, si sentiret, nulla (sunt) sine sensu. illud vero perquam inane «neque ... malis» (364 sq.). vides, quanto haec in errore versentur: portum esse corporis et requiescere in sepulchro putat mortuum, magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium nec docuerit, quatenus esset quidque curandum.'

Idem in Pisonem 19, 43 'Thyestea est ista exsecratio poetae vulgi animos, non sapientium, moventis «ut tu naufragio expulsus uspiam saxis (362) fixus asperis evisceratus latere penderes» ut ait ille «saxa (363) .. sanie et (et unus Basil.) s. atro».' Ante naufragio in Basilicano vetus scholiasta adscripsit 'versus Ennii'. Nonius p. 405, 3 'spargere madefacere. Lucilius lib. XIX (XXVIIII Harl. m. pr. et pauci dett.; v. 500 Lachm., quem confer) «latere ... atro» (363).' Ciceronis verba 'ut naufragio pereat Atreus' et 'ut tu naufragio expulsus uspiam' Ennii sententiam, non verba et versus referre apparet: cui primum de nave fracta dicendum erat, ut 'ipse s. s.' pergeret. De tabo et sanie cf. C. Gl. L. V p. 329, 58.

AMBRACIA Praetextam esse statuit Ribbeckius, Ambraciam oppidum a Fulvio Nobiliore expugnatum intelligens: de quibus rebus vid. analium lib. XV.

I (366) Nonius p. 87, 33 'cluet nominatur. Lucilius lib. XXX (869 L.) «.. per castra cluebat». Ennius ambratia «per gentes *esse* .. miserrimus».'

---

362 *sqq. De numeris frustra temptatis a G. I. Vossio egit Bentleius ad Davisii Tusc. disp. edit. p.* 25 *sq.* 366 Esse per gentes *Guietus* Per gentes Asiae *Buechelerus;* esse cluet *ut in epigrammate Plautii* (*Plin.*

II

367 et aequora salsa veges ingentibus ventis

III

368 Bene mones: tute ipse cunctato: *o* vide fortem virum.

IV

369 agros audaces depopulant servi dominorum *m*inis

SABINAE

370 Cum spólia generis detraxeritis
Quam inscriptionem dabitis?

II (367) Nonius p. 183, 4 'veget pro vegetat vel erigit vel vegetum est. ... Ennius ambrachia «et ... ventis (vestis Wolf.)».' Cf. ann. 487 'Volcanum ventus vegebat.'

III (368) Nonius p. 469, 24 'cunctant pro cunctantur ... Ennius *anbrachia* «bene ... cunctato (cuncto Wolf. Bamb. corr. Harl.) vide f. virum». idem Hectoris lytris [xi].'

IV (369) Nonius p. 471, 18 'populat est et passivum populatur ... Caecilius .. (13 R.) «iamdudum depopulat macellum». Ennius Ambracia (ambrachia) «agros ... dominorum *dominis*».'

SABINAE (370) Iulius Victor 6, 4 rhet. Lat. p. 402, 30 Halm. 'ab eventu in qualitate, ut qualia sunt ea quae evenerunt aut quae videantur eventura, tale illud quoque existimetur ex quo evenerunt, ut Sabinis Ennius dixit «cum s. *generi* detraxeritis quam i. dabitis».' Quae Sabinarum orantium verba videri ad Cic. de re p. ii 7, 13 'cum T. Tatio rege Sabinorum foedus icit matronis ipsis quae raptae erant orantibus' adnotavit A. Maius, qui primus hunc Ennii locum 'ex deperdito opere quod Sabinae inscribebatur' protulit; ego posse de praetexta cogitari scripsi in mus. Rhen. xvi p. 580.

---

n. h. xxxv 115. *Lachm. ad Lucr.* iv 53) cluet qui Asia lata esse oriundus*;* per gentes *per se ponitur velut* neque hoc sine nomine letum per gentes erit *Aen.* xi 847*;* arx . . gentes per omnes clara *Seneca Troad.* 479*;* inclita per gentes *et* per gentes inclita *Solinus* 367 *De hexametro in fabula, si est hexameter, vid. ad scen.* 292 368 o *addidi sententiamque explicui prooem.* 1888/89 *p.* 6*;* Bene monens tute ipse cunctat: o vide *Buechelerus* 369 minis *pro* dominis (*ut Ribbeckius olim proposuit*) *scripsi sententia sic suppleta* dominorum minis Non coerciti 370 generis *scripsi olim cum Iano* (*ad Macrob.* ii *p.* 527)*; iterum in mus. Rhen.* xvi (*a.* 1861) *p.* 580*, et putabam quemvis visurum* generos *dici: ut mirere hoc tamquam novum ac repertum identidem lau-*

CUPUNCULA

372 hinc est animus propitiabilis

PANCRATIASTES

I

373 Quo nunc me ducis? || Ubi molarum strepitum audibis maximum.

II

374 Quis est qui nostris foribus tam proterviter

III

375 Cum desubito me orat mulier lacrimansque ad genua accidit

CUPUNCULA (372) Nonius p. 155, 30 'propitiabilis ad propitiandum (a propitiando lib. nonnulli). Ennius *cupiuncula* «hinc .. propitiabilis». ita et adulabilis.' Cupiuncula verum esse vix credibile; cupuncula quod ego olim posui, an caupuncula quod Ribbeckius maluit, scribatur, nihil interest; vide Bentleium de cupa disputantem ad Hor. serm. II 2, 123 p. 446 sq. Coponicula quod est in glossis longius discedit.

PANCRATIASTES I (373) Nonius p. 506, 3 'audibo pro audiam. Ennius Telamone [III]; idem *panchratiastis* (unde olim pancratiastae in titulo posui) «quo .. ducis (dicis Harl. m. pr. Bamb.) u. molarum (molarium Wolf. et corr. Leid. molariam Bamb.) s. audibis (audivis) maximum».'

II (374) Nonius p. 513, 11 'proterviter (propterviter Par.) Ennius pancratiaste (pancratihaste Wolf.) «quis (qui Wolf.) est . . . proterviter (propterviter Par.)».' Priscianus XV p. 71, 3 H. 'Ennius «proterviter (propterviter Par. R Carolir.)»' ex Nonio.

III (375) Nonius p. 517, 14 'desubito . . . Ennius pancratiaste (pancrasiastae) «cum . . . accidit».'

---

dari. Cf. Livius I 13, 2 ne sanguine se nefando soceri generique respergerent *Versus disposui olim in extremo priore ex illa sententia* impie *addito; nunc malim* detraxeritis mortuis, *si quidem spolia hostibus non detrahuntur nisi mortuis.* quam patres Inscr. *cum L. Muellero Ribbeckius nuper* *Acerbitas huius Sabinarum interrogationis percipitur ex similibus Graecis: velut Phoeniss.* 571 *ita Iocasta Polynici* φέρ', ἢν ἕλῃς γῆν τήνδε, τρόπαια πῶς ἀναστήσεις; Διί καὶ σκῦλα γράψεις πῶς; 'Θήβας πυρώσας τάσδε Πολυνείκης θεοῖς ἀσπίδας ἔθηκε;' *Troad.* 1188 *sqq.*

SCENICA FAB. INC.

I

NEOPTOLEMUS

376 Philosophari est mihi necesse, paucis: nam omnino haud placet.
Degustandum ex philosophia, non in eam ingurgitandum

II

378 Omnes dant consilium vanum atque ad voluptatem omnia

FAB. INC. I (376) Cicero Tusc. disp. II 1, 1 'Neoptolemus quidem apud Ennium «*philosophari sibi*» ait «*necesse esse, sed* paucis: nam omnino haud placere». ego autem, Brute, necesse mihi quidem esse arbitror philosophari . . . sed non paucis, ut ille . . . [2] sed tamen in vita occupata atque, ut Neoptolemi tum erat, militari pauca ipsa multum saepe prosunt.' Idem de orat. II 37, 156 'sic decrevi philosophari potius ut Neoptolemus apud Ennium «paucis: nam omnino haud placet».' Idem de re p. I 18, 30 'magis eum (Sex. Aelium) delectabat Neoptolemus Enni, qui «*se*» ait «*filosofari velle, set* paucis: nam omnino haud placere».' Gellius V 15, 9 'Ennianum Neoptolemum probabamus, qui profecto ita ait «*philosophandum est* paucis: nam omnino haut placet».' Idem 16, 5 'sed et hic ea quae non diutius muginandum, eiusdemque illius Enniani Neoptolemi, de quo supra scripsimus, consilio utendum est, qui «degustandum ex philosophia» censet, «non in eam ingurgitandum».' Apuleius apologia 13 in. 'da igitur veniam Platoni philosopho versuum eius de amore, ne ego necesse habeam contra sententiam Neoptolemi Enniani pluribus philosophari.' Cuius fabulae philosophans iste Neoptolemus fuerit ignoratur. Sententia ipsa ea ferme est, quam Callicles Socrati insinuat in Plat. Gorg. 484 c *φιλοσοφία γάρ τοί ἐστιν ὦ Σώκρατες χαρίεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ, ἐὰν δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων*. Cf. ibid. 487 c. Cicero de fin. I 1, 1.

II (378) Fronto ep. ad Caes. II 10 p. 33 Nab. 'adfinitate sociatum neque tutelae subditum: praeterea in ea fortuna constitutum, in qua ut Q. Ennius ait «omnes . . . adque . . omnia».'

---

376 *sq.* Philosophari est mihi necesse, at paucis *G. I. Vossius castig. p.* 57 philosophandum est paucis *vel* est mi paucis: nam *ante vulgabatur; sed apparet non plane certam esse huius versus formam; incertior alterius, quam Ribbeckius olim ex Gellio hoc modo concinnaverat* Degustandum ex ea, non in eam ingurgitandum censeo*; sed haec mere Gelliana esse, quibus is prioris versus sententiam suo periculo reddidisset, id quod postea Ribbeckius credidit, mihi minime persuasit Mercklinus, qui in libello suo de fontibus Gellii* (*Fleckeis. ann. suppl.* III) *p.* 668 *nihil plane attulit* (*cf. p.* 699) *quo ea opinatio firmari posse videatur. Immo probabile est Neoptolemum non uno isto versu defunctum sed pluribus in*

III

379 Pervince pertinaci pervicacia

IV

380 Qui templa caeli summa sonitu concutit

V

381 caeli ingentes fornices

III (379) Fronto ep. ad Caes. IV 2 p. 60 Nab. 'de Herode quod dicis perge, oro te, (et), ut Quintus noster ait, «pervince p. pervicacia».' Ennium dici post Ribbeckium asseverat Hauptius (opp. II p. 349), qui et addidit. Cf. Accii Myrmid. I Ribb.

IV (380) Terentius eun. III 5, 36 'tabulam quandam pictam: ibi inerat pictura haec, Iovem quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum. egomet quoque id spectare coepi: et quia consimilem luserat iam olim ille ludum, inpendio magis animus gaudebat mihi; deum sese in hominem convertisse atque in alienas tegulas venisse clanculum per inpluvium fucum factum mulieri. [42] at quem deum: «qui templa . . . concutit».' Donatus ad h. l. 'sonitu concutit: parodia de Ennio. templa caeli: sententia tragica, sed de industria, non errore.' Ennii versus fueritne talis qualem Terentius posuit dubium reddit Donati adnotatio. Cf. Varro de l. L. VI 11 'aevum ab aetate omnium annorum: hinc aeviternum, quod factum est aeternum . . . hinc poetae «aeterna templa caeli».'

V (381) Varro de l. L. V 19 'omnino ego magis puto a chao choum (chovum) et hinc caelum . . . (cf. 112. 215) et Ennius item ad cavationem (adua**tionem Flor.) «caeli i. fornices».' Cicero de orat. III 40, 162 'quo in genere primum est fugienda dissimilitudo. «caeli i. fornices»: quamvis sphaeram in scaenam ut dicitur attulerit Ennius, tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse.' Quid Cicero vituperaverit et quid quo modo Ennius defenderit obscurum est. Hyginus fab. 150 'Atlanti . . caeli fornicem super humeros imposuit.' Lutheri haec sunt 'ich sah die Sterne am Himmel und das ganze schöne Gewölbe Gottes, und sah doch nirgend keine Pfeiler, darauf der Meister solch Gewölbe gesetzt hatte.'

---

eam sententiam disputasse, Gellium autem Neoptolemi sensum varietatis causa utroque modo qui erat apud Ennium sed liberius rettulisse. ingurgitare *tam vi propria quam translata habet Cicero saepius; neve metaphoram fastidias,* quasi helluari libris *scribit idem de fin.* III 2, 7

380 nutu *Bentleius* suo (so) nutu quatit *Fleckeisenus annal.* CXLI (1890) *p.* 467*; sed cf. ann.* 543 omnia per sonitus arcet terram mare caelum*; praeterea vide Lucretii* II 1101 caelique serena concutiat sonitu*;* VI 388 quod si Iuppiter atque alii fulgentia divi terrifico quatiunt sonitu caelestia templa*; Claudian.* XXII 26 aetherii patris exemplo, qui cuncta sonoro concutiens tonitru

VI

382 Crassa pulvis oritur, omnem pervolat caeli fretum

VII

383 Labat, lab*u*ntur saxa, caementa*e* cadunt

VIII

384 ager oppletus imbrium
Fremitu

IX

386 et quis illaec est quae lugubri
Succincta est stola

X

388 O terra Thraeca, ubi Liberi fanum inc*lut*um
Maro locavi*t*

VI (382) Nonius p. 205, 28 'fretum neutri tantum generis esse volumus ... masculini ... Ennius «crassa ... fretum».'

VII (383) Nonius p. 196, 29 'caementa neutri ut est usus ... feminini Ennius «labat *lababuntur* s. *caementa* cadunt».' Intelligitur 'murus' vel 'turris' labat possitque *μέγα τεῖχος Ἀχαιῶν* dici, de quo Il. xii 257 *ῥήγνυσθαι μέγα τεῖχος Ἀχαιῶν πειρήτιζον. κρόσσας μὲν πύργων ἔρυον, καὶ ἔρειπον ἐπάλξεις, στήλας τε προβλῆτας ἐμόχλεον, ἃς ἄρ᾽ Ἀχαιοὶ πρώτας ἐν γαίῃ θέσαν ἔμμεναι ἔχματα πύργων*; cf. ibid. 28 sqq. Ad eandemque partem Iliadis etiam vi referri possit coll. 253 sq. *ἐπὶ δὲ Ζεὺς ὦρσεν ἀπ᾽ Ἰδαίων ὀρέων ἀνέμοιο θύελλαν ἥ ῥ᾽ ἰθὺς νηῶν κονίην φέρεν*; et viii coll. 25 *ὗε δ᾽ ἄρα Ζεὺς συνεχές, ὄφρα κε θᾶσσον ἁλίπλοα τείχεα θείη.*

VIII (384) Servius Lemovic. in georg. i 12 p. 134, 17 Thil. 'nonnulli vero ob hoc «cui prima frementem fudit aquam» legunt, quod veteres murmura aquae fremitum dicebant. Ennius «ager . . fremitu» et denuo [ann. 497].'

IX (386) Nonius p. 198, 2 'quis et generi feminino attribui posse veterum auctoritas voluit. Livius (trag. 36 R.) «mulier quisquis es . .». Caecilius (267 R.) «. . quisquis es mea mulier». Pacuvius (239 R.) «quisquis tu es mulier ...». Ennius «et quis ... est stola».' Pompeius comment. G. L. K. v p. 206, 28 'apud maiores nostros indifferenter invenimus hoc pronomen, et «quis vir» et «quis mulier» ... ut est [Pacuv. 239 R.] «quis (qui codd.) mulier» habemus et in Ennio et in Pacuvio et in ipso Terentio (eun. 678, cf. Priscian. xiii p. 8, 22 H.).'

X (388) Varro de l. L. v 14 'locus est ubi locatum quid esse potest,

---

383 labuntur *olim corr.*: lababuntur   caementae *Iunius*: caementa   386 *Cf. Plaut. Epid.* 620 sed quis haec est muliercula et ille gravastellus qui venit, *ne* sed quis *malis quam* et quis illaec*; nec probabilius hunc unum versum fuisse cum defectu*   388 *sq.* Thraeca *Fleckeisenus*   inclutum locavi *Gulielmius verisim.* i 19 inclutum Maro

XI

390 Eos reduci quam relinqui, devehi quam deseri
Malui

XII

392 Animus aeger semper errat, neque pati neque perpeti
Potest, cúpere numquam desinit.

ut nunc dicunt collocatum. (locatum) veteres id dicere solitos apparet apud Plautum [aul. 191 sq.]; apud Ennium «o terra *treca* . . . *incivium* maro (m a r o vel m u r o Flor. m. pr.) *locavi*».' In Euripidis Hecuba (1088) Polymestor Thraex ita lamentatur *αἰαῖ, ἰὼ Θρῄκης λογχοφόρον ἔνοπλον εὔιππον Ἄρει κάτοχον γένος.* qui ibidem 1267 Liberum Thraecum vatem affert *ὁ Θρῃξὶ μάντις εἶπε Διόνυσος τάδε.* De quo oraculo Liberi quod erat apud Thraecas cum Herodotus tradit VII 111 tum Macrobius Sat. I 18, 1 ex Aristotele referens 'apud Ligyreos in Thracia esse adytum Libero consecratum, ex quo redduntur oracula'; cf. ibid. 11 de aede Libero dedicata et Suetonius Octavian. 94.

XI (390) Diomedes II p. 447, 6 K. 'homoeoteleuton est oratio similibus clausulis terminata, id est pari verborum exitu finita, ut apud Ennium «*eos deduci* (e o s t e d u c i Mon.) *devehi* (d e v i h i Mon. d e v e i Par. A) q. deseri (d e s e r i t Mon.) *malui* (m a l u i t Par. B)».' Charisius IV p. 282, 10 K. 'homoeoteleuton est oratio pari verborum exitu finita, ut «*hos seduci quam relinqui devi* q. d. *mallu*».' Donatus art. gr. G. L. K. IV p. 398, 25 'homoeoteleuton est cum simili modo dictiones plurimae finiuntur, ut «*eos reduci* (r e v e i Sant. sed corr.) *quam relinqui devehi* (r e l i n q u e r e d e v e i Sant. sed corr. r e l i n q u i) quam d. *malui*».'

XII (392) Cicero Tusc. disp. III 3, 5 'at et morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis. hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent eumque sollicitant, «animus»que «aeger» ut ait Ennius «semper . . . desinit».'

---

locavi *vir doctus ab I. G. Schneidero (in comm. ad script. rei rust. vol.* I *p.* 240) *memoratus, Ennii verba interpretans 'de Marone' ut ait 'Bacchi commilitone a quo Maronea Thraciae urbs fuerit condita.' De hoc Marone Liberi filio Apollinis sacerdote v. Welckerum epimetr. ad trilog. p.* 216 *et interpr. ad Euripid. cyclop.* 141 locavit *Ribbeckius*
392 neque pati neque perpeti*: saepe similia copulantur,* omnes perferre ac pati *Terentius;* feram et perferam *Plautus,* ferre (perferre) patique *Lucretius,* et ferre et perpeti *Cicero,* patientia et perpessio *Seneca epist.* 67, 10. *Rem et sententiam declarant aut de Phaedra quae dicuntur in Hippol.* 183 *ταχὺ γὰρ σφάλλει κοὐδενὶ χαίρεις, οὐδέ σ' ἀρέσκει τὸ παρόν, τὸ δ' ἀπὸν φίλτερον ἡγεῖ; aut quae Orestes in cognomini fabula* 231 *αὖθίς μ' ἐς ὀρθὸν στῆσον, δυσάρεστον οἱ νοσοῦντες ἀπορίας ὕπο; denique Seneca de tranq. anim.* 2, 12 proprium aegri est nihil diu pati et mutationibus ut remediis uti, *et ibi allatus Homericus Achilles (Il.* XXIV 10 *sqq.)*

XIII

394 Qui sui quaestus causa fictas suscitant sententias

XIV

395 Flagiti principium est nudare inter civis corpora

XV

396 Quin inde invitis sumpserint perdvellibus

XVI

397 Si voles advortere animum, comiter monstrabitur.

XVII

398 Homo qui erranti comiter monstrat viam

XIII (394) Cicero de div. I 40, 88 'atque etiam ante hos Amphiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri neque eorum similes, ut apud Ennium est, «qui . . . fictas (ficta Voss. B m. pr. factas Vind.) s. sententias», sed clari et praestantes viri.' Haec ad Telamonem IV referri, quod nonnulli voluerunt, haud improbabile, cum praesertim Cicero ibi citatus afferat 'eos qui quaestus causa hariolentur'; sed nimis saepe talia de vatibus a poetis elata sunt (Sophocl. Oed. r. 387 ad Telam. IV allatus, Antigon. 1055 *τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος*; Accius 169 sq. R. 'nil credo auguribus, qui aures verbis divitant alienas, suas ut auro locupletent domos'), quam ut certius iudicare liceat.

XIV (395) Cicero Tusc. disp. IV 33, 70 'mihi quidem haec in Graecorum gymnasiis nata consuetudo videtur, in quibus isti liberi et concessi sunt amores. bene ergo Ennius «flagitii . . . corpora».' Euripid. Androm. 595 *οὐδ᾽ ἂν εἰ βούλοιτό τις σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη, αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις δρόμους παλαίστρας τ᾽ οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ κοινὰς ἔχουσι. κᾆτα θαυμάζειν χρεὼν εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε.* Cf. Cicero quae affert Tusc. disp. II 15, 36 et vide de re p. IV 4, 4.

XV (396) Varro de l. L. VII 49 'apud Ennium «quin . . . perduellibus». perduelles dicuntur hostes, ut perfecit, sic per duellum a (et Flor. corr. Lachmannus) duellum. id postea bellum.' Cf. Charisius II p. 211, 18 K. 'per pro perquam, valde, ut perduellio perquam duellio, et (perduellis) plusquam hostis, ut Rabirius qui perduellionem fecisse ducebatur, id est contra rem publicam sensisse.' Varro de l. L. V 3 'multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant, ut hostis; nam tum eo verbo dicebant peregrinum qui suis legibus uteretur, nunc dicunt eum quem tum dicebant perduellem.' Cicero de off. I 12, 37 'etiam illud animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam. hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.'

XVI (397) Varro de l. L. VII 89 'apud Ennium «si voles . . . monstrabitur». comiter hilare ac lubenter, cuius origo Graeca comos' eqs.

XVII (398) Cicero de off. I 16, 51 'omnium autem communia hominum videntur ea, quae sunt generis eius quod ab Ennio positum in una re trans-

399 Quasi lumen de suo lumine accendat facit.
Nihilo minus ipsi lucet, cum illi accenderit

XVIII

401 Cui quod in me est execrabor, hoc quod lucet, quidquid est

XIX

402 Quem metuunt oderunt, quem quisque odit periisse expetit

XX

403 O Fides alma apta pinnis et ius iurandum Iovis

ferri in permultas potest. «homo . . . monstrat (mostrat) . . . ipsi *luceat* . . accenderit». una ex re satis praecipit ut quicquid sine detrimento commodari possit id tribuatur vel ignoto. [52] . . . quoniam copiae parvae singulorum sunt, eorum autem qui his egeant infinita est multitudo, vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem «nihilo minus ipsi *lucet*», ut facultas sit qua in nostros simus liberales.' Cf. ibid. iii 13, 54 'quid est enim aliud erranti viam non monstrare, quod Athenis exsecrationibus publicis sanctum est, si hoc non est, emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere' (cf. Bernaysius opp. i p. 278). Idem pro Balbo 16, 36 'in quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat comiter esse communiter: quasi vero priscum aliquod aut insolitum verbum interpretaretur. comes benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur: «qui erranti comiter monstrat (com̄ monstrant Gembl. comiti monstrat Erf.) viam» benigne non gravate (monstrat); communiter quidem certe non convenit.'

XVIII (401) Cicero de nat. deor. ii 25, 65 'hunc igitur (Iovem) Ennius, ut supra dixi, nuncupat ita dicens [345] planius quam (quem Voss. A quem corr. que Vind.) alio loco idem «cui . . . lucet quidquid (quicquid) est».'

XIX (402) Cicero de off. ii 7, 23 'omnium autem rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi nec alienius quam timeri. praeclare enim Ennius «quem . . . perisse expetit (cupit Bern. c)».'

Cf. Hieronymus epist. 82, 3 tom. i p. 510 C Vallars. 'antiqua sententia est «quem metuit quis odit: quem odit periisse cupit».' Ovidius am. ii 2, 10 'quem metuit quisque, perisse cupit.'

XX (403) Cicero de off. iii 29, 104 'est enim ius iurandum adfirmatio

---

399 Quasi lumen de suae lumine accendit facis *I. I. Hartmanus Mnemos.* xxi (1893) *p.* 382 401 *Sententia parum perspicua, sed* hoc quod lucet *idem dicit opinor quod scen.* 345 hoc sublime candens *appellavit; et hoc est igitur* cui, *inquit,* quod in me est execrabor *h. e. ut putant* consecrabo*; ac videor preces intelligere paene quales Hecubae sunt in Troasin* 884 *sqq.* 403 apta pinnis*: cf. Apuleius apol.* 83 si verba ita ut poetae aiunt pinnis apta vulgo volarent

XXI

404 nulla regni sancta societas
Néc fides est

XXII

406 Parentem et pa sospitem

XXIII

407 vivam an moriar nulla in me est metus

religiosa . . . non ad iram deorum quae nulla est sed ad iustitiam et ad fidem pertinet. nam praeclare Ennius «o Fides . . pinnis (pennis) . . . Iovis». qui ius igitur iurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iovis optimi maximi . . . maiores nostri esse voluerunt.' Apuleius de deo Socr. 5 p. 10, 18 Goldb. 'nam et ius iurandum Iovis iurandum (Iov. iur. om. Flor. Laur., add. m. alt. Par.) dicitur ut ait Ennius.' Haec non indigna erant Medea; cf. Eurip. Med. 169 *κλύεθ' οἷα λέγει κἀπιβοᾶται Θέμιν εὐκταίαν Ζῆνά θ' ὃς ὅρκων θνητοῖς ταμίας νενόμισται*; 208 *θεοκλυτεῖ δ' ἔτ' ἄδικα παθοῦσα τὰν Ζηνὸς ὁρκίαν Θέμιν.*

XXI (404) Cicero de off. I 8, 26 'quod enim est apud Ennium «nulla sancta societas nec fides *regni* est» id latius patet. nam quicquid eiusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit servare «sanctam societatem».' Idem de re p. I 32, 49 'cum patres rerum potirentur, numquam constitisse civitatis statum, multo iam id in regnis minus, quorum, ut ait Ennius, «nulla *regni* sancta societas nec fides (FIDESṪ cod.) est».' In quibus verbis qui aut quorum mutandum aut, quod plerisque placuit, regni abiiciendum censent, non recte aestimant citandi modum, qui hoc ferebat, ut Ennii verba plane et accurate afferrentur, quamquam cum quorum cui adhaerescunt coniungi recte non possunt. de quo genere dixi ad Cic. de legg. II 19, 47 p. 132; et cf. Verr. act. II lib. IV 13, 31; ad Att. II 19, 2 ad ann. XII fr. II adscr. Itaque tantummodo regni positus in ista discrepantia ambiguus est; in qua re ego hoc posterius testimonium praeferendum duxi. Cf. Minucius Felix 18, 6 'quando umquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruore discessit?' Livius I 14, 3 'ob infidam societatem regni.' Lucan. I 92 'nulla fides regni sociis omnisque potestas impatiens consortis erit.'

XXII (406) Paulus Festi p. 431, 3 Th. 'sospes salvus. Ennius tamen sospitem pro servatore posuit.' Festus 'sos — — | omnes ferre auc — — | Afranius in ep — — | servent tuis — — | «Maxime Teu(crorum ductor, quo sospite) | numquam» (Aen. VIII 470). En — — | parentem et pa — — | sospitem».' Cf. ad ann. lib. inc. fr. CXIV.

XXIII (407) Paulus Festi p. 88, 31 Th. 'metus feminine dicebant. Ennius «vivam . . . metus».' Cf. ann. 549 ibique adscripta.

---

406 patriam di servate sospitem *Scaliger senarium explevit*

XXIV

408 Mulierem: quid potius dicam aut verius quam mulierem

XXV

409 Benefacta male locata malefacta arbitror.

XXVI

410 induta fuit saeva stola

XXVII

411 cubitis pinsibant humum

XXVIII

412 Flammam a sapienti facilius ore in ardente opprimi
Quam bona dicta teneat.

XXIV (408) Rutilius Lupus I 12 rhet. Lat. p. 8, 18 Halm. 'διαφορά. hoc schema cum verbum iteratum aliam sententiam significat ac significavit primo dictum. id est huiusmodi «hunc tu, frater eiusdem sanguinis particeps, in hac fortuna deserere potuisti, cuius aerumnae quemvis etiam extrarium hominem, modo hominem, commovere possent». item *universum* (item Enni versus Meinekius item in Enni versu Halmius) «mulierem ... mulierem».' Versum Euripideum de Stheneboea 666 Nauck. II *ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων μεῖζόν σε τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν* iam Ruhnkenius contendit. Ex similibus conviciis veterum, quae Ribbeckius congessit, cum Ennianis comparari possunt haec Polymestoris in Hecuba 1178 *εἴ τις γυναῖκας τῶν πρὶν εἴρηκεν κακῶς ἢ νῦν λέγων ἔστιν τις ἢ μέλλει λέγειν, ἅπαντα ταῦτα συντεμὼν ἐγὼ φράσω· γένος γὰρ οὔτε πόντος οὔτε γῆ τρέφει τοιόνδε.*

XXV (409) Cicero de off. II 18, 62 'in iis qui se adiuvari volent ... restricti omnino esse nullo modo debemus sed in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere. nam praeclare Ennius «bene facta (beneficia Bern. c Pal. Harl.) ... arbitror».'

XXVI (410) Servius in Aen. I 4 'saevae: cum a iuvando dicta sit Iuno, quaerunt multi cur eam dixerit saevam et putant temporale esse epitheton, quasi saeva circa Troianos, nescientes quod saevam dicebant veteres magnam. sic Ennius «induta *fuit* s. stola».' Cynthius Cenetensis in Aen. I 4 (A. Mai class. auct. VII 327 p. 4 ed. Dozio) 'saevus dicitur crudelis prosper et magnus. Ennius «induta *est* s. stola».'

XXVII (411) Varro de l. L. v 23 'terra ut putant eadem et humus; ideo Ennium in terram cadentis dicere «cubitis p. humum».' Cf. ann. 351.

XXVIII (412) Cicero de orat. II 54, 221 'quod est hominibus facetis et

---

409 *Cf. Livius* VII 20, 5 ut sua vetera beneficia, locata praesertim apud tam gratos, novis corrumperent maleficiis. *Plaut. mostell.* 242 si Iovi eo argento sacrificassem, numquam aeque id bene locassem
412 *Rectam ex pendenti orationem Ribbeckius restituit* Nam fl. (*vel* fl.

XXIX

414 deos aevi integros

XXX

415 angue villosi canis

XXXI

416 ille meae tam potis pacis potiri

XXXII

417 hehae
Ipse clipeus cecidit

dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum et ea quae occurrant, cum salsissime dici possunt, tenere. itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. 222 dicere enim aiunt Ennium «flammam a sapienti (sic, nisi quod sapiente, integri; interpr. dicere Ennium fl. a sap. Bakius dic. enim aiunt omisso Ennium Voss. Leid. dicere enim aiunt, tum post interstitium xxxvi litterarum pienti Harl. dicere enim aut pienti Abrinc. dicere enim $\overset{\text{aiunt}}{\text{aut}}$ pienti Erl.) facilius ... opprimi ... teneat» haec scilicet bona dicta, quae salsa sint. nam ea dicta appellantur proprio iam nomine.' Similes sententiae afferuntur Petronii fr. 28, 1 'nam citius flammas mortales ore tenebunt quam secreta tegant'; Ennodii ep. vii 16 'facilius est ignem in pyras animatum lingua conprimere quam silentium inter optata servare'; Symmachi ep. i 31, 2 'nam facilius est ardentes favillas ore comprimere quam luculenti operis servare secretum.'

XXIX (414) Servius in Aen. ix 253 'integer aevi integri aevi figurate: id est adulescens cui aetas integra superest, unde Ennius «deos aevi integros» dicit quibus multum aevi superest.' Cf. Aen. ii 638 'quibus integer aevi sanguis' ibique Servius.

XXX (415) Acro in Hor. carm. iii 11, 18 'muniant angues caput eius ...: ut ait Ennius «angue v. canis».'

XXXI (416) Festus ex apogr. l. xx p. 548, 5 Th. p. 71 Momms. 'at antiqui tam etiam pro tamen usi sunt, ut Naevius [com. 130 R.]. Ennius «ille (sic, non illae edid. Mommsenus et Thewrewkius) ... potiri».' Cf. Lucilius 222 L. 'hortare, illorum si possim paci' potiri (sic Lachmannus, potiri iam Fr. Dousa; Nonii libri capis sortiri).' Ennii versum, qui anapaesticus videtur, dubites tragicumne habeas an comicum; velut in Thyesta locum habere potuit coll. iii, sed conf. etiam Plauti mostell. 1127 'ego de sodalitate sum orator datus, qui a patre eius conciliarem pacem', Terentii hautont. 1046 'Chremes nimis graviter cruciat adulescentulum ... exeo ergo ut pacem conciliem.'

XXXII (417) Varro de l. L. vii 93 'apud Plautum (Men. 127) «euax iurgio uxorem tandem ab regia ianua» euax verbum nihil significat sed ef-

---

enim) sapiens ... opprimit, *quamquam etiam obliqua mensuram recipit; poteratque* faciliust *scribi aut intelligi* 415 *Fuitne* anguivillosi c.*?*

XXXIII

419 Heu méa puella, spe quidem id succenset tibi

XXXIV

420 Extemplo acceptum me necato et filium

XXXV

421 Vocíbus concide, facimus *muss*et obrutus

futitum naturaliter est ut apud Ennium «hehae ipse *clipeus cecidit*».' Inc. de dub. nom. G. L. K. v p. 574, 24 'clipeus (clypeus) generis masculini ut Ennius «*cecidit clipeus* (clypeus)».' Ad Hectoris lytra rettulit Ribbeckius, comoediae arrogavit A. Spengelius.

XXXIII (419) Varro de l. L. vii 93 post adscripta ad xxxii 'apud Ennium «heu . . spe . . succenset tibi»; apud Pompilium «heu qua me causa fortuna infeste promis». quod ait (Plautus scilicet ad cuius versum interiectis propter euax exemplis quibusdam tandem redit) «iurgio», id est litibus; itaque quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis; ideo in actionibus videmus dici «quam rem sive stlitem dicere oportet (stlitem Lachmannus coll. Porphyr. in Hor. serm. i 9, 41 'sic denique et in legibus scriptum inveniri solet «rem sive litem»', militem Flor.)».' Versum Ennii, nam Naevio sine fide adscribitur, ipsa sententia patefacit comicum esse, non tragicum.

XXXIV (420) Varro de l. L. vii 12 'quare a tuendo et templa et tesca dicta cum discrimine eo quod dixi (ibid. 10, 11). [13] etiam indidem illud *enĩ* (Ennii Scaliger) «extemplo *ateptum* (corr. acceptum) me *negato* et filium». extemplo enim est continuo, quod omne templum esse debet continuo septum nec plus unum introitum habere.'

XXXV (421) Varro de l. L. vii 101 'apud Ennium «vocibus concide *facimus et* obrutus (corr. ut vid. obrutum Flor.)». mussare dictum quod muti

---

419 ipse quidem *Lachmannus* Eu m. p. e spe quidem id successit (*hoc de O. Muelleri coniectura*) *Ribbeckius* 420 necato *Scaliger*: negato acceptam (*vel* arreptam) *ad Andromacham et Astyanacta filium haec referens G. I. Vossius castig. p.* 17*;* acceptam (arreptam) . . et filiam *Bothius de Hecuba et Polyxena filia interpretatus coll. Hec.* 391 ὑμεῖς δέ μ' ἀλλὰ θυγατρὶ συμφονεύσατε (*cf. ibid.* 396 *et* 385)*; qui neutrum probat A. Spengelius* arreptum . . et filium *de servo et filio erili accipienda et comoediae versum tribuendum censet; qui* arreptum *vel* arreptam *pro* acceptum *scribunt, eos fugit ratio:* acceptum me necato *h. e.* κτεῖναι λαβών *vel* κτάνῃς λαβών *Soph. Oed. r.* 641 *et* 607, *cf. El.* 949
421 *Senarium esse et* Vocíbus concide *legendum Lachmannum non fugit;* facimus musset *Turnebi codex, fortasse recte, et tenui;* faxis musset *Ribbeckius* facito musset *L. Muellerus* fac iam m. *Zanderus; id quidem certum* musset obrutus *verum esse, non* fac si musset (mussat) obrutum. *Ceterum versus comoedia dignus*

XXXVI

422 Quicquam quisquam [quemquam], quemque quisque conveniat, neget

XXXVII

423 Ill*i*c ést nugator, nihil*i* non nauci *est* homo

non amplius quam μῦ dicunt; a quo idem dicit id quod minimum est «neque ut aiunt μῦ facere audent» (inc. 10). Cf. ann. 446.

XXXVI (422) Rhet. ad Herenn. IV 12, 18 'conpositio est verborum constructio quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. ea conservabitur, si . . . vitabimus eiusdem litterae nimiam adsiduitatem, cui vitio versus hic erit exemplo (nam hic nihil prohibet in vitiis alienis exemplis uti) «o Tite . . .» (ann. 109) et hic eiusdem poetae «quicquam quisquam *quemquam* quemque (quicquam quisquam quemq; expleti; quicquam quicq quemq Herb. quicquam quicquam quemq; Par. *Π* quicquam quisquam quemquam quemque Par. P m. alt. Corb. qui oquam quicquam quemq quemq; Par. P m. pr. Bern.) quisque conveniat neget».' Hoc genus comoediam apprime addecet: nota sunt Plautina de Epidico 331 'verum aliquid aliqua aliquo modo alicunde ab aliqui aliqua tibi spes est fore meliorem fortunam . . . . . [334] || Quippe tu mihi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus blatis'; Pseud. 134 'quorum numquam quicquam quoiquam venit in mentem.' Cf. Lobeckius paralip. gr. Gr. p. 57 n.

XXXVII (423) Festus p. 170, 18 Th. 'naucum ait Ateius philologus poni pro nugis . . . . Plautus in parasito pigro (fr. III L.) «ambo magna laude lauti, postremo ambo sumus non nauci». item in mostellaria (1042) «(qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit. atque equidem) quod id esse dicam verbum nauci nescio» et in truculento (611) «amas hominem non nauci». . . . sed (et) Ennius «*illuc* . . *nihil* n. *nauci homo*».' Cf. ibid. 3 'quod nauci non sint, id quod est nullius preti.' Comoediis olim adscripsi.

---

422 *Initium* Quicquam quisquam *et extrema* quemque . . neget *satis certa videntur;* quemquam *inclusi ita ratus hoc permixtis* quemq *et* quemq; *errore natum esse, cuius rei indicium libri praebent; quo dempto desideratur dativus* cuiquam*; nam plenum versum non truncatum afferri testimonia et exempla fidem faciunt;* . . quoiquam quicquam, quemque *Marxius* 423 Illic . . nihili *Ursinus*: illuc . . nihil est *addidi* *Ante* nihili *distinxi, ut aut hoc per se stet, velut Plaut. asin.* 472 impure, nihili, *aut haec coniungantur* nihili non nauci est homo*: conf. Varro de l. L.* IX 54 dicimus hic homo nihili est et huius hominis nihili*; Gellius* XV 2, 2 erat autem nihili homo et nugator*;* II 14, 2. 3 vanum et nihili verbum*;* potius ipsi nequam et nihili sunt*;* XVII 6, 2 nequam et nulli pretii*;* VI 11, 2 levitatem appellaverunt proinde quasi vilitatem et nequam hominem nihili (nulli) rei neque frugis bonae*: sic enim haec scribenda sunt coll.* IX 2, 6 erraticum hominem et nulli rei*;* XV 9, 11

XXXVIII

424 An áliquid quod do *nil* morare*s*? accip*e*.

XXXIX

425 Ad eum aditavere

XL

426 festi*v*um festinant diem

XLI

427 imprimitque genae genam

XLII

428 Toppér quam nemo melius scit

XXXVIII (424) Diomedes I p. 400, 27 K. ‘plura verba quae vulgo passivo more declinamus apud veteres diversa reperiuntur enuntiata declinatione .. moro quod crebro moror dicimus .... moro item Naevius .. [com. 68 R.]. item Pacuvius .. [181 R.]. Ennius «an aliquid quod *dono illi morare sed accipite.* demolio (accipe». item demolio Keilius) Varro.’ Versum scenicum et olim habui comoediaeque adscripsi et nunc habeo, neque mihi umquam imponi passus sum ab iis qui hinc Ennius an̄ali cum hexametro efficiendum opinati sunt Stowassero principe. Cf. nunc relat. acad. a. 1899 p. 270 sqq.

XXXIX (425) Diomedes I p. 345, 1 K. ‘iterativa sive frequentativa ... item adeo adis: hoc iteramus adito aditas dictitantes, ut Ennius «ad eum aditavere».’ De turbato ordine versuum h. l. vide Keilium.

XL (426) Servius Danielin. in Aen. IX 399 p. 346, 1 Thil. ‘pulchram properet per vulnera mortem: aut deest adire aut deest ad ... aut certe antique properet mortem ut Plautus (fr. XLIV L.) «properate prandium», Ennius «*festinum festinant dies*».’ Idem Vatic. in georg. IV 170 p. 333, 19 Thil. ‘fulmina properant vetuste ait, ut Plautus «properant prandium» et Ennius «*festinat diem*».’

XLI (427) Servius in Aen. VI 686 ‘genis palpebris. Ennius de dormiente «inprimitque genae (rene Hamb. inprimit genaeque Monac.) genam».’ Cf. ann. 532.

XLII (428) Festus p. 532, 17 Th. ‘topper significare ait Artorius cito

---

424 *Teneo sententiam quam olim proposui cum* nil morare *et* accipe *scribendum conieci; et in summa re mecum faciebat Ribbeckius; sed eam lenius nunc recupero sic* An aliquid quod do nil morares? accipe *h. e.* do nil (nihil) *ex* dono illi *nanciscor et* morares *ex* morare sed *h. e.* morareſ? *abiit in* morareſ; (*i. e.* morare ſed)*; et* morares *iam olim editi libri vulgo circumferebant.* sed *deleri iussit etiam Keilius. denique* an aliquid, *quo nihil aptius erat, ne temptes, Seneca Troad.* 973 an aliqua poenae pars meae ignota est mihi, *et Vergilius* anne aliquis, anne aliquas

426 festivum *Daniel*: festinum

XLIII

429 *Somnia aliquot* vera *sunt,* sed non necesse est *omnia.*

XLIV

430 Ardúa tesca aspera saxa tuor

fortasse celeriter...... fortasse, sic Accius in Io (387 R.) «topper ut fit patris tê eicit iras ennius (ira». Sinnius praeeunte Ursino O. Muellerus) vero sic: topper fortasse valet in Enni et Pacui scriptis. apud Ennium est «topper ... scit». Pacuvius [424 R.].' Dubito quam recte hunc versiculum, qui dactylicus esse potest, quem olim in incerta retuli, nunc scenicis adscripserim: in qua re me movit cum Ennio coniunctus Pacuvius: quamquam eius indicii vim non magnam esse sentio.

XLIII (429) Cicero de div. II 62, 127 'iam vero quis dicere audeat vera omnia esse somnia. «*aliquot somnia vera*» inquit Ennius «*sed omnia non necesse est* (non ~~nunc~~ necesse est Voss. B nonnunc haec ēēt Voss. A Vind.)».'

Haec quoque, quae tam dactylicos numeros recipere videntur, quos olim de Ilbergii coniectura posui, quam scenicos, quos non uno modo recuperare Ribbeckius temptavit, dubium admodum est cui parti adscribas: ad id quod nunc secutus sum me maxime adduxit quod non credibile est Ciceronem, ex Ennio videlicet, noenum scripsisse (cuius vocis quae visa sunt vestigia unde nata sint in aperto est) sed quod ipse solet non necesse est (de fin. I 20, 65; III 11, 38; pro Rosc. Am. 32, 90). De versus forma quam posui nihil affirmo; sententia similis illi Zenonis de nat. deor. I 25, 70 'nonnulla visa esse falsa, non omnia.'

XLIV (430) Paulus Festi p. 539, 7 Th. 'tesca loca augurio designata. Cicero aspera ait esse et difficilia.' Festus '— — t loca augurio desig | ...... templa antiqua | — — (er)o aspera difficilia aditu | — — *(c)a aspera* saxa *tesca tuor*» | — — (c)teta (Acc. 554 R.) «quis tu es mortalis | — — a et tesqua te adportas loca» | .' Sic cod. Farnes. Mommsenus Festi cod. quat. XVI act. acad. a. 1864 p. 64 ex Vaticano S haec profert 'templa antiqua tesca esse ait cuero aspera difficilia aditu. Ennius «*ardua aspera* saxa *tuos*».' Unde haec Ennii esse compertum est: sed Enniana verba, quae cum Ribbeckio scripsi, vel sic ambigua sunt. Loca tesca quae sint disputat Varro de l. L. VII 8—11.

SATURARUM LIB. I

I

1 Malo hercle *magno suo* convivat sine modo

II

2 Dúm quidquid des celere

SATURARUM LIB. II

I

3 contemplor
Inde loci liquidas pilatasque aetheris oras

LIB. I I (1) Nonius p. 474, 22 'convivant pro convivantur. Pomponius .. (85 R.) «si calendis (domi) convivant, idibus cenant foris». Ennius satyrarum lib. I «malo h. *suo magno* .. modo».'

II (2) Nonius p. 510, 10 'celere pro celeriter . . . Ennius satyrarum lib. I «dum quidquid (quicquid) des celere».'

LIB. II I (3) Servius Danielin. in Aen. XII **121** p. 589, 21 Thil. 'pilata fixa et stabilia . . . Ennius saturarum II «contemplor inde loci . . aetheris oras», cum firmas et stabiles significaret quasi pilis fultas.'

---

1 magno suo *Bothius mus. Rhen.* V (1837) *p.* 266 *Cf. Plaut. asin.* 471 malo hercle iam magno tuo*; ibid.* 896 cum malo magno tuo*;* 909 cum tuo magno malo. *Terentius Andr.* 179 neque sine tuo magno malo convivat. || Sine modo *Bothius* 2 Da *vel* Dane *Gulielmius in Plauti Bacch. c.* 5 quidquid des, des *olim corr.* quidquid das, des *Bergkius opp.* I *p.* 305*; ego nihil addo sed* quidquid *intelligo* quidquid est

De sententia cf. Ausonius epigr. 86 (*p.* 219 *Schenkelii*) si bene quid facias, facias cito *eqs.; ibid.* 85. *Goethii proverb.* 129 '*doppelt giebt wer gleich giebt*' *cum Loeperi adn.* 3 *sq.* Inde . . . oras Contemplo *sic Scaliger castig. in Festum s. v.* '*compilare*' *p.* XLVIII *e Servio Danielis pleraque afferens versum Ennii citavit, unde olim* Inde . . . oras Contemplor *edidi*

II

5 Restitant occurrunt obstant obstringillant o*b*agitant

SATURARUM LIB. III

I

6 «Enni poeta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus.

II

8 Nam *ís* non bene vult tibi, qui falso criminat
Apúd te

III

10 testes sunt
Lati campi quos gerit Africa terra politos

II (5) Nonius p. 147, 9 'obstringillare (obstrigillare) obstare. Ennius satyrarum lib. II «restitant ... *ovagitant*».'

LIB. III I (6) Nonius p. 33, 7 'propinare a Graeco tractum est, post potum tradere .... Ennius satyrarum lib. III «*ennio eta selve* ... medullitus».' Idem p. 139, 13 'medullitus a medullis ..... Ennius satyrarum lib. III «*enni poeta salve* ... medullitus (medullitos Leid. m. pr.)».'

II (8) Nonius p. 470, 15 'criminat Ennius satyrarum lib. III (IIII Wolf. et e corr. Harl.) «nam *iis* (us) .. vult tibi (vult ibi Bamb. et m. pr. Leid. Harl. Par.) .. criminat apud te».'

III (10) Nonius p. 66, 25 'politiones agrorum cultus diligentes, ut polita omnia dicimus exculta et ad nitorem deducta. Ennius satyrarum lib. III «testes ... politos». idem annali lib. VIIII (XIII) «rastros ... causa poliendi agri».'

---

5 obagitant *Bentinus* obigitant *Bergkius opp.* I *p.* 232 *coll. Fest. p.* 214, 2 *Th.* obigitat antiqui dicebant pro ante agitat ut obambulare*; quam glossam credibilius est ad Ennii versum non pertinere*

7 propinas*: 'Dionysius Chalc. ap. Athen.* XV 669 *e δέχου τήνδε προπινομένην τὴν ἀπ' ἐμοῦ ποίησιν' Pascal 'Studi sugli scrittori Latini'* (1900) *p.* 46 8 Namque *proposui mus. Rhen.* XIV (1859) *p.* 567 is *ed. princ.* 11 *Cf. Hor. sat.* II 3, 87 frumenti quantum metit Africa*; Livius* XXXI 4, 6 frumentique vim ingentem quod ex Africa P. Scipio miserat ... diviserunt*; ibid.* 50, 1 frumenti vim magnam ex Africa advectam .. diviserunt

SATURARUM LIB. IV

12 neque ill*e* triste quaeritat sinapi
Neque caepe maestum

SATURARUM LIB. VI

14 Quippe sine cura laetus lautus cum advenis
Infertis malis, expedito bracchio,
16 Alacer celsus, lupino *expectans impetu,*

LIB. IV (12) Macrobius Sat. vi 5, 5 'tristis pro amaro translatio decens est, ut «tristisque lupini» (Verg. georg. i 75). et ita Ennius (&ita enniuſ praeter ſ in ras. Par.) in libro *sabinarum* (saturarum Columna) quarto «neque *triste quaeritat sinapi* n. cepe maestum».' Servius Lemovic. in georg. i 75 p. 151, 15 Thil. 'tristisque lupini: amari, cum (quo cod.) in gustu (evanuerunt octo fere litterae: sit amarum Daniel) triste: (nam incoctus amarus est falso addita) Ennius «neque *ill* .... *te quaeri. ad sinap.* (ita cod.)».' Cf. C. Gl. L. iv p. 186, 32 'tristis amarus.'

LIB. VI (14) Donatus in Ter. Phorm. ii 2, 25 'tene asymbolum venire unctum atque lautum e balneis (otiosum ab animo, cum ille et cura et sumptu absumitur. dum tibi fit quod placeat, ille ringitur, tu rideas): haec non ab Apollodoro .... translata sunt omnia. «quippe (14)... ridens voras» (19).' interstitio quod significavi libri haec habent sed de cen .... Vat. redeas In Ricc. r̄deas Oxon. sed de sexto salis ..... Leid. Dresd. sed e sexto satis ed. pr. Ven. sed e sexta satyrarum Ennii ut videtur Stephanus. His testimoniis intelligitur non nimis certo hos versus de sexto saturarum Ennii circumferri: tamen eos suo loco reliqui, ne forte frustra quaererentur.

---

12 ille *Burmannus* 14 sine cura laetus*: cf. praef. in Kochii Senecae dial. p.* x 15 infertis (inferctis, inferetis) *h. e.* inanibus*; ut a* facto infectus *sic a* farto infertae *dicuntur quae* fartae *non sunt*: insertis *Dresd. Leid.* 16 Alacer celsus *in prooem.* 1880 *p.* 14 *ab oratione et metro vindicare studui, cf. scen.* 19*; ac mihi adhuc videtur mutationibus quas metri causa adhibitas vidi et sensus et orationis venustas graviter depravari; sic enim video coniungi* alacres et erecti (*Seneca ad Helv.* 8, 5*; ad Herenn.* ii 19, 29)*;* alacri animo et erecto (*Cic. Cat. mai.* 20, 75)*; et ex altera parte* celsus et erectus (*Cic. Tusc. disp.* v 14, 42*, Plin. n. h.* viii 78)*; denique* celsus corpore vultuque laeto (*Liv.* xxx 32, 11)*;* erectum et celsum alacri et prompto ore atque vultu (*Cic. de or.* i 40, 184)*, ut in hac pictura parasiti nihil aptius quam* alacer celsus *potuisse dici mihi persuadeam. De Bentleio eadem probante et hic et* 15 *vide Dziatz-*

17 Mox cum alterius abligurias bona,
Quid censes domin*o* esse animi? pro divum fidem,
Ille tristis est dum cibum servat, tu ridens vora*s*.

SATURARUM LIB. INC.

I

Mortem ac vitam contendentes in satura tradit Ennius.

II

21 [3] 'Avicula est parva, nomen est cassita. [4] habitat nidulaturque
in segetibus id ferme temporis, ut appetat messis pullis iamiam
23 plumantibus. [5] ea cassita in sementes forte con*g*esserat tempestiviores; propterea frumentis flavescentibus pulli etiam tunc invo-

LIB. INC. I (20) Quintilianus IX 2, 36 'sed formas quoque fingimus saepe, ut Famam Vergilius (Aen. IV 173), ut Voluptatem ac Virtutem quemadmodum a Xenophonte (mem. II 1, 21 sqq.) traditur Prodicus, ut Mortem ac Vitam, quas contendentes (consentientes Ambr. et m. alt. Bamb.) in satura tradit Ennius.' Cf. Novius Atellana 'Mortis et Vitae iudicium.'

II (21) Gellius II 29, 1 Aesopus ille e Phrygia fabulator haut inmerito sapiens existimatus est, cum quae utilia monitu suasuque erant non severe neque imperiose praecepit et censuit, ut philosophis mos est, sed festivos delectabilesque apologos commentus res salubriter ac prospicienter animadversas in mentes animosque hominum cum audiendi quadam inlecebra in-

---

konem Fleckeis. ann. suppl. x *p.* 673 impetu expectans *codd.* expectans impetu *Muretus var. lect.* XIX 7; *id quoque, ne alia anquirantur, aptissime; Gellius* XVII 8, 3 ubi paratis et expectantibus nobis imposita mensae est 17 Quam mox *Muretus* abligurias *Leid.* obligurias *Vat.* ablinias *Ricc. Oxon.* ablingas *vet. cod. Pithoei; cf. Bentleius ad Ter. eun.* v 4, 14 18 domino *Muretus* dominos *codd.* 19 tristis est *h. e.* tristest, *cf. ann.* 129; *quo recepto Plasbergio versus sic esse dimetiendus* Ille tristest dúm cibum sérvat *videtur;* Ille tristis cibum dum *vulg. et Bentleius* voras *ed. princ. Ven.* vorans *codd.* 23 ea cassita *plane de more Gellii* (eius autem Chilonis I 3, 30; is Iulianus I 4, 2; is Asellio II 13, 3; is Phaedo; is Polus; is Solon, *cett.*) *nec solum Gellii sed cum aliorum* (*cf. Minuc. Fel.* 19, 4) *tum Apuleii, saepe in hoc genere male temptati a doctis* (*cf. Herm.* XXXIII *p.* 258 *sqq.*) congesserat *olim corr.* concesserat *libri. Cf. Verg. ecl.* 3, 69 notavi ipse locum aeriae quo congessere palumbes. *Servius ad h. l.* congessere nidificavere

25 lucres erant. [6] dum igitur ipsa iret cibum pullis quaesitum, monet
eos, ut si quid ibi rei novae fieret dicereturve animadverterent
idque uti sibi, ubi redisset, nuntiarent. [7] dominus postea segetum
illarum filium adulescentem vocat et «videsne» inquit «haec ema-
29 turuisse et manus iam postulare? idcirco die crastini, ubi primum
diluculabit, fac amicos eas et roges, veniant operamque mutuam
dent et messim hanc nobis adiuvent». haec ubi ille dixit, et dis-
32 cessit. [8] atque ubi redit cassita, pulli tremibundi trepiduli circum-
strepere orareque matrem, ut iam statim properet inque alium
locum sese asportet. «nam dominus» inquiunt «misit, qui amicos
35 roget, uti luce oriente veniant et metant». [9] mater iubet eos otioso
animo esse; «si enim dominus» inquit «messim ad amicos rei-
cit, crastino seges non metetur, neque necessum est hodie uti

duit. [2] velut haec eius fabula de aviculae nidulo lepide atque iucunde promonet spem fiduciamque rerum, quas efficere quis possit, haut umquam in alio sed in semet ipso habendam. [3] «avicula» inquit «est parva .... [16] demessa est». [17] haec quidem est Aesopi fabula de amicorum et propinquorum levi plerumque et inani fiducia. [18] sed quid aliud sanctiores libri philosophorum monent quam ut in nobis tantum ipsis nitamur, [19] alia autem omnia quae extra nos extraque nostrum animum sunt neque pro nostris neque pro nobis ducamus. [20] hunc Aesopi apologum Q. Ennius in satiris scite admodum et venuste versibus quadratis composuit. quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi et memoriae operae pretium esse hercle puto «hoc (Rott. Urs. et e corr. Par. h e c vel h a e c ceteri) . . . in promptum (p r o m p t u Thuan. vulg.) situm, ne quid (n e q u i t Par. n e q; Rott.) . . . *tu* agere *possis*».'
Fabula Graeca exstat in Babrianis 88 Aviani 21; in Aesopicis 379 (p. 155) Fr. de Furia. Quam Ennius lepidius expolivit. De sententia cf. Hesiod. op. 404 sq. Kirchh.

---

25 cum *Vat. Rott.* 29 die crastini, *sed* 37 crastino. *Cf. Gellius* x 24, 8 atque item simili figura 'die crastini' dicebatur, id erat 'crastino die'. *Plaut. most.* 881 die crastini; *Menaechm.* 1156 die septimi 30 amicos eas et roges: *nec* adeas *recte scribi nec* amicos eas ut roges *Herm.* xv *p.* 261 *probare studui; et* eas et roges *coniunguntur, ut* 41 imus et oramus. *Cf.* 33; *Gell.* xiv 2, 23 eas igitur et credas ei; xx 10, 5 eas igitur et discas; *et* amicos *duobus verbis praemittitur eo modo quo* tu illas abi et traduce *Terentius*, propterea pacem advenio et ad vos affero *Plautus* 32 tremibundi *ex palimps. Vat. accessit, item* 37 necessum *pro* necesse, *et* eunt *pro* erant 40, *sed* inquit 38 *non puto verum esse et requiri* igit̃ *reliquorum: sed* tremibundi trepiduli *et quaedam item alia velut* die crastini 29 *in quaest. Enn. c.* vii *exposui Ennianae orationis colorem prae se ferre, item tam plenos quadratos in his, velut*

vos auferam.» [10] die igitur postero mater in pabulum volat. domi-
39 nus, quos rogaverat, opperitur. sol fervit, et fit nihil; *i*t dies, et amici nulli eunt. [11] tum ille rursum ad filium «amici isti magnam partem» inquit «cessatores sunt. quin potius imus et cognatos
42 adfines[amicos]que nostros oramus, ut assint cras temperi ad metendum.» [12] itidem hoc pulli pavefacti matri nuntiant. mater hortatur, ut tum quoque sine metu ac sine cura sint, cognatos ad-
45 finesque nullos ferme tam esse obsequibiles ait, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur et statim dicto oboediant; «vos
47 modo» inquit «advertite, si modo quid denuo dicetur.» [13] alia luce orta avis in pastum profecta est. cognati et adfines operam quam dare rogati sunt supersederunt. [14] ad postremum igitur dominus
50 filio «valeant» inquit «amici cum propinquis. afferes primo luci falces duas, unam egomet mihi et tu tibi capies alteram et frumentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus.» [15] id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit, «tempus» inquit «est cedendi et abeundi; fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. in
55 ipso enim iam vertitur cuia res est, non in alio unde petitur.» atque ita cassita nidum migravit, seges a domino demessa est.'

Hoc erit tibi argumentum semper in promptum situm:
58 Ne quid exspectes amicos quod tu*te* agere possi*es*.

---

37 nón metetur néque necessum est hódie uti vos aúferam, *quam multas quadratorum particulas cognosci, ut* 31 et messim hanc nobis adiuvent, 39 it dies et amici nulli eunt*; ut intelligeretur Gellium non Aesopum quem videri voluit sed Ennium studiosius secutum esse. hinc profecti postea ten Brinkius et Ribbeckius totam narrationem ad suos versus revocare ludibunda manu conati sunt* 39 it *olim recte scriptum*: et *libri; cf. Plaut. rud.* 1001 verba facimus, it dies*; Apul. flor.* 16
42 amicos *delevit Hertzius; errore mentis primum ob superiora* cognatos amicosque *scriptum, dein* adfines *superscriptum: cf. Gell.* IV 2, 1 titulus scriptorum singulorum scriptus*; Min. Fel.* 16, 2 ab eius subtilitate simplicitate subtilis*; Macrob. sat.* VI 2, 15 exilioque domos et tristia dulcia limina mutant*; Tacit. dial.* 8 *extr.* ab ineunte aetate adolescentia*; Senec. de ira* III 18, 1 praefringi crura, erui oculos, amputari linguam manus iussit 47 *Alterum* modo *videtur falso additum* alia luce orta*: Soph. Electr.* 698 ἄλλης ἡμέρας*;* illa, alia atque alia viderunt luce *Catullus* 64, 16 55 alio unde petitur*: cf. Ter. eun.* 11*, Gellius* XIV 2, 21 58 tute agere possies *Fruterius veris.* II 8: tu a. possis

III

59 Nam qui lepide postulat alterum frustrari
Quem frustratur frustra eum dicit frustra esse.
61 Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur is frustra est, si non ille est frustra.

IV

63 Meum non est, ac si me canis memorderit

V

64 Numquam poetor nisi *si* podager

VI

65 Subulo quondam marinas propter astabat plagas.

III (59) Gellius XVIII 2, 7 'nuper quaesita esse memini numero septem, quorum prima fuit enarratio horum versuum qui sunt in saturis Quinti Enni uno multifariam verbo concinniter inplicati. quorum exemplum hoc est «nam qui . . . est frustra».'

IV (63) Gellius VI 9, 1 'poposci momordi pupugi cucurri probabiliter dici videtur atque ita nunc omnes ferme doctiores hisce verbis utuntur. [2] sed Q. Ennius in saturis (suis add. Rott.) memorderit dixit per e litteram, non momorderit. «*meum*» inquit «*non* est *ac* . . . memorderit».' Nonius p. 140, 25 'memordi peposci pepugi spepondi in veteribus lecta sunt . . . Ennius «*non* est *ut* . . . memorderit».'

V (64) Priscianus VIII p. 434, 8 H. 'grammaticus et philosophus et architectus et sophista et poeta Graeca sunt; itaque ex nominibus ipsis habent verba apud Graecos, unde nos quoque philosophor architector poetor in usu habuimus. Ennius «numquam p. *nisi podager*».' Cf. idem XVIII p. 272, 21 H. Ad saturas rettuli olim cum Hugio.

VI (65) Varro de l. L. VII 35 'apud Ennium (enī Flor. corr. Laetus) «su-

---

59—62 *Exhibui traditam libris formam* 61 se *olim scripsi, nec nunc abiicio* Nam si se *Usenerus* frustra sentit *Pet.* frustras sentit *pars reliquorum, pars altera* frustrassent id*; unde* frustras *h. e.* frustrans *probabam;* quem frustrat sentit *Usenerus* 62 *Putabam olim* Qui frustratur frustrast, si ille non est frustra*; Usenerus* Qui frustrat is frustrast, ille non est frustra *Ceterum cf. Plauti Bacch.* 548 atque i se cum frustrant, frustrari alios stolidi existimant*; Livius* II 31, 9 neque frustrabor ultra cives meos neque ipse frustra dictator ero*; Philemonis* (*Mein.* IV *p.* 9, *Kock.* II *p.* 484) ὁ λοιδορῶν γάρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν 63 *Cf. ann.* 528 tantidem quasi feta canes sine dentibus latrat. *Horatius c.* III 29, 57 non est meum, si mugiat Africis malus procellis, ad miseras preces decurrere. *Orationis forma fuit* (*nam dubitatum est*) *qualis haec Il.* XI 389 οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι ἢ πάις ἄφρων 64 si *addidi,* sim *L. Muellerus*

VII

66 Propter stagna ubi lanigerum genus piscibus pascit

VIII

67 decem coclites quas montibus summis
Rip*a*eis f*o*dere

IX

69 Simia quam similis turpissuma bestia nobis

X

70 Quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum

bulo . . . *astabat aquas*». subulo dictus, quod ita dicunt tibicines Tusci; quocirca radices eius in Etruria, non Latio quaerundae.' Festus p. 444, 3 Th. 'subulo Tusce tibicen dicitur; itaque Ennius «subulo . . . *adstrabat plagas*».'

VII (66) Paulus Festi p. 41, 27 Th. '«Cyprio bovi merendam» Ennius Sotadico versu cum dixit (var. 26), significavit . . . . . . idem cum dicit «propter . . . genus (pecus O. Muellerus nescio qua fide) p. pascit» esse paludem demonstrat, in qua nascuntur pisces similes ranunculis, quos oves consectatae edunt.'

VIII (67) Varro de l. L. VII 71 'apud Ennium «decem c. quas m. s. ripeis *federe* (fodere Par. a)» ab oculo cocles ut ocles dictus, qui unum haberet oculum.'

IX (69) Cicero de nat. deor. I 35, 97 'ipsa vero quam nihil ad rem pertinet quae vos delectat maxime similitudo. quid canis nonne similis lupo, atque ut Ennius «simia . . . nobis». at mores in utroque dispares.' Cf. Serenus Sammonicus (P. L. M. III Baehr.) lib. med. 819 'sive homo seu similis turpissima bestia nobis vulnera dente dedit.'

X (70) Festus p. 490, 11 Th. 'scriptum (scirpus Ursinus) est id quod in palustribus locis nascitur leve et procerum unde tegetes fiunt. inde proverbium est in eas natum res, quae nullius inpedimenti sunt, in scirpo nodum quaerere. Ennius «quaerunt . . *soliti quod* d. nodum».' Ex Festo Isidorus orig. XVII 9, 97 'scirpus a quo tegetes texuntur (teguntur optimi) sine nodo, de quo Ennius «quaerunt . . *quod soliti* (solet Wolfenb.) d. nodum».'

---

67 quas: massas *intellegit Lachmannus. Cf. Plaut. mil. glor.* 1065 nam massas habet: Aetna mons non aeque altust; *Claudianus* XXIV 235 massas argenti 68 *ʻΡιπαῖα ὄρη quae Graeci dicunt, Romanis* Riphaei (*Ennio* Ripaei) montes *sunt* *De re cf. Herodotus* III 116; IV 13. *W. Tomaschekius* '*skyth. Nord.*' I *p.* 41 *sqq.* 69 *Cf. Plato Hipp. mai.* 289 *a* ἀγνοεῖς ὅτι τὸ τοῦ Ἡρακλείτου εὖ ἔχει, ὡς ἄρα πιθήκων ὁ κάλλιστος αἰσχρὸς ἀνθρώπων γένει συμβάλλειν 70 soliti: *cf. ann.* 221; *Cicero Arat.* (*de nat. deor.* II 41, 105) stellas . . quas nostri septem soliti vocitare triones; *Aen.* I 729 implevitque mero pateram quam Belus et omnes a Belo soliti, *et saepe similiter*

VARIA

SCIPIO

I

Ἔννιος . . Σκιπίωνα ᾄδων καὶ ἐπὶ μέγα τὸν ἄνδρα ἐξᾶραι βουλόμενός φησι μόνον ἂν Ὅμηρον ἐπαξίους ἐπαίνους εἰπεῖν Σκιπίωνος· δῆλον δὲ ὡς ἐτεθήπει τοῦ ποιητοῦ τὴν μεγαλόνοιαν καὶ τῶν μέτρων τὸ μεγαλεῖον καὶ ἀξιάγαστον.

II

1 «Quantam statuam faciet populus Romanus,
Quantam columnam quae res tuas gestas loquatur.

SCIPIO I Suidas s. v. *Ἔννιος* (I 2 p. 262 Bernh.) '*Ἔννιος, Ῥωμαῖος ποιητής, ὃν Αἰλιανὸς ἐπαινεῖν ἄξιόν φησι. Σκιπίωνα γὰρ ᾄδων . . . ἀξιάγαστον, καὶ ὡς ἐπαινέσαι δεινὸς Ὅμηρός ἐστι καὶ κλέος ἀνδρὸς πυργῶσαί τε καὶ ἆραι ἐξ ὧν ἐπήνεσε τὸν Ἀχιλλέα καλῶς ἠπίστατο ὁ ποιητὴς ὁ Μεσσάπιος.*' Cf. Valerius Maximus VIII 14, 1 extr. 'superior Africanus . . . vir Homerico quam rudi atque inpolito praeconio dignior.'

II (1) Trebellius Pollio Claud. 7, 6 'rogo quantum pretium est clypeus in curia tantae victoriae, quantum una aurea statua? [7] dicit Ennius de Scipione «quantam . . . loquatur». [8] possumus dicere Flavium Claudium unicum in terris principem non columnis non statuis sed famae viribus adiuvari.' Videtur Ennius populum R. ipsum his et proximis (III. IV) Scipionem appellantem induxisse. Cf. Livius XXXVIII 56, 12 'castigatum quondam ab eo (Scipione) populum, quod eum perpetuum consulem et dictatorem vellet facere (IV), prohibuisse statuas sibi in comitio in rostris in curia in Capitolio in cella Iovis poni.' Et ex Livio Valerius Maximus IV 1, 6.

---

1 *Trebellius sententiam attulit non versus; quos Lachmannus* (*ad Lucr.* III 1034) *restituere conatur* Quam tantam (*cf. Cic. in Verr. act.* II *lib.* IV 41, 90 quam in te tantam virtutem esse arbitratus es) statuam statuet (*cf.* huic statuam statui *ann.* 567*;* vineam pro aurea statua statuam *Plaut. Curc.* 140) p. R. Quamve c. quae te res gestasque l. res tuas gestas *Trebellius scribit ut Cic. pro Marc.* 9, 29 laudibus ad caelum res tuas gestas efferent*; ibid.* 2, 4 enarrare res tuas gestas

III

3 «Scipio invicte

IV

4 «Vel tu dictator vel equorum equitumque magister
Esto vel consul

V

6 «Desine Roma tuos hostis

7 «Nam tibi *mu*nimenta mei peperere labores

8 «Testes sunt Campi Magni

III (3) Cicero orat. 45, 152 'nobis ne si cupiamus quidem distrahere voces conceditur: indicant . . omnes poetae praeter eos qui ut versum facerent saepe hiabant, ut Naevius (62 R.) «vos qui | accolitis Histrum fluvium atque algidam» et ibidem (61 R.) «quam numquam vobis Grai | atque barbari». at Ennius semel (sępe Abrinc.) «Scipio | invicte» et quidem nos «hoc motu radiantis etesiae | in vada ponti».'

IV (4) Paulus Festi p. 563, 3 Th. 'vel conligatio quidem est disiunctiva sed non earum rerum quae natura disiuncta sunt, in quibus aut coniunctione rectius utimur . . sed earum quae non sunt contra, e quibus quae eligatur nihil interest, ut Ennius «vel tu . . . consul».' Vide Livii verba (xxxviii 56, 12) ad ii adscripta, ibidem Valerii Maximi ex Livio petita.

V (6) Cicero de orat. iii 42, 167 'ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet sed in oratione «Africa . . . tumultu» (ann. 310): pro Afris est sumpta Africa. neque factumst verbum ut «mare saxifragis undis» neque translatum ut «mollitur mare» sed ornandi causa proprium proprio commutatum: «desine Roma tuos hostis», «testes (tis testes in interstitio om. Abrinc.) sunt Campi Magni» ' Idem de fin. ii 32, 106 'fluit igitur voluptas corporis . . saepiusque relinquit causam paenitendi quam recordandi. itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens «desine . . hostes» reliquaque praeclare. «nam (namque codd. praeter Erl. Spir. omnes) tibi *monimenta* (monumenta) mei peperere (reperere vel repperere nonnulli) labores». laboribus hic praeteritis gaudet . . et hic se ad ea revocat, e quibus nihil umquam rettulerit ad corpus.' Hae tres particulae orationis sunt qua Scipio patriam appellavit: cf. Livius xxxviii 50, 11.

---

7 munimenta *Muretus* moenimenta *Klotzius* peperere*: cf. ann.* 447*; Aen.* xi 25 egregias animas quae sanguine nobis hanc patriam peperere suo*; Claudianus in Rufin.* ii 51 imperium . . quod mille ducum peperere labores 8 Campi Magni*: cf. Livius* xxx 8, 3 postero die cum equitatu in Magnos (ita vocant) Campos subiectos ei tumulo degressus*; Appianus Libyc.* 68 *p.* 253, 7 *Mend. τῶν λεγομένων Μεγάλων Πεδίων*

VI

9 mundus caeli vastus constitit silentio
Et Neptunus saevus undis asperis pausam dedit,
11 Sol equis iter repressit ungulis volantibus,
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.

VII

13 Qua*que* propter Hannibalis copias considerat

VIII

14 Sparsis hastis longis campus splendet et horret

VI (9) Macrobius Sat. vi 2, 26 'tum pater omnipotens rerum cui summa potestas infit: eo dicente deum domus alta silescit et tremefacta solo tellus, silet arduus aether. tum venti posuere, premit placida aequora pontus (Aen. x 100 sqq.). Ennius in Scipione «mundus . . . vacant».'

VII (13) Gellius iv 7, 2 'Valerius Probus . . Hannibalem et Hasdrubalem et Hamilcarem ita pronuntiabat ut paenultimam circumflecteret, ut est epistula eius scripta ad Marcellum, in qua Plautum et Ennium multosque alios veteres eo modo pronuntiasse affirmat, [3] solius tamen Ennii versum unum ponit ex libro qui Scipio inscribitur. [4] eum versum quadrato numero factum subiecimus, in quo nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexe promatur numerus clausurus est. [5] versus Ennii quem dixit ita est «*qua* propter . . considerat (Par. considerant Vat. Rott.)».'

VIII (14) Macrobius Sat. vi 4, 6 'tum ferreus hastis horret ager (Aen. xi 601). horret mire se habet. sed et Ennius in quarto decimo [vii] et in Erechtheo [iv] et in Scipione «sparsis . . . horret».' Servius in Aen. xi 601 'horret ager: terribilis est: est autem (et est Flor.) versus Ennianus vituperatus a Lucilio (1165 L.) dicente per inrisionem debuisse eum dicere «horret et alget»: unde Horatius (sat. i 10, 54) de Lucilio «non ridet (dicens add. Flor.) versus Enni gravitate minores».'

---

10. 11 *Paene mirum est nondum exstitisse qui hos duos versus ordinem mutare iuberet ut paria cum paribus coniungerentur, quo nihil magis philologis placet* · 13 Quaque *M. Hertzius, quod quamquam plane certum non est, tamen aliis propositis probabilius mihi adhuc videtur* considerat*: cf. Livius* ix 37, 7 quod sine munimento considerant

14 *In versu Lycophronis ad ann.* xiv *fr.* vii *citato πέφρικαν δ' ὥστε ληίου γύαι λόγχαις ἀποστίλβοντες habes idem cum Enniano* splendet et horret, *quod Lucilius irrisit* *Hexametrum, quem non licet Ennio adimere, paulo clementiorem reddas si scripseris* Sparsis hastis longe is campus (*scilicet is qui descriptus est ante*) s. et h., *sive* sparsis longe *sive* longe splendet *malueris; sed ne* longas *quidem* hastas *tuto sustuleris:* stant longis adnixi hastis *Vergilius; μακραὶ λόγχαι Euripides*

EPIGRAMMATA

I

15 Aspicite o cives senis Enni imaginis formam.
Hic vestrum p*a*nxit maxima facta patrum.

II

17 Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu
Faxit. cur? volito vivos per ora virum.

III

19 Hic est ille situs, cui nemo civis neque hostis
Qui*bi*t pro factis reddere op*is* pretium.

EPIGRAMMATA I. II (15. 17) Cicero Tusc. disp. I 15, 34 'quid poetae nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud «aspicite . . . *pinxit* . . patrum» (I). mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres adfecerat gloria; idemque «nemo me lacrimis. cur? volito . . . virum» (II).' nimis temere agere qui v. 17 a Cicerone non perscriptum ex aliis locis eiusdem suppletum dent in prooemio 1879/80 p. 4 monui; sed et hoc loco peccant editores et rursus Cat. mai. infra citato. Idem ibid. 49, 117 'quod si fiat, melior Enni quam Solonis oratio. hic enim noster «nemo me lacrimis decoret» inquit «*nec* . . faxit» (II). at vero ille sapiens «mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis maerorem, ut celebrent funera cum gemitu».' Idem Cat. mai. 20, 73 'Solonis quidem sapientis est elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. volt credo se esse carum suis; sed haud scio an melius Ennius «nemo . . . *neque* . . faxit» (II). non censet lugendam esse mortem, quam inmortalitas consequatur.' Haec duo esse epigrammata quae vulgo pro uno habebantur Cicerone inducente Otto Iahnius docuit (Herm. II p. 242). Ennianum autem utrumque esse et Cicero credidit et par est nos credere.

III (19) Seneca epist. 108, 32 '(grammaticus) deinde Ennianos (ita Pincianus, fuit i n a n e s) colligit versus et in primis illos de Africano scriptos «cui nemo . . . *quivult* . . . *operae* pretium». ex eo se ait intellegere aput antiquos non tantum auxilium significasse (opem) sed operam: ait [opera] enim Ennius neminem potuisse Scipioni neque civem neque hostem reddere operae pretium.' Sic olim constitui locum addita voce o p e m (quam ex Hensii adnotatione vidi Korschium ante a p u d inseri maluisse, quod sane praeferendum) et E n n i u s ex scripturae vestigiis i n e i u s expiscatus; et hoc

15 Enni imaginis: *cf. Lachmannus ad Lucr.* VI 743 16 panxit *olim corr.*: pinxit *Cf. ann.* 299 *et quae in prooem.* 1894/95 *p.* 5 *sq. exposui; C. Gl. L.* VII *p.* 44 18 *Verg. georg.* III 9 victorque virum volitare per ora; *Macrobius Sat.* V 17, 5 pro vero per ora omnium volitet 19 nemo civis neque hostis: *cf. prooem.* 1879 *p.* 4 20 quibit *Pincianus* quivit *Muretus*: quivult opis *scripsi*: operae

IV

21 A sole exoriente supra Maeotis paludes
Nemo est qui factis aequiperare queat.
23 Si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam est,
Mi soli caeli maxima porta patet.

quidem etiam Haasius; opem autem multis annis post Madvigius quoque (adv. crit. ii 1873 p. 508) addendum censuit sed alio loco et alia significatione, mei conaminis non memor; qui quod in Ennii versu operae pretium fuisse, hoc autem grammaticum opis latae pretium interpretatum esse opinatus ita scribi iubet non tantum (opem) auxilium significasse sed operam, posuit quae non uno nomine improbabilia sunt: si enim Ennii versus habebat haec vulgata operae pretium, occasio non erat observationis grammaticae; nam hoc vulgaris est usus, velut Livius, ut hoc utar, scribit xxv 6, 21 'operae pretium habent libertatem civitatemque' h. e. laboris, contentionis pretium. sed hoc se Seneca non legisse manifesto prodit: immo legit quod reposui opis pretium: ex eo autem ait intelligi, opem non tantum auxilium significasse (quae est eius vocis communis significatio) sed operam. Ennium enim cum scriberet opis pretium intellexisse nihil aliud quam operae pretium. Cicero de leg. ii 22, 57 '(Sulla) primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. declarat enim Ennius de Africano «hic est ille situs» vere: nam siti dicuntur ii qui conditi sunt.' Hanc particulam (cf. carm. epigr. 1259, 1, al. Buech.) in unum elogium cum superioribus coniunxit Scaliger catal. p. 187.

IV (21) Cicero Tusc. disp. v 17, 49 'nec in misera vita quicquam est praedicabile aut gloriandum nec in ea quae nec misera sit nec beata: et est in aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum, ut Epaminondas ... ut Africanus «a sole e. *supra* Maeotis (Maeotides vel Maeotidas pauci dett.) ... queat» (21 sq.). quod si, beata vita glorianda et praedicanda et prae se ferenda est.' Mamertinus genethl. Maximiani 16, 3 (p. 155 Arntzen. p. 114, 9 Baehr.) 'etenim quod ait ille Romani carminis primus auctor «a sole e. *ad usque* meotis paludes» (21), id nunc longius longiusque protendere licet ... [4] etenim ab ipso solis ortu non modo hac citra meotis sub extrema septentrionis plaga ...' Seneca epist. 108, 34 post supra ad iii adscripta 'felicem deinde se putat, quod invenerit unde visum sit Vergilio dicere (georg. iii 260) «quem super ingens porta tonat caeli». Ennium hoc ait Homero subripuisse, Ennio Vergilium (cf. ad ann. lib. inc. fr. cxxxvi). esse enim apud Ciceronem in his ipsis de re p. hoc epigramma Enni «si fas (ẽ·nisi fas vel ẽ·nisisas libri; corr. Schweighaeuserus) ... patet» (23 sq.).' Lactantius div. inst. i 18, 10 'si quis unum hominem iugulaverit, pro contaminato ac nefario habetur .... ille autem qui infinita hominum milia trucidarit .... non modo in templum sed etiam in caelum admittitur. [11] aput Ennium sic loquitur Africanus «si fas endo (sic Pal. faciendo vel fas est do ceteri) plagas caelestum (caelestium nonnulli) ... patet» (23 sq.) scilicet quia magnam partem generis humani extinxit ac perdidit. [12] o in quantis tenebris Africane versatus es, vel potius o poeta, qui per caedes et sanguinem patere hominibus ascensum in caelum putaveris. [13] cui vanitati etiam Cicero adsensit. «est vero» inquit «Afri-

SOTA

I

25 Ibant malaci viere Veneriam corollam.

II

26 Cyprio bovi merendam

III

27 Alius in mari vult magno tenere tonsam

IV

28 alii rhetorica tongent

cane: nam et Herculi eadem ista porta patuit».' Duo disticha coniunxit Scaliger catal. p. 187.

SOTA M. Caesar ad Frontonem iv 2 p. 61 Nab. 'Sota Ennianus remissus a te et in charta puriore et volumine gratiore et littera festiviore quam antea fuerat videtur.'

I (25) Varro de l. L. v 62 'ideo haec (Victoria) cum corona et palma, quod corona vinclum capitis et ipsa a vinctura dicitur vieri id est vinciri (sic Scioppius viere est vincere Flor.), a quo est in Sota Enni «ibant *mala civiere* v. *corollam*».' Festus ex apogr. l. xx p. 570, 22 Th. 'viere alligare significat ut hic versus demonstrat «iba — *malaci viere* v. *corollam*», unde vimina et vasa viminea.' Fragm. de metris G. L. K. vi p. 613, 15 'ionicus septenarius «ibant *mala cluere* v. *coronam*».' Cf. Nonius p. 189, 21 'viere vincire inflectere. Varro de re rustica lib. i [23, 5].' C. Gl. L. vii p. 415. Usenerus annal. Fleckeis. cvii (1873) p. 398.

II (26) Paulus Festi p. 41, 25 Th. '«Cyprio bovi merendam» Ennius Sotadico versu cum dixit significavit id quod solet fieri in insula Cypro in qua boves humano stercore pascuntur.' Cf. Paulus Festi p. 89, 11 Th. 'merendam antiqui dicebant pro prandio, quod scilicet medio die caperetur.' Plautus mostell. 966 et quae Lorenzius adnotavit. Hesychius *βοῦς Κύπριος· κοπροφάγος . . σημαίνει δὲ ἀτοπίαν τῶν Κυπρίων . . ὅτι κοπροφαγοῦσιν.*

III (27) Festus p. 540, 4 Th. 'tonsam Ennius significat remum, quod quasi tondeatur ferro, cum ait l. vii [230]. item [ann. 231] et in *nasota* (in Sota O. Muellerus p. 413) «alius . . . tonsam».'

IV (28) Paulus Festi p. 539, 6 Th. 'tongere nosse est, nam Praenestini tongitionem dicunt notionem. Ennius «alii rhetorica tongent».' Festus '— — lo ait noscere esse | — — tionem dicant pro no | — — tius dominari. Ennius | — — tongent».' Sotadicum agnovit Scaliger coniect. in Varr. de l. L. p. 28, qui hunc cum superiore coniunxit.

---

28 *Putabam olim* alii (denique) rhetorica t., *ut* rhetōrica *esset quemadmodum* Hectōrem *dixit Ennius scen.* 82

V

29 Ille ictus retro re*c*cidit in natem supinus.

PROTREPTICUS
PRAECEPTA

I

30 pannibus

II

31 Ubi videt avenam lolium crescere inter triticum,
Selegit secernit aufert; sedulo ubi operam addidit,
33 Qu*oni*am tanto studio seruit

HEDYPHAGETICA

34 Omnibus ut Clipea praestat mustela marina.

V (29) Fragm. de metris G. L. K. vi p. 613, 17 'ionicus (a) maiore «ille . . *recidit* . . supinus» habet vitium in tertia syllaba.' Sotadicum restituit et Ennianum esse suspicatur Lachmannus ad Lucr. i 186.

PROTREPTICUS sive PRAECEPTA I (30) Charisius i p. 54, 19 K. 'at cum nulla causa cogente quid tale dicitur (abl. et dat. in abus vel ibus pro is), tunc nimirum confitendum est de errore, ut . . . Ennius in *protreptrico* «pannibus».'

II (31) Priscianus x p. 532, 17 H. 'vetustissimi tamen etiam in simplici serui protulisse inveniuntur pro ordinavi et pro sevi. Ennius in praeceptis «ubi . . . selegit (Bern. seligit ceteri) s. aufert (aut fert Par. R) . . . *quam* . . seruit».'

HEDYPHAGETICA Apuleius apologia 39 'Q. Ennius hedyphagetica (he d̅f̅ phagitica Flor. unde Apuleium quidem credibile fit nihil nisi he-

---

33 Quoniam *scripsi pro* quam (*mus. Rhen.* xvi *p.* 580) *et sententiam sic supplevi* sedulo ubi operam addidit, Quoniam tanto studio seruit, messem exspectat prosperam 34 *sqq. De versuum difficillimorum scriptura egi m. Febr. a.* 1861 *in mus. Rhen.* xvi *p.* 581 *sqq., sed ea, ut mea solent, a doctis ignorata sunt aut contempta; eodem anno de iisdem Bergkius in Fleckeiseni annal.* lxxxiii *p.* 621 *sqq. nuper praecipue piscium nomina quae sunt apud Ennium et apud Archestratum erudite persecutus Georgius Schmidius in comment. ministerii instr. publ. Petropolit. a.* 1896 *has reliquias tractavit. novissime Apuleii apologiam ad codd. Flor. edidit I. v. d. Vliet* 1900; *ex iisdemque libris mecum scripturas R. Helmius communicavit. de Graecis Archestrati quae Ennius expressit dixi olim quaest. Enn. p.* xci 34 ut *si verum est exclamativum videtur*

Mures sunt Aeni asper*aque* ostrea plurima Abyd*i*.
Mitylenae est pecten caradrumque apud *A*mbraciae finis.
Brundisii sargus bonus est, hunc magnus si erit sume.
Apriculum piscem scito primum esse Ta*re*nti.
Surrenti *e*lopem fac emas, glaucumque aput Cumas.
Quid scarum praeterii ce*re*brum Iovis paene supremi:

dyphagetica olim repositum scripsisse, sive haec Ennii inscriptio erat sive non) versibus (aũ f1b; Flor.) scripsit. innumerabilia genera piscium enumerat, quae scilicet curiose cognorat. paucos versus memini, eos dicam «omnibus (34) ... echini (44)». alios etiam multis versibus decoravit, et ubi gentium quisque eorum, qualiter assus aut iusulentus optime sapiat: nec tamen ab eruditis reprehenditur.'

Clupeae *Turnebus* 35 aen'aspera *Flor.* que *addidit Bergkius* Abydi *Casaubonus*: abidi|m; *Flor.* 36 mitilenę ē *Flor.* caradrumquę apud ūbracię (ūmbracie *Flor. alt.*) finis *Flor.* caradrum *quod genus piscium dicatur* (*nihil enim nisi piscis nomen exspectatur*) *incompertum: cf. Schmidius l. c. p.* 7 *sq.* apud Ambraciensis *Casaubonus non inepte, et de* Ambracia *non sinit dubitare Archestratus: Athen.* III 92 *d* Ἀρχέστρατος δ' ἐν γαστρονομίᾳ φησί (*p.* 165 *Brandt.*) 'τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος . . . τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη· πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει; *aususne est forte homo semigraecus* ἀμφ' Ἀμβρακίηφιν *ut* Φθίηφιν *et* ἀμφ' ὀστεόφιν? *Ceterum apparet in his versibus sententias per versuum fines absolvi, quod nec in hoc versu nec in proximo attenderunt docti* 37 brundisii *Flor. Cf. Lachmannus ad Lucr.* V 1006 *p.* 328 38 apriculū *Flor. Cf. Apuleius apolog.* 34 tam ridiculum . . quam si dicas marinum pectinem comendo capillo quaesitum . . aut venandis apris piscem apriculum aut eliciendis mortuis marina calvaria (*cf. v.* 43) *Ceterum versus cohaerent* sume Apriculum*; de longa syllaba cf. ann* 320 targenti *Flor.* 39 surrentia elopē fac emas *Flor.* surrenti a elopē face mas *Flor. alt.* Surrentid elopem (*ut* a *et* t *simillima*) *cogitaram cum Salmasio, ut* 35 Aenid aspra *cum eodem; sed ut ibi probabilius* Aeni asperaque, *sic nunc* Surrenti tu elopem *malim cum Baehrensio;* Surrenti face emas helopem *edidi olim* *Athenaeus* VII 300 *d e* ἔλοψ. προείρηται μέν τινα περὶ αὐτοῦ (*p.* 282 *d*) ἀλλὰ καὶ Ἀρχέστρατός φησι τάδε περὶ αὐτοῦ (*p.* 145 *Br.*) 'τὸν δ' ἔλοπ' ἔσθε μάλιστα Συρακούσαις ἐνὶ κλειναῖς τόν γε κρατιστεύοντα' glaucūq; (*sic*) aput cumas *Flor.* glaucumque *proposueram l. c. quod v.* 35 *et* 36 *commendabatur; de* aput (*h. e.* apo *vel* ape) Cumas *ibidem dixi, nuper Fr. Leo quaest. Plaut. p.* 227. glaucumque ἀπὸ Κύμης *vel* γλαῦκόν τ' ἀπὸ Κύμης *Bergkius et v. d. Vliet* 40 Quid scaru'? praeterii *Bergkius; vix dubito posse* Quid? scaru(m) praeterii *tolerari;*

Nestoris ad patriam hic capitur magnusque bonusque:
42 Melanurum turdum merulamque umbramque marinam.
Polypus Corcyrae, calvaria pinguia *a*carnae,
44 Purpur*a*, mu*r*iculi, mures, dulces quoque echini.

EPICHARMUS

I

45 Nam videbar somniare me*d* ego esse mortuum

II

46 Frigori miscet calorem atque humori aritudinem

EPICHARMUS I (45) Cicero Lucull. 16, 51 'num censes Ennium cum in hortis cum Servio Galba vicino suo ambulavisset dixisse «visus sum mihi cum Galba ambulare»? at cum somniavit, ita narravit «visus Homerus adesse poeta» (ann. 6). idemque in Epicharmo «nam (i n e p i c h a r m o n ā Voss. B i n e p i c h a r m o n ā Voss. A i n e p i o h a r m o n a m Vind.; ante nam vel nā a corr. distinct.) . . *me et* ego e. mortuum».'

II (46) Varro de l. L. v 59 'haec duo, caelum et terra, quod anima et

---

paene, *puto, ad* praeterii *refertur* *Athenaeus* VII 320 *a* Ἀρχέστρατος δ' ἐν τῇ γαστρονομίᾳ (*p.* 160 *Br.*) 'σκάρον ἐξ Ἐφέσου ζήτει' . . . κἀν ἄλλῳ δὲ μέρει φησίν (*p.* 146 *Br.*) 'καὶ σκάρον ἐν παράλῳ Καλχηδόνι τὸν μέγαν ὄπτα' celebrũ (cerebrum *corr. Flor. alt.*) *et* suppm̄i *Flor. De locutione disputat Schmidius l. c.; addo Hauptium opp.* II *p.* 430 42 *Pendent haec, opinor, a* praeterii 40 *neque post ea nonnulla desiderari mihi persuadetur* *De* Mélanurúm *ut* 36 Mítylenaé *disserui l. c. p.* 582 *sq.* *Columella* VIII 16, 8 saxatiles dicti sunt, ut merulae turdique nec minus melanuri ũbra Inque *Flor.* ũbrã Inque *corr. Flor. alt.* 43 polipus corcirę *Flor.* Corcyraest *Bergkius, sed quidni* capitur *ex v.* 41 *auditur* *Athenaeus* VII 318 *f* Ἀρχέστρατος δέ φησι (*p.* 164 *Br.*) 'πούλυποι ἔν τε Θάσῳ καὶ Καρίᾳ εἰσὶν ἄριστοι· καὶ Κέρκυρα τρέφει μεγάλους πολλούς τε τὸ πλῆθος calvaria*: cf. Apuleii verba ad* 38 *adscripta* quaesita eliciendis mortuis marina calvaria*: quo minus hoc mutare licet quod Schmidius l. c. p.* 9 *instituit* pinguia carne *Flor.* pinguia acarnae *cum Salmasio scripsi olim et teneo coll. Lucil.* 22 *L.* abdomine thynni advenientibus priva dabo cephalaeaque acharnae, *quae apud Gellium* cephaleaque acarne (carne *pauci*) *scripta sunt; quibus Lachmannus Sotadis versum confert* γλαύκου φέρω κεφάλαια παμμεγέθη δύο 44 purpura muriculi *ed. Vicent.* purpurā marriculi *Flor.* murex *Casaubonus* 45 med ego esse *Manutius* me decesse *Usenerus*

III

47 Aqua terra anima [et] sol

IV

48 Terris gentis omnis peperit et resumit denuo

49 dat cibaria

50 quod gerit fruges, Ceres

V

51 terra corpus est, at mentis ignis est.

corpus. humidum et frigidum terra . . . caldor e caelo quod huic innumerabiles et immortales ignes . . . . ut humores frigidae sunt humi . . [60] quibus iunctis caelum et terra omnia ex (se) genuerunt, quod per hos natura «frigori m.. calorem (calori m. pr. Flor.) a. homori aritudinem».' Cf. Nonius p. 71, 22 'aritudinem pro ariditate Varro (Pro)metheo in libro I (VI B.) «humanae quandam gentem stirpis concoquit, frigus calore atque humore aritudinem miscet.' C. Gl. L. VI p. 95. Epicharmo Ennii, quo utitur ibi Varro (cf. VI), haec quoque ascripsit Columna.

III (47) Varro rer. rust. I 4, 1 'eius (agri culturam dicit) principia sunt eadem quae mundi esse Ennius scribit, «aqua terra anima et sol».' Huc refert Columna.

IV (48) Varro de l. L. V 64 'terra Ops, quod hic omne opus et hac opus ad vivendum; et ideo dicitur Ops mater, quod terra mater. haec enim «terris . . . denuo»; quae «dat cibaria» ut ait Ennius. quae «quod gerit fruges, Ceres». antiquis enim quod nunc G C (& Flor. corr. Lachmannus).' Tres discrevi particulas non, puto, continuas in Ennii carmine: ad Ennium enim redire haec omnia probabile est, quorum de altero et tertio varie iudicarunt. Ennii autem si sunt haec, Epicharmo eius recte olim ascripta sunt.

V (51) Priscianus VII p. 341, 20 H. 'hic et haec amentis et hoc amente; nec mirum, cuius simplex quoque mentis Ennius protulit in Epicharmo «terra . . . ignis est» pro mens.' Cf. Placidus C. Gl. L. V p. 84, 2 et 116, 45 'mentis: genitivum casum pro nominativo posuit, debuit enim dicere mens.'

---

47 et *delevit Politianus* *Cf. ann.* 522; *Ciceronis Timaeus* 13, 47 particulas ignis et terrae et aquae et animae a mundo mutuabantur; *ibid.* 12, 45; 14, 50; *Acad. post.* I 7, 26 itaque aer et ignis et aqua et terra prima sunt; *Paulus Festi p.* 67, 27 *Th.* geniales deos dixerunt aquam terram ignem aerem 50 *Cicero de nat. deor.* II 26, 67 mater est a g e r e n d i s f r u g i b u s C e r e s tamquam Geres; II 23, 60; III 24, 62; III 20, 52 si est Ceres a gerendo, terra ipsa dea est 51—53 *De his vide Hauptium disserentem opp.* II *p.* 193, *qui Epicharmea quae a Plutarcho in consolatione Apollonii p.* 110 *a b afferuntur* συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆνθεν ὅθεν ἦνθεν πάλιν, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμ' ἄνω *conferri*

VI

52 Istic est de sole sumptus ignis

53 isque totus mentis est

VII

54 Istic est is Iupiter quem dico, quem Graeci vocant
Aerem, qui ventus est et nubes, imber postea,
Atque ex imbre frigus, vent*us* post fit, aer denuo.
57 Haec propter Iupiter sunt ista quae dico tibi,
Qua mortalis atque urbes beluasque omnis iuvat.

VIII

59 Proserpina

VI (52) Varro de l. L. v 59 'humidum et frigidum terra, sive . . . sive, ut Zenon Citieus, animalium semen ignis isque (Lachmannus is qui Flor.) anima ac mens. qui caldor e caelo, quod huic (Lachmannus hinc Flor.) innumerabiles et immortales ignes; itaque Epicharmus dicit de mente humana; ait «istic . . . ignis». idem solem «isque . . est».' Haec verba, quorum nihil abiici potest, nec possunt nec debent in unum versum coire; itaque duorum particulas descripsi.

VII (54) Varro de l. L. v 65 'idem hi dei Caelum et Terra, Iupiter et Iuno, quod, ut ait Ennius, «istic . . . frigus *ventis* (56) . . . *hec* (57) . . . qua mortalis (58) . . . iuvat». quod hinc omnis et sub hoc, eundem appellans dicit (ann. 580) «divumque hominumque pater rex».'

VIII (59) Varro de l. L. v 68 'hinc Epicharmus enii Proserpinam quoque appellat, quod solet esse sub terris, dicta Proserpina quod haec ut

---

iubet 55 Aerem*: ann.* 148 vento quem perhibent Graium genus aera lingua*; sed cf. Charisius* I *p.* 85, 11 *K.* aer aether, hunc aera et aethera . . dicimus: Graeca enim sunt. sed et hunc aerem veteres Latina declinatione dixerunt*; ibid. p.* 121, 12 56 ventus*Laetus;* ventis *tuetur Lachmannus ita verba iungens* ex imbre frigus ventis post fit aer denuo 57 Haecce *vel* Haece *L. Spengelius, Lachmannus* Haec propterea *L. Spengelius postea* 58 Quoniam *O. Muellerus* Quando *Lachmannus;* Quia *Laetus, quod ceteris praestaret modo versui satisfaceret; certe recte* iuvant *L. Spengelius: nam ista quae dicit sunt Iupiter quia mortales iuvant: cf. Varro* v 67 dicta, quod una cum Iove iuvat, Iuno*; Cic. de nat. deor.* II 25, 64 *ad ann. lib. inc.* CVI *adscriptus; Gellius* v 12, 4 *Ad totam sententiam Hauptius l. c. Menandri versus a Stobaeo flor.* 91, 29 *citatos attulit ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει ἀνέμους ὕδωρ γῆν ἥλιον πῦρ ἀστέρας*

EUHEMERUS SIVE SACRA HISTORIA

I

60 Initio primus in terris imperium summum Caelus habuit: is id regnum una cum fratribus suis sibi instituit atque paravit.

II

62 Caelo avo, quem dicit Euhemerus in Oceania mortuum et in oppido Aulacia sepultum.

III

64 Exim Saturnus uxorem duxit Opem. Titan qui maior natu erat postulat ut ipse regnaret. ibi Vesta mater eorum et sorores Ceres atque Ops suadent Saturno, uti de regno ne concedat fratri.
67 [3] ibi Titan, qui facie deterior esset quam Saturnus, idcirco et quod videbat matrem atque sorores suas operam dare uti Saturnus regnaret, concessit ei ut is regnaret. itaque pactus est cum Sa-

serpens modo in dexteram modo in sinisteram partem late movetur. serpere et proserpere idem dicebant, ut Plautus quod scribit (Poen. 1034) «quasi proserpens bestia».'

EUHEMERUS Cicero de nat. deor. I 42, 119 'qui aut fortis aut claros aut potentis viros tradunt post mortem ad deos pervenisse eosque esse ipsos quos nos colere precari venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Euhemero est, quem noster et interpretatus est et secutus praeter ceteros Ennius. ab Euhemero autem et mortes et sepulturae demonstrantur deorum.' Cf. Lactantius infra VII et de ira dei 11, 7; Arnobius IV 29.

I (60) Lactantius div. inst. I 13, 14 'Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnasse Saturnum, sed Uranum patrem. «initio» inquit «primus . . . paravit».' Cf. epitome 14, 4.

II (62) Lactantius div. inst. I 11, 65; cf. ad VI adscripta.

III. IV (64. 83) Lactantius div. inst. I 14, 1 'nunc quoniam ab his quae rettuli aliquantum sacra historia dissentit, aperiamus ea quae veris litteris continentur, ne poetarum ineptias in accusandis religionibus sequi ac probare videamur. [2] haec Enni verba sunt «exim . . . traditum est» (III; cf. epitom.

---

60 Caelus: *cf. ad ann.* I *fr.* XXI *adscr.* 63 aulatia *Par. S* aut lacia *Par. R* Huracia *G. Némethy Euhemeri reliq.* (1889) *p.* 53 *et* 79; *cf. Diodorus in describenda Panchaea insula* V 45, 2 *ἔχει δὲ ἡ νῆσος αὕτη καὶ πόλεις τρεῖς ἀξιολόγους, Ὑρακίαν καὶ Δαλίδα καὶ Ὠκεανίδα*
64 exim *Put. Val.* exin *alii* 67 *Cf. Sibyll. carm.* III 127 *καί ῥ' ἔκριναν βασιλῆα Κρόνον πάντων βασιλεύειν, οὕνεκά τοι πρέσβιστός τ' ἦν γε καὶ εἶδος ἄριστος; haec tantum posueram olim, nimis aperte cum Ennianis*

turno, uti si quid liberum virile secus ei natum esset, ne quid educaret. id eius rei causa fecit, uti ad suos gnatos regnum rediret. [4] tum Saturno filius qui primus natus est, eum necaverunt. deinde posterius nati sunt gemini, Iuppiter atque Iuno. tum Iunonem Saturno in conspectum dedere atque Iovem clam abscondunt dantque eum Vestae educandum celantes Saturnum. [5] item Neptunum clam Saturno Ops parit eumque clanculum abscondit. ad eundem modum tertio partu Ops parit geminos, Plutonem et Glaucam. Pluto Latine est Dis pater, alii Orcum vocant. ibi filiam Glaucam Saturno ostendunt, at filium Plutonem celant atque abscondunt. deinde Glauca parva emoritur. [6] haec ut scripta sunt Iovis fratrumque eius stirps atque cognatio: in hunc modum nobis ex sacra scriptione traditum est.

IV

Deinde Titan postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam se, seducit secum filios suos qui Titani vocantur, fratremque suum Saturnum atque Opem conprehendit eosque muro circumegit et custodiam his apponit.

V

Iovem adultum, cum audisset patrem atque matrem custodiis circumsaeptos atque in vincula coniectos, venisse cum magna Cretensium multitudine Titanumque ac filios eius pugna vicisse, parentes vinculis exemisse, patri regnum reddidisse atque ita in Cretam remeasse. [11] post haec deinde Saturno sortem datam, ut caveret ne filius eum regno expelleret; illum elevandae sortis

13, 3). [7] item paulo post haec infert «deinde ... apponit» (IV). haec historia quam vera sit docet Sibylla Erythraea eadem fere dicens, nisi quod in paucis quae ad rem non attinent discrepat.'

V (87) Lactantius div. inst. I 14, 10 (paulo post fr. IV) 'reliqua historia sic contexitur «Iovem ... invenit».' «Consedisse ... portendisse»: cf. ad VI adscripta.

---

sive Euhemerianis congruentia; quae nuper Némethy 'Philologiai Közlöny' XXI I *accuratius persecutus est* 70 virile secus *ex codd. scripturis proditum Brandtus; cf. Némethy Euhem. reliq. p.* 80 quid *om. Par. S Pal.* id *malit Brandtus* 75 Vestae*: cf.* 65 *et* 139. *Diodor.* VI 2, 8 78 diis pater *vel* diespiter, dispiter *codd. Cf. Varro de l. L.* V 66 86 muros *Parr. R et S*

atque effugiendi periculi gratia insidiatum Iovi, ut eum necaret; Iovem cognitis insidiis regnum sibi denuo vindicasse ac fugasse Saturnum, [12] qui cum iactatus esset per omnes terras persequentibus armatis, quos ad eum conprehendendum vel necandum Iuppiter miserat, vix in Italia locum in quo lateret invenit.

Consedisse illi aquilam in capite atque ei regnum portendisse.

VI

Deinde Pan eum deducit in montem, qui vocatur Caeli ste*l*a. postquam eo ascendit, contemplatus est late terras, ibique in eo monte aram creat Caelo, primusque in ea ara Iuppiter sacrificavit. in eo loco suspexit in caelum quod nunc nos nominamus,

VI (99) Lactantius div. inst. I 11, 62 de Saturno Iovis patre agens et qui factum sit ut Caeli filius diceretur 'nunc dicam quomodo ubi a quo sit hoc factum; non enim Saturnus hoc sed Iuppiter fecit. [63] in sacra historia sic Ennius tradit «deinde . . . adolevit.» nec hic tantum sacrificasse Iuppiter invenitur. [64] Caesar quoque in Arato refert Aglaosthenen dicere Iovem cum ex insula Naxo adversus Titanas proficisceretur et sacrificium faceret in litore, aquilam ei in auspicium advolasse quam victor bono omine acceptam tu-

---

99 pauenium *Par. R* pan eum *ceteri Brandti; nuper docti varia proposuerunt,* Panchaeum eum *vel* Panchaeum *sine* eum *vel* Panchaiam (*cf. Némethy Euhem. reliq. p.* 83), *sed eorum nemo probabilem orationis formam excogitavit nec ego video quo modo Panchaeae insulae commemoratio huic loco accommodari possit. ceterum* Panos *non nullas apud Euhemerum rationes fuisse subindicat Hyginus astron.* II 13 *extr.* stella *libri h. e.* stela (*ut Ciaconius scripsit*), *quod sic recte nec sine exemplis Latine scribitur et cum illo nonnumquam scribendo permutatum est; et posse montem monumenti loco* stelam *appellari aegre dubites; sed* Caeli sella *scribi iussit Krahnerus, quia apud Diodorum* V 44, 5 *sq. haec leguntur* μετὰ τὸ προειρημένον πεδίον ὄρος ἐστὶν ὑψηλόν, καθιερωμένον μὲν θεοῖς, ὀνομαζόμενον δὲ Οὐρανοῦ δίφρος καὶ Τριφύλιος Ὄλυμπος· μυθολογοῦσι γὰρ τὸ παλαιὸν Οὐρανὸν βασιλεύοντα τῆς οἰκουμένης προσηνῶς ἐνδιατρίβειν ἐν τῷδε τῷ τόπῳ καὶ ἀπὸ τοῦ ὕψους ἐφορᾶν τόν τε οὐρανὸν καὶ τὰ κατ᾽ αὐτὸν ἄστρα, ὕστερον δὲ Τριφύλιον Ὄλυμπον κληθῆναι. *Quae ut est coniectura speciosa, ita cum plausu nec sine contemptu alieno excepta ab Némethy Euhem. reliq. p.* 83 *sq. quamquam a Krahnero, qui quae sunt apud Lactantium Enniana omnia si fieri possit ad Diodori excerpta Euhemeriana referri cupiat, in ea re dissentit. In re ambigua attendi velim ea quae supra attuli ex Diodoro non uno nomine a narratione Enniana discrepare*

103 idque quod supra mundum erat, quod aether vocabatur, de sui avi nomine caelo nomen indidit, idque Iuppiter quod aether vocatur placans primus caelum nominavit, eamque hostiam quam ibi sacrificavit totam adolevit.

VII

107 Ubi Iuppiter Neptuno imperium dat maris, *ut* insulis omnibus et quae secundum mare loca essent omnibus regnaret.

VIII

109 Ea tempestate Iuppiter in monte Olympo maximam partem vitae colebat et eo ad eum in ius veniebant, si quae res in controversia erant. item si quis quid novi invenerat, quod ad vitam humanam utile esset, eo veniebant atque Iovi ostendebant.

telae suae subiugarit. [65] sacra vero historia etiam ante «consedisse ... portendisse» (v 98) testatur cui ergo sacrificare Iuppiter potuit nisi «Caelo avo, quem ... sepultum» (II).'

VII (107) Lactantius div. inst. I 11, 32 'de Neptuni sorte manifestum est, cuius regnum tale fuisse dicimus quale Marci Antoni fuit ... sic Neptuno maritima omnia cum insulis obvenerunt. [33] quomodo id probari potest? nimirum veteres historiae docent. antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Messene, res gestas Iovis et ceterorum qui dii putantur collegit historiamque contexuit ex titulis et inscriptionibus sacris quae in antiquissimis templis habebantur maximeque in fano Iovis Triphylii, ubi auream columnam positam esse ab ipso Iove titulus indicabat, in qua columna sua gesta perscripsit ut monumentum posteris esset rerum suarum (cf. Diodor. VI ap. Euseb. praep. ev. II 2, 57). [34] hanc historiam et interpretatus est Ennius et secutus, cuius haec verba sunt «ubi ... regnaret».'

VIII (109) Lactantius div. inst. I 11, 35 (post fr. VII) 'potest et mons

---

103 *Duarum sententiarum ab* idque *ordientium ob molestam tautologiam mihi prior olim videbatur, posterioribus altera esse secludenda: quibus ego rursus accedere non possum, si quidem recte nec sine vi quadam Iuppiter* p l a c a n s *(h. e. precans,* ἱλασκόμενος*) sive inter precandum primus aethera caelum appellasse dicitur; in priore sententia quod videtur esse incommodum orationis, ei varie occurrerunt; aliis praestiterit* ei *pronomen addere, ut ita dicat* idque quod . . vocabatur, e i . . nomen indidit, *velut Plautus* eius servus qui hunc ferebat, e i os sublevi, *vel sine pron. demonstr.* eunuchum quem dedisti quas turbas dedit *Terentius: ut* ei *ne desideretur quidem oratione eadem* 104 caelo *Put. Val.* caelum *ceteri* 107 ibi *Bon. m. pr. et Par. S* ut *edd.* hoc est ut *Par. S Pal.* et *ceteri, unde* et . . regnare *Hartelius*

IX

Saturnum et Opem ceterosque tunc homines humanam carnem solitos esitare: verum primum Iovem leges hominibus moresque condentem edicto prohibuisse, ne liceret eo cibo vesci.

X

Nam cum terras circumiret, ut in quamque regionem venerat, reges principesve populorum hospitio sibi et amicitia copulabat et cum a quoque digrederetur iubebat sibi fanum creari hospitis sui nomine, quasi ut posset amicitiae ac foederis memoria conservari. [23] sic constituta sunt templa Iovi Ataburio, Iovi Labryandio: Ataburus enim et Labryandus hospites eius atque adiutores in bello fuerunt; item Iovi Laprio, Iovi Molioni, Iovi Casio et quae sunt in eundem modum. quod ille astutissime excogitavit, ut et sibi honorem divinum et hospitibus suis perpetuum nomen adquireret cum religione coniunctum. [24] gaudebant ergo illi et huic imperio eius libenter obsequebantur et nominis sui gratia ritus annuos et festa celebrabant. [25] simile quiddam in Sicilia fecit Aeneas, cum conditae urbi Acestae hospitis nomen inposuit, ut eam postmodum laetus ac libens Acestes diligeret augeret ornaret. [26] hoc modo religionem cultus sui per orbem terrae Iuppiter seminavit et exemplum ceteris ad imitandum dedit.

Olympus figuram poetis dedisse ut Iovem dicerent caeli regnum esse sortitum, quod Olympus ambiguum nomen est et montis et caeli. in Olympo autem Iovem habitasse docet eadem historia quae dicit «ea tempestate ... ostendebant».'

IX (113) Lactantius div. inst. I 13, 2 'idem (Saturnus) sororem suam Rheam quam Latine Opem dicimus cum haberet uxorem, responso vetitus esse dicitur mares liberos educare quod futurum esset ut a filio pelleretur (cf. V 91). quam rem metuens natos sibi filios non utique devorabat ut ferunt fabulae, sed necabat (cf. III 72), quamquam scriptum sit in historia sacra «Saturnum ... vesci».'

X (116) Lactantius div. inst. I 22, 21 'historia vero sacra testatur ipsum Iovem postquam rerum potitus sit in tantam venisse insolentiam, ut

---

121 labryandio *Par. R Brandtus* labyandro *vel* labriando *vel* labriandrio *ceteri* ataburus *Put. Brandtus* ataburius *vel* atabyrus *vel* atabrus *ceteri* labryandus *Par. R Brandtus* labyandrus *vel* labriandus *vel* labriandrius *ceteri* 122 labrio *pauci* milioni *Bon.* mollioni *Pal.* 123 cassio *pauci*

XI

Deinde Iuppiter postquam quinquies terras circuivit omnibusque amicis atque cognatis suis imperia divisit reliquitque hominibus leges mores frumentaque paravit multaque alia bona fecit, inmortali gloria memoriaque adfectus sempiterna monumenta suis reliquit. [46] aetate pessum acta in Creta vitam commutavit et ad deos abiit eumque Curetes filii sui curaverunt decoraveruntque eum; et sepulchrum eius est in Creta in oppido Gnosso et dicitur Vesta hanc urbem creavisse; inque sepulchro eius est inscriptum antiquis litteris Graecis *ΖΑΝ ΚΡΟΝΟΥ* id est Latine Iuppiter Saturni.

XII

Venus prima artem meretriciam instituit auctorque mulieribus in Cypro fuit, uti vulgo corpore quaestum facerent: quod idcirco imperavit, ne sola praeter alias mulieres inpudica et virorum adpetens videretur.

XIII

gluma

ipse sibi fana in multis locis constituerit. [22] «nam cum . . . dedit». [27] sive igitur a Melisseo, sicut Didymus tradidit, colendorum deorum ritus effluxit, sive ab ipso Iove, ut Euhemerus, de tempore tamen constat quando dii coli coeperint.' Cf. epitome 19, 4. Aliter Euhemerus apud Diodorum VI ap. Euseb. praep. ev. II 2, 58.

XI (132) Lactantius div. inst. I 11, 44 'quare si Iovem et ex rebus gestis et ex moribus hominem fuisse in terraque regnasse deprehendimus, superest ut mortem quoque eius investigemus. [45] Ennius in sacra historia descriptis omnibus quae in vita sua gessit ad ultimum sic ait «deinde . . . Saturni». [47] hoc certe non poetae tradunt, sed antiquarum rerum scriptores.' Cf. epitome 13, 4.

XII (142) Lactantius div. inst. I 17, 9 'quid loquar obscenitatem Veneris omnium libidinibus prostitutae . . [10] quae «prima» ut in historia sacra continetur «artem . . . videretur».' Cf. epitome 9, 1.

XIII (146) Varro rer. rust. I 48, 1 'in segetibus frumentum quo culmus extulit, spica; ea quae mutilata non est . . tria habet continentia, granum glumam aristam . . . granum dictum quod est intimum soldum, gluma qui est folliculus eius . . . [2] arista et granum omnibus fere notum: gluma

---

136 sui *cum L. Muellero Brandtus* 138 gnosso *vel* cnosso *vel* gnoso *vel* nosso *libri* 140 ΖΕΥΣΚΙΟΝΟΥ *Par. R* 143 vulgo *libri vere* vulgato *edd. prave de coniectura Crenii*

Quae nuper ex Augustini libris ad hunc librum relata sunt fidenter, ea nunc non magis quam olim huc pertinere mihi persuadere potui; cf. nunc relat. acad. a. 1899 p. 276 sqq.; contradixit Némethy 'Philologiai Közlöny' xxiv (1900) p. 125 sqq. neque tamen persuasit; quae vero de Columella ix 2 olim posueram O. Crusio (mus. Rhen. xlvii p. 63 sqq.) cessi ut ab Ennio segregarem.

paucis. itaque id apud Ennium solum scriptum scio (scito L. Muellerus) esse in Euhemeri libris versis (sic ex codice Marciano Politianus, cf. miscell. c. 35 ephemeridis versibus idem in ed. princ. corr.).' Cf. Paulus Festi p. 70, 5 Th. 'gluma hordei tunicula, dictum quod glubatur id granum.' C. Gl. L. vi p. 497.

INCERTA

I

1 [in templis isdem]

II

2 inter ponendum

III

3 versat mucronem

IV

4 quis te persuasit

V

5 ob Troiam duxit

INCERTA I (1) Cicero orat. 47, 157 '«isdem campus habet» inquit Ennius (ann. 477) et «in templis isdem».' hoc alterum Ennianum non esse quod olim credidi cum vulgo Heerdegenus probavit; vide ad ann. l. s. adnotata.

II (2) Servius in ecl. 9, 23 'inter agendum: dum agis. et honesta locutio est, si dicamus: inter cenandum hoc sum locutus.' add. cod. Lemovic. 'Afranius (422 R.) «inter loquendum». Ennius «inter ponendum».'

III (3) Servius Danielin. in Aen. IX 744 p. 376, 31 Thil. 'versat: librat iactat; et est Ennianum «versat mucronem».'

IV (4) Servius Danielin. in Aen. X 10 p. 383, 21 Thil. 'ordo autem «quis metus suasit aut hos arma sequi ferrumque lacessere». non est enim «hos suasit», ne fiat *σολοικοειδές*; quamvis inveniatur huius modi figura; ut (Aen. XII 813) «Iuturnam misero fateor succurrere fratri suasi» et Ennius «quis te persuasit».' De versu Vergilii alucinantur grammatici (nam Macrobius quoque Sat. VI 6, 11 ad eum adnotavit solitum esse dici 'Iuturnae suadeo'), ut ambigas de Ennio quid iudicandum sit, quamquam Petronium notum est persuadere aliquem dixisse.

V (5) Paulus Festi p. 193, 13 Th. 'ob . . . pro ad, ut Ennius (ann. 297) «ob Romam noctu legiones ducere coepit».' Festus '— — «ob Romam noc | — — «ob Troiam duxit» |.' Paulus p. 131, 11 Th. 'mortem obisse ea consuetudine dicitur, qua dixerunt antiqui «ob Romam legiones ductas» et «ob Troiam duxit exercitum» pro ad.' Hanc particulam a Paulo liberius citatam Ennii fuisse probabile est, sed ea hexametri fuerit an trimetri incertum.

VI

6 indignas turres

VII

7 tibicina maximo labore mugit

VIII

8 adsectari se omnes cupiunt

IX

9 nec dico nec facio *mu*

X

10 neque ut aiunt μῦ facere audent

XI

11 hae nives

XII

12 buxus araneae

VI (6) Servius in ecl. 10, 10 'indigno: vel meretricio vel magno. nam et Ennius ait «indignas *turras* (turres Daniel)» id est magnas.'

VII (7) Varro de l. L. vii 103 'multa ab animalium vocibus tralata in homines . . . [ann. 584] . . . [104] minus aperta ut . . . Ennii a vitulo «tibicina . . mugit». eiusdem . . . . . . [ann. 585. 586. 531].' De Sotadeo cogitabat Columna; sed metri genus incertum.

VIII (8) Priscianus viii p. 383, 6 H. 'Ennius «adsectari . . cupiunt». adsectari passive, ἀκολουθεῖσθαι.'

IX (9) Donatus in Ter. Andr. iii 2, 25 'nihil iam mutire: Ennius «nec dico nec *facio*». unde et mutos (immo mutire) dicimus quod Graeci φθέγγεσθαι.'

X (10) Varro de l. L. vii 101 'apud Ennium (scen. 421) «vocibus concide, facimus musset obrutus». mussare dictum quod muti non amplius quam μῦ dicunt; a quo idem dicit id quod minimum est «neque . . . audent».' Cf. Charisius ii p. 240, 8 K. 'mu pro muttire Lucilius saturarum libro (1138 L.) «non laudare hominem quemquam neque (mu) facere umquam».' Ibidem 28 'mut: «mut non facere audet», ut apud Apuleium Platonicum de proverbiis scriptum est libro ii.' C. Gl. L. vi p. 713.

XI (11) Inc. de dub. nom. G. L. K. v p. 584, 26 'nix generis feminini, ut Ennius «hae nives».'

XII (12) Nonius p. 192, 13 'araneae et feminini sunt generis . . . Ennius «buxus (buxis Harl. m. pr.) araneae (aranae Flor. m. pr.)».'

---

8 *Cf. ann.* 560 omnes mortales sese laudarier optant, *et poterant illa quoque hexametro aequari* 9 mu *add. Columna* 12 bussus *Quicheratus*

XIII

13 buxus vi*n*cta, tax*us* tonsa

XIV

14 atque genua comprimit arta gena

XV

15 avium vulgus

XVI

16 caeli palatum

XVII

17 vita vitalis

XIII (13) Nonius p. 194, 23 'buxum generis neutri . . . feminini Ennius «buxus *victa taxis* tonsa».'

XIV (14) Isidorus orig. xi 1, 108 'genua sunt commissiones femorum et crurum et dicta genua eo quod in utero sint genis opposita. cohaerent enim sibi et cognata sunt oculis, lacrimarum indicibus et misericordiae. nam a genis genua dicuntur. [109] denique complicatum gigni formarique hominem dicunt, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur, ut cavi et reconditi fiant. Ennius «atque . . . gena». inde est quod homines, dum ad genua se prosternunt, statim lacrimantur. voluit enim eos natura uterum maternum rememorari, ubi quasi in tenebris considebant antequam pervenirent ad lucem.'

XV (15) Servius in Aen. i 190 p. 75, 21 Thil. 'tum vulgus (de cervis loquitur quorum ductores primum dein vulgus interimit): bene vulgus ductoribus interemptis.' add. Danielin. 'Ennius avium vulgus et hastarum et avium' ita Cassell., sed a vetere correctore supra et avium scriptis alibi multitudinem et hastarum et, unde effeci olim quod Thilo recepit «avium vulgus» et alibi «hastarum» i. e. multitudinem hastarum et avium. Sunt duo quae dicit avium vulgus et hastarum vulgus, quorum hoc ne necesse quidem est ad eundem Ennium redire: loquitur ut Graeci non solum ἔθνος ἀνδρῶν sed etiam velut ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνος (Il. xv 690 sq.) et sim. appellaverunt.

XVI (16) Cicero de nat. deor. ii 18, 49 'Epicurus . . . dum palato quid sit optimum iudicat «caeli palatum», ut ait Ennius, non suspexit.' Augustinus de civ. dei vii 8 p. 284, 2 Domb. 'hiatus noster cum os aperimus mundo similis videatur, unde et palatum Graeci οὐρανὸν appellant et nonnulli, inquit (Varro), poetae Latini caelum vocaverunt palatum.'

XVII (17) Cicero Lael. 6, 22 'principio qui potest esse «vita vitalis», ut ait Ennius, quae non in amici mutua benivolentia conquiescit.' Vitalem

---

13 vincta taxus *Iunius*: victa taxis 14 *Oratio et versus forma obscura: cf. scen.* 427 imprimitque genae genam

XVIII

18 ira initium insaniae

XIX

19 sancti poetae

XX

20 versus longi

XXI

21 orator audax esse debet

XXII

22 bona

XXIII

23 repostus . porgite

habitum scribit Ennius scen. 347; nunc potius vitam vitalem vel non vitalem appellasse eum credibile est, ut Graeci *βίον οὐ βιωτόν*, *ἀβίωτον βίον* dixerunt (Aristoph. Plut. 197. Dionys. Halic. VIII 6, 4).

XVIII (18) Cicero Tusc. disp. IV 23, 52 'an est quicquam similius insaniae quam ira, quam bene Ennius «initium» dixit «insaniae».' De sententia conf. L. Sternbach. cur. Menandreae 1892 p. 28 sq.

XIX (19) Cicero pro Archia 8, 18 'suo iure noster ille Ennius «sanctos» appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.' Cf. ibid. 12, 31.

XX (20) Cicero de leg. II 27, 68 (in reddenda Platonis de sepulchris ratione) 'nec e lapide excitari plus nec inponi quam quod capiat laudem mortui incisam ne plus quattuor herois versibus, quos «longos» appellat Ennius.' Isidorus orig. I 38, 6 'hexametros Latinos primum fecisse Ennius traditur, eosque «longos» vocat.' Atilius Fortunatianus G. L. K. VI p. 284, 7 'hunc (hexametrum heroum) Ennius «longum» vocat.' Cf. Gellius XVIII 15, 1 'in longis versibus qui hexametri vocantur', sed in inscriptione capitis 'in herois versibus.' Diomedes III p. 494, 31 K.

XXI (21) Fronto ep. ad Caesarem IV 3 p. 66 Nab. 'neque id reprehendo, te verbi translatione audacius progressum, quippe qui Enni sententia «oratorem audacem esse debere» censeam. sit sane audax orator, ut Ennius postulat, sed a significando quod volt eloqui nusquam digrediatur.'

XXII (22) Porphyrio in Hor. sat. I 1, 61 'at bona pars hominum: «bona» nunc pro magna dictum, ut saepe Ennius et alii veteres.' bonam magnamque partem Terentius aliique.

XXIII (23) Servius in Aen. I 26 'alta mente repostum: . . . repostum syncope est . . . sed cum omnes sermones aut integri sint aut pathos habeant, hi qui pathos habent ita ut lecti sunt debent poni: quod etiam Maro fecit. nam «repostos» (sic Cass. Hamb. repostus vel repostum plerique; cf. Aen. VI 655) et «porgite» (cf. Aen. VIII 274) de Ennio transtulit.' Apud

XXIV

24 floros

XXV

25 insomniam

XXVI

26 solui *pro* solitus sum

XXVII

27 torrus, torri

XXVIII

28 vidĕn

XXIX

29 festra

Ennium quoque probabile est haec duo in hexametris lecta fuisse; reposta etiam Lucretius I 35; III 346.

XXIV (24) Servius in Aen. XII 605 'flavos Lavinia crines: antiqua lectio «floros» habuit, id est florulentos pulchros, et est sermo Ennianus.' add. Danielin. 'Probus sic adnotavit: neotericum erat flavos (Daniel fluvium Flor.); ergo bene floros (flores Flor. corr. Daniel): nam sequitur «et roseas laniata genas»; Accius in Bacchis (255 R.) «nam flori crines, video, ei propessi iacent»; in iisdem (246) «et lanugo flora nunc demum inrigat». Pacuvius Antiopa (19) «cervicum floros dispergite crines».'

XXV (25) Servius in Aen. IV 9 'insomnia terrent: et terret legitur et terrent. sed si terret legerimus, insomnia erit vigilia: hoc enim maiores inter vigilias et ea quae videmus in somnis interesse voluerunt, ut insomnia generis feminini numeri singularis vigiliam significaret, insomnia vero generis neutri numeri pluralis ea, quae per somnum videmus, ut (Aen. VI 896) «sed falsa ad caelum mittunt insomnia manes». sciendum igitur quia si terret dixerimus, antiqua erit elocutio; «insomniam» enim, licet et Pacuvius et Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen exclusit et de usu removit.' Cf. ibid. v 840; Terentius eun. II 1,13 et Donatus; C. Gl. L. v p. 553, 1 sq.

XXVI (26) Varro de l. L. IX 107 'quoniam in balneis lavor lautus sum, sequitur ut contra, quoniam est soleo, oporteat dici «solui», ut Cato et Ennius scribit, non ut dicit volgus «solitus sum» debere dici.'

XXVII (27) Servius in Aen. XII 298 (ambustum torrem) 'torrem: erit nominativus hic torris et ita nunc dicimus: nam illud Ennii et Pacuvii penitus de usu recessit, ut hic «torrus» huius «torri» dicamus.'

XXVIII (28) Servius in Aen. VI 779 (viden ut geminae stant) 'viden: den naturaliter longa est, brevem tamen eam posuit secutus Ennium, et adeo eius est inmutata natura ut iam ubique brevis inveniatur.'

XXIX (29) Macrobius Sat. III 12, 8 'Antonius Gnipho (antoninus Par. onipho Par. cnipho Bamb.) vir doctus, cuius scholam Cicero post laborem fori frequentabat, Salios Herculi datos probat in eo volumine quo disputat quid sit «festra» (feste Bamb.), quod est ostium minusculum (ho-

XXX

30 contră

XXXI

31 Vesperus

XXXII

32 annus naturalis habet dies ccclxvi

XXXIII

33 consiptum

XXXIV

34 corpulentis

XXXV

35 crebrisuro

XXXVI

36 insexit

stia minusculū Par. hostiū munusculum Bamb.) in sacrario, quo verbo etiam Ennius usus est.' Cf. Paulus Festi p. 64, 33 Th. 'festram antiqui dicebant quam nos fenestram.' Placidus C. Gl. L. v p. 23, 1. 70, 20. 105, 1 'frestram fenestram.'

XXX (30) Servius in Aen. ii 651 (nos contra effusi) 'nos contra: praepositiones vel adverbia in a exeuntia modo producunt ultimam litteram excepto puta et ita, apud Ennium et Pacuvium brevia sunt.' Non 'puta' et 'ita' apud Ennium et Pacuvium brevia esse dicit, sed eadem quae ante dixerat modo (h. e. hac aetate) produci: quale 'contra' est, cuius causa haec adnotantur et quod apud Ennium breve a habet ann. 463 et 563, nusquam productum, et 'frustra', in quo corripi ultimam syllabam Plautinis exemplis demonstratur. In incertis testimonium posui quia nec 'contra' aperte dicit grammaticus et plus certe quam 'contra' cogitavit.

XXXI (31) Censorinus de die nat. 24, 4 'post supremam sequitur vespera, ante ortum scilicet eius stellae quam Plautus (Amph. 275) Vesperuginem, Ennius «Vesperum», Vergilius (ecl. 8, 30. 10, 77) Hesperon adpellat.' Cf. C. Gl. L. vii p. 408.

XXXII (32) Censorinus de die nat. 19, 2 'annus vertens . . . hoc tempus quot dierum esset ad certum nondum astrologi reperire potuerunt. Philolaus annum naturalem dies habere prodidit ccclxiiii et dimidiatum . . . at noster Ennius ccclxvi.'

XXXIII (33) Cf. scen. 297.

XXXIV (34) Paulus Festi p. 44, 2 Th. '«corpulentis» Ennius pro magnis dixit; nos corpulentum dicimus corporis obesi hominem.'

XXXV (35) Paulus Festi p. 41, 23 Th. '«crebrisuro» apud Ennium significat vallum crebris suris id est palis munitum.' De suris cf. ann. 525.

XXXVI (36) Paulus Festi p. 79, 29 Th. '«inseque» apud Ennium dic (ann. 326), «insexit» dixerit.'

XXXVII

37 remorbescat

XXXVIII

38 tapetae

XXXIX

39 dico qui hunc dicare

XL

40 stipite

XLI

41 cicures

XLII

42 philologam

XLIII

43 Melo *i. e.* Nilus, *cur increscat.* Telamo *i. e.* Atlas

XXXVII (37) Paulus Festi p. 383, 9 Th. 'remorbescat in morbum reccidat.' Festus '— — | morbescat» En — — | bum reccidat.'

XXXVIII (38) Festus p. 528, 5 Th. 'tappete ex Graeco su(m) — — | tae Ennius cum ait «t — — | lius in Demetrio le — — | veterem.' Ennius ex Graeco τάπης videtur 'tapeta' 'tapetae' formasse, de quo vide C. Gl. L. VII p. 333, ut ex λέβης formatum est 'lebeta' 'lebetae', de quo ibid. VI p. 632.

XXXIX (39) Varro de l. L. VI 61 'dico originem habet Graecam, quod Graeci κιδικε (id δεῖξαι Lachmannus Graece ius δίκη Petrus Canal a. 1846 sqq.). hinc Ennius «dico qui hunc dicare». hinc iudicare quod tunc ius dicatur.' Festus p. 140, 17 Th. ' | meta — — ca a cariore — | — — perventura — | quod — — dicare ait Ennius — | id est — — — meta | '

XL (40) Paulus Festi p. 457, 4 Th. 'stipes fustis terrae defixus.' Festus '— — defixus: Afra | — — (p)orro honeste | — — ite hostium | — — (o)ro fidem qui | — — (e)am silvam: «et | — — (ho)stili in me la | — — tus ut revolso | — — qui iactu vali | — — parmam», nisi si | — — voluit pro | — — in Bacchis «ec | — — egum aut al | — — — — us». Ennius | — — ites abiegno | — — e stipitem | — — mit eum qua | — — rripit.'

XLI (41) Hieronymus apol. adv. Rufinum II 11* vol. II p. 502 C ed. Vallars. 'sed nos simplices homines et cicures Enniani nec illius sapientiam nec tuam qui interpretatus es intelligere possumus.' Vide Usenerum de hoc fragmento admonentem et alia adstruentem mus. Rhen. XXVIII p. 409. Cf. C. Gl. L. VI p. 210 'cicures placidi quieti', al.

XLII (42) Festus p. 310, 24 Th. '«(philo) logam» Ennius in p̄ — — | brariorum qui eaque fem — — | lino etiam ipsi gr(a) — — | gos philargyros — — | rius appellari mu(t) — — | vox explanata non — — | nomina etiam in vi — — | dicimus tam hic lapis q — —' Credas dici Ennius in pceptis, sed res incerta, incertiora etiam quae praeterea coniectata sunt.

XLIII (43) Servius in Aen. I 741 'sane Atlas Graecum est, sicut et Ni-

XLIV

44 edolare

XLV

45 conciere

XLVI

46 daedala Minerva . Minerva era, domina

lus: nam Ennius dicit Nilum Melonem vocari, Atlantem vero Telamonem.' Ibid. IV 246 et in georg. IV 291. Cf. ad ann. I fr. XXIII. Paulus Festi p. 6, 4 Th. 'alcedo dicebatur ab antiquis pro alcyone, ut pro Ganymede Catamitus, pro Nilo Melo.' Idem p. 13, 30 Th. 'Alumento pro Laumedonte a veteribus Romanis necdum adsuetis Graecae linguae dictum est. sic Melo pro Nilo, Catamitus pro Ganymede . . . dicebatur.' Idem p. 89, 31 Th. 'Melo nomine alio Nilus vocatur.' Cf. C. Gl. L. VI p. 689; ibid. II p. 196, 3 'Telamo *Ἄτλας τὸ ὄρος* (ita Goetzius *αγλαστοορος* cod.).' R. Hirzelius in relat. societ. Saxon. cl. phil. hist. XLVIII (1896) p. 336 sq. Lucanus x 249 'commeat hac penitus tacitis discursibus unda frigore ab arctoo medium revocata sub axem, cum Phoebus pressit Meroen tellusque perusta illuc duxit aquas.' schol. in h. l. 'aquas: Ennius haec de Nilo ait, quod per aestatem sol ab inferioribus aquam supra revocet et hinc eo tempore Nilus increscat.' Paulo aliter ex cod. Guelf. Weberus Lucan. III p. 787. Cf. Dielsius Sen. et Luc. act. acad. a. 1885 p. 14.

XLIV (44) Nonius p. 448, 17 'edolare fabrorum est verum verbum cum materiarum conplanatur asperitas. usi sunt eo laudandi scriptores vetustatis etiam ad alias fabricas rerum. Varro Bimarco (XV B.) «cum Quintipor Clodius tot comoedias sine ulla fecerit musa, ego unum libellum non «edolem», ut ait Ennius.' Cf. ad Iphig. VIII.

XLV (45) Nonius p. 90, 10 'conciere cum perturbatione conmovere. Accius Medea (399 R.) «nisi quas terrestris pontus strages conciet». Afranius deposito (46 R.) «di sunt irati tibi qui conciere cogites tantum mali». Ennius Duloreste «extemplo Aegisthi fidem nuncupantes conciebunt populum».' Enniine exemplum cum Pacuvii nomine interciderit an mero errore Ennii nomen positum sit pro Pacuvio (cf. 140 R.) incertum est: quamquam apud Charisium IV p. 278, 6 K. et apud Diomedem II p. 441, 3 K. sine poetae nomine legitur versus 'concitum tetuli gradum'.

XLVI (46) Paulus Festi p. 48, 7 Th. '«daedalam» a varietate rerum artificiorumque dictam esse apud Lucretium terram (d a e d a l a t e l l u s I 7. 228), apud Ennium Minervam, apud Virgilium Circen (Aen. VII 282. Serv. in georg. IV 179) facile est intellegere, cum Graeci *δαιδάλλειν* significent variare.' Achilles Statius ad Catullum 1, 9 'patronam Minervam dicit . . . eam vero . . Ennius et dominam et heram dixit.' Statii testimonium fallax esse autumat Bergkius; vide ad ann. VI fr. XIX. e r a m Fortunam dicit Ennius ann. 197. 'Tritonis era' Catullus 64, 395; idem 'domina Dindymi', 'Dindymena domina' et sim.

XLVII

47 o praestans animi

XLVIII

48 fidus *i. e.* foedus

XLIX

49 erumna

L

50 bombum pedum

LI

51 hoc locum

XLVII (47) 'Glossator Virgilii MS.' C. Barthii (adv. xxxiii 13) ad Aen. xii 19 'o praestans animi iuvenis: est prudens senis dictum . . . est vero ex seno Ennio translatum.' Barthius sextum Ennii putat intelligi; probabilius hariolere ex somnio Ennii; cf. ann. 8 'o pietas animi.'

XLVIII (48) Varro de l. L. v 86 'fetiales quod fidei publicae inter populos praeerant; nam per hos fiebat ut iustum conciperetur bellum et in desitum (h. e. in desitum bellum; sic Lachmannus; inde desitum Flor.) ut foedere fides pacis constitueretur. ex his mittebantur, antequam conciperetur, qui res repeterent, et per hos etiam nunc fit foedus, quod «fidus» Ennius scribit dictum.' Cf. C. Gl. L. vi p. 460 'fidus pax (pars codd.) perpetua vel amicitia.' Paulus Festi p. 59, 15 Th. 'foedus appellatum ab eo quod . . . vel quia in foedere interponatur fides.' Livius v 51, 10 'foedus ac fidem fefellerunt.' Similiter credideris Ennium lusisse in verbo.

XLIX (49) Charisius i p. 98, 12 K. 'erumnam Ennius ait per e solum scribi posse, quod mentem eruat, et per a et e (· a · Neap. et e add. exc. Par.), quod merorem nutriat.' Haec et illa de foedere xlviii ad Ennium grammaticum quem Suetonius dicit de gramm. 1 referri malunt: cf. M. Hertzius 'Sinnius Capito' 1844 p. 10.

L (50) Augustinus de dialectica 6 a Crecelio ed. a. 1857 p. 9 (cf. A. Wilmannsius de Varron. libr. gramm. p. 144) 'sunt qui verbum a vero quidem dictum putant, sed prima syllaba satis animadversa secundam neglegi non oportere. verbum enim cum dicimus, inquiunt, prima eius syllaba verum significat, secunda sonum. hoc enim volunt esse bum; unde Ennius sonum pedum «bombum pedum» dixit, et *βοῆσαι* Graeci clamare et Vergilius (georg. iii 223) «reboant silvae». ergo verbum dictum est quasi a verum boando hoc est verum sonando.' Ad Prudentii apotheos. 845 'tumidum largo sublimat flamine bombum' adscripta glossa 'sonitum cornu vel tibiae. et Ennius sonitum pedum dixit «bombum».' Cf. Buecheleri coniect. in Fleckeis. annal. cxi (1875) p. 126 sq. Cf. Lucretius iv 544 'et reboat raucum regio cita barbara bombum.' Apuleius metam. x 31 'tibicen dorium canebat bellicosum et permiscens bombis gravibus tinnitus acutos in modum tubae saltationis agilis vigorem suscitabat.' C. Gl. L. vi p. 147.

LI (51) Fragm. Bobiens. G. L. K. vii p. 542, 9 '«hoc locum» lectum est

LII

52 regredi gressum

LIII

53 Q. Ennius fecit

aput Ennium, sed nemo dicit hodie.' Columna p. 498 ex 'antiq. gloss.' affert tamquam Enniana 'locum' et 'regredi gressum.'

LII (52) Vide ad LI et cf. scen. 13 'gradum regredere.'

LIII (53) Cicero de div. II 54, 111 'non esse autem illud carmen (Sibyllae) furentis cum ipsum poema declarat (est enim magis artis et diligentiae quam incitationis et motus), tum vero ea quae ἀκροστιχίς dicitur, cum deinceps ex primis versus litteris (primi Voss. AB primis Vind. quod sententiae satisfacit, modo 'deinceps' recte interpretere: ut se excipiant primae versus litterae) aliquid conectitur, ut in quibusdam Ennianis «Q. (Auratus quae codd.) ENNIUS FECIT».' De re cf. Dielsii folia Sibyllina p. 25 sqq.

VERSUS FALSI EX PAULI MERULAE FONTIBUS DUCTI

I

Horrida Romuleum certamina pango duellum.

II

armis

Conditur Alba potens

III

Nascere quae populos terraque marique lacesses
Belli turbine praepropero, concussa tremiscent
Cuncta acres a te vires

in Roma Troia revixti

IV

Nequiquam. reliquae carni nihil est animai

V

Dirius supplicium sceleris violentia poscit.

FRAGMENTA MERULAE I Merulae comm. p. 41 'citatur autem a L. Calpurnio Pisone lib. I de continentia veterum poetarum; quo loco de artificiosis illorum exordiis .... promittit omnia ad suam usque aetatem heroice Ennius «horrida Romulei (Romuleum Merula) .. duellum».'

II Ibid. p. 165 'in Latino (sc. glossario Fornerii) sic erat: armipotens ὁπλοκράτωρ. Ennius «armis .. potens».'

III Ibid. p. 199 'apud Calpurnium libro I de continentia veterum poetarum: apostrophe, inquit, εὐκτική est quotiens aversa iam ad quaevis oratione miscentur vota vel bona vel mala. Ennius in primo urbem condendam compellat, et compellatae omnia, quae magnitudinem eius testatura, precatur his verbis «nascere ... turbine proprio (praepropero Merula) .. cuncta acrissate viros (acres a te vires Merula) et quae postea concludens in conventa Romae genetrice «in Roma T. revisti (revixti Merula)».'

IV Ibid. p. 288 'Calpurnius Piso in libris de continentia veterum poetarum...: morti proximum, quin mortuum, vivis coloribus depingit Ennius libro secundo annalium, ubi sic scribit «[ann. 472. 473] nequiquam ... animai».'

V Ibid. p. 324 'glossae Forneri: παλαμναῖον dirum, quod deorum iram habet coniunctam. Ennius in tertio «dirius ... possit (poscit Merula)».'

VI

Disperge hostes, distrahe, diduc, divide, differ

VII

Undique: multimodis consumitur anxia curis.
Omnibus inde locis ingens apparet imago
Tristitias; oculosque manusque ad sidera lassas
Protendunt exsecrando duci' facta reprendunt.
Poeni pervertentes omnia circumcursant.

VIII

Fulviu' Nobilior stravit certamine crebro
Aetolos

IX

Vim tua noluntas facit imperiosa vetando
Quem consul meruit, quom res bene gesta, triumphum.

X

praedam
Dispertit

XI

telo
Transfigit corpus

VI Ibid. p. 354 'glossar. Forneri: divido διασπείρω. Ennius in quinto «disperge . . . differ».'

VII Ibid. p. 416 'Calpurnius ille lib. I ubi de dissolutionibus . . . quanta autem audita suorum clade formidine contremuerint Afri, quam repentino motu illorum animi conciderint Ennius libro septimo dissolutiore id est meliore describit arte quam Naevius; quod potuit qui hoc posterior fuit «[ann. 310] undique . . . circumcursant».'

VIII Ibid. p. 551 'glossae Forneri: ἀποκτείνω sterno. Ennius «Fulvius nobilis obstravit (Nobilior stravit Merula) c. cerebro et illos (crebro Aetolos Merula)».'

IX Ibid. p. 563 'Calpurnius libro I: vehementissime apud Ennium tonat Clodius Pulcer in M. Aebutium (Aburium Merula) trib. plebis, cum prohiberet triumphum, quem ob res in Graecia praeclare gestas decreverat magno consensu senatus, accusans etiam Manilium (M. Aemilium Merula) inter alia «vim . . . triumphum». ex affectu haec Ennius scripsit in gratiam sui Fulvi, non ex veritate.' De noluntate cf. Placidus C. Gl. L. V p. 87, 6.

X Ibid. p. 226 'glossarium Gul. Forneri: dispertio διανέμω. Ennius «praedam dispertit».' Coniunxit Merula cum ann. 75.

XI Ibid. p. 308 'apud Calpurnium Pisonem lib. II quo loco agit de vocum sectione . . . . . scripsit Ennius licentia quadam toleranda lib. VI «telo transfigit corpus, saxo cere comminuit brum».' Cf. ann. 609.

XII

postumque tyranni
Tarquinii corpus

XIII

Corde suo trepidat delicto Coclite

XIV

Apta dato signo loca torritis elephantis
Explorant Numidae

XV

multiplicant Romani funera late
Qua Pollus furtim noctu

XII Ibid. p. 310 'glossae Forneri: tyrannus βασιλεύς. Ennius annalibus «tostumque tyranni Tarquini corpus».' Correxit et cum ann. 155 coniunxit Merula.

XIII Ibid. p. 327 'glossae Forneri: ἀπολειφθείς delictus. Ennius libro tertio «corde suo trepidat delicto poplite (Coclite Merula)».' Cf. ann. 548.

XIV Ibid. p. 369 'glossarium Forneri: πυργοφόρος torridus (turritus Merula). Ennius in v «apta ... torridis (turritis Merula) e. explorant numeri (Numidae Merula)».' Coniunxit Merula cum ann. 224.

XV Ibid. p. 433 'gloss. Forneri: φόνευσις funus caedes. Ennius «multiplicant .. late quam pullus (corr. Merula) f. noctu».' Coniunxit Merula cum ann. 164 sq.

INDEX TESTIUM

A annales *Sc* scenica *Sa* saturae *V* varia *I* incerta
Fragmenta sub eorum nominibus afferuntur a quibus servata sunt, scholiastae sub eorum quos commentantur

INDEX SERMONIS

A annales *Sc* scenica *Sa* saturae *V* varia *I* incerta

*Eis quae a librorum memoria diversa in contextum recepi stellam * affixi, semicirculis inclusa stellula (*) indicavi ea quae in notis non improbabiliter viderentur proposita esse: parenthesi ( ) inclusi si quid in libris prorsus omittitur, uncis [ ] quod ab Enniana poesi alienum habeam, 'al.' est* alias, *'v. l.'* varia lectio. *Ex Sa* 21—56 *pauca excerpta sunt, ex Euhemero nomina.*

ADDENDA ET CORRIGENDA

Propero ad finem, ut hic liber, cui non dicam quot annos vitae meae tribuerim sed qui iam prope triennium sub prelo sudat, tandem me etiam vivo in lucem publicam prodeat: m. Aug. a. 1900 versuum Ennianorum recensio cum duplici adnotatione typographi curae tradita est, et haec pars operis una cum indicibus non ante m. Septemb. a. 1901 absoluta erat, deinde, dum me aliena negotia et officia tenent in quibus aliae quoque necessitates litterariae, diu impeditus post magnum intervallum hanc operam repetii et praefationis partes duae perscriptae inde a m. Novemb. a. 1902 typothetarum manus exercuerunt.

Interim his tarde procedentibus quaedam grammaticorum scripta denuo recognita lucem viderunt, quae memorare in praefatione perbreviter poteram, recognoscendis versibus adhibere non poteram, Donatus in Terentium (praef. p. CXLIII), Acro in Horatium (p. CXLII), Servii appendix (p. CXLI), quibus nuperrime accessit etiam Gellius renovatus. Ex illis (nam hunc nondum inspexi) quae usui videbantur ad corrigenda vel supplenda testimonia nunc adscripsi, sed multa non erant neque gravia admodum.

Ex P. Canali Varrone de l. L., de quo p. CXXXIX dixi, perpauca adnotavi. L. Valmaggii et C. Pascali hic illic in adnotatione mentionem feci, sed a Valmaggio annalium reliquiae editae et explicatae a. 1900 mihi, quod in praef. p. CXXXVII memoravi, dum versus Ennianos recognosco in promptu non fuerunt; neque nunc habeo ex iis repetita quae addam propterea quod editor doctissimus multa quidem et utilia in commentario exposuit sed quae me in mea opera adiuvare non poterant: nam in emendandis ordinandis explicandis versibus, quamquam etiam mea quaedam in editione proposita probavit, tamen universe ad Muelleri et Baehrensii iudicia se composuit quae ego non poteram non reiectanea habere. Quae post editum a. 1854 a me Ennium variis locis de quaestionibus Ennianis disserui, eorum partem Valmaggius p. XVII sq. recensuit sed iis usus esse vix videtur. Similiter mihi iudicandum est de C. Pascali libro, quem eodem loco memoravi.

Dolendum mihi est quod sero in meas manus venerunt commentationes duae quibus Iohannes Kvičala professor Pragensis V. Cl. de Ennii annalium reliquiis bene meritus est, quarum prior, cui inscripsit *Quaestiones Ennianae,* in ephemeridos Leopolitanae Eos vol. VIII 1902 edita est, altera *Observationes ad Ennii annalium fragmenta* inscripta in museo philologico Bohemico VIII p. 331 sqq. prodiit. Is multos versus Ennianos de annalibus petitos tractavit ut aut scripturam eorum stabilire aut explicanda re et sententia iustum iis locum assignare studeret. Qui rara me benevolentia prosecutus (nam plerumque nihil nisi acerbissimam iniquitatem perpessus sum) meas cum Muellerianis et Valmaggianis sententias composuit, non raro ut meas partes defenderet et suis argumentis a vituperatione aliena vindicaret, in quibus prae ceteris mihi arrisit quod versus de tumultu Gallico (164 sq.) a me in quarto (V) positos suo calculo probavit, idemque quae de ann. V fr. I et II statueram multaque alia olim a me proposita ratiocinando fulcire non detrectavit, quae nunc singillatim recensere ambitiosius esset. In aliis a meis rationibus seu plene seu ex parte discessit, forsitan in quibusdam non facturus, si cognovisset quae ego post Ennii editionem anni 1854, qua sola usus est, compluribus occasionibus de partibus nonnullis Ennianis explicui, velut de augurio captato a Remo et Romulo in relat. acad. a. 1894 *über das Stadtgründungsaugurium*

bei Ennius, aut de versu 409 (ann. xv fr. vii) *arcus subspiciunt m. q. p.* in actis acad. a. 1886 *über die Annalen des Ennius* p. 24 sq., aut de v. 559 *hos pestis necuit, pars o. i. d.* in prooemio ind. lection. 1892/93 p. 5. Sunt etiam in quibus homini docto inscio cum iis opinionibus convenerit quas nunc in nova editione secutus sum, velut in v. 131 (ii fr. x) *at sese, sum quae d. i. l. o.* Minus feliciter mihi visus est elaborasse in emendandis aut explicandis versibus 18 (i fr. xiv) *doctusque Anchisesque Venus* eqs et 260 (vii fr. xxii) *sulphureas posuit spiramina Naris a. u.* et 183 (vi fr. viii) *proletarius publicitus scutisque feroque* eqs, et quem ex Orosii verbis ad 170 (v fr. v) adscriptis hexametrum effinxit, eum cur probabilem non habeam intelliget ex iis quae in praefatione p. lxi sqq. de Livio disputavi. Sed sit satis festinanti his paucis harum quaestionum et utilitatem et ubertatem indicasse.

In his addendis et corrigendis non recensebo quaecumque aut mea aut typothetae culpa peccata sunt, sed quae legentem non impedient et retinebunt praetermittam ita ratus talia aut non attendi aut si attendantur cum venia ignosci. Afferam vero quae falso scripta sensui officere videntur et addam si quorum utilitas est sive in confirmanda scriptura sive explananda sententia et praecipue quaedam grammaticorum testimonia adiiciam quae Enniani nihil habent sed cum iis quae habent intime coniuncta sunt.

Quae ad praefationem redeunt, nihil ambiguitatis habent, quae vero ad duplicem adnotationem textus ita discrevi, ut numeris Romanis superiorem adnotationem, Arabicis inferiorem significarem accedente typorum diversitate quae est in ipsis adnotationibus.

Praef. p. xxxv v. 33 pro *Plautin(a)* scribe *Plautin(e)*.

— p. ci v. 37 adde: et conf. p. clxxiv fortasse magis ad Lucretii quam ad Ennii exemplum formatum versum Ausonii.

— p. cxviii v. 4 ab inf. adde: memoravi Claudianum etiam scen. 380 ut adiuvarem Ennii orationem iniuria addubitatam.

— p. cxxii v. 34 ad Ammiani Marcellini verba adde: cf. p. cii.

— p. cxxiii v. 10 illum 'nescio quem' fuisse Ciceronem in Hortensio Ohlmannus putavit de S. Augustini dialogis p. 60. Ennianis verbis (scen. 244) Augustinus quasi proverbii loco usus est etiam confess. x 16, 25.

— p. cxxx adde: Ad Theoduli eglogae v. 288 ridiculi causa adscribo ex vetusti cuiusdam commenti editione a. 1492 quae mihi Plasbergius exscripsit . . . . *Et principaliter tu Enni poeta mitte huc illos deos quos conscripsisti in libro tractante de fluvio infernali qui dicitur liber distygium* . . . . . *Item Ennius fuit quidam poeta qui fecit quendam librum de fluvio infernali de quo conscripsit nomina deorum et dearum et ille liber dicitur dystigium a dia quod est de et stys stygis* . . . *Vel dicitur a dia quod est duo et stigos versus quasi eadem materia in sententia comprehensa in duobus versibus.* Distichium Ennii, quod intelligit sed non affert Theodulus, a Martiano Capella eum mutuatum esse scripsi, eumque ipse appellat v. 334. Ceterum hoc distichon Ennii de duodecim diis inter alia poemata in cod. Burneiano 224 saec. fortasse xiii exstare testatur catalogus codicum in museo Britannico asservatorum nov. ser. vol. i (1840) p. 60.

Ut colligam quantum possum omnia qualiacumque quae Ennii memoriam habent medii aevi testimonia, nomen Ennii affert etiam Ioannes Saresberiensis (saec. xii) enthet. in polycr. vol. iii p. 9 Giles (Oxon. 1848)

Est antiqua nimis, nimis est sententia vera,
Quam docuere patres Ennius atque Cato:
Tam quod habet quam quo caret omni defit amico (?),
Occupet occumbat, res aliena tamen.
Semper abundabit, qui rebus noverit uti;
Et mens utendi nescia semper eget.

Nam eius modi sententiam Ennii quae quidem exstet nescio.

Denique Rogerii Baconis verba infra ad ann. I fr. IX adscripsi.

Praef. p. CXXXI, 4 alterum ex illis versum eidem Ennio vindicandum M. Rothsteinius meus suspicatus est, qui v. *advena quam lenis celeri vehit unda vegeila* (?) ad matrem Idaeam Romae accipiendam referri posse putat collata maxime Liviana narratione XXIX 14.

— p. CXLIII in subsidiis recensendis multa sciens praeterii: non debebam praetermittere Lactantii divinas institutiones a Samuele Brandto a. 1890 in corpore Vindobonensi egregie editas, quae quantae utilitati fuerint prae iis quae mihi olim adhibenda erant res ipsa docet.

Augustini de civitate dei libros ab E. Hoffmanno in eodem corpore recognitos hic illic inspexi, sed quia sero ad me allati erant universe Dombarti volumina adhibere perrexi.

— p. CLVIII, 1 cum Varronis memoria coniunge eiusdem de ling. Lat. VII 3 *at hoc quid ad verborum poeticorum aetatem? quorum si Pompili regnum fons in carminibus Saliorum neque ea ab superioribus accepta, tamen habent* DCC *annos.* Cf. Cicero orat. 34, 120 *quem laborem nobis Attici nostri levavit labor, qui conservatis notatisque temporibus . . annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit.*

— p. CLXXXVII v. 7 adde: Cf. Priscianus IX p. 487, 9 H. *Cato in* IIII (II) *originum: 'Marsus hostem occidit prius quam Paelignus, propterea Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen.'*

A. 9 post 'caeli' adde: quae (quae id est corpora) cava caeruleo velo c. r. *P. Canal ad Varr. l. c., qui inclusa verba a Varrone ipso addita opinatur*

A. I fr. IX adde: Rogerius Baco compend. stud. philos. cap. 9 p. 504 Brewer. (Lond. 1859) 'S similiter liquescit in principio dictionis, ut Horatius in sermonibus [I 5, 35] . . ., similiter in fine dictionis plus est. Unde Ennius poeta «qua perire (immo o v a p a r i r e) solet genus pennis condecoratum». nam ultima de genus remanet brevis et ideo s liquescit aut esset brevis positio.'

A. I fr. XVII ad Festi testimonium adde: Paulus (iam in priore editione allatus) 'sos pro eos antiqui dicebant ut Ennius «constitit . . . *dea diarum*».'

A. I fr. XX adde: Cf. Festus p. 474, 24 'Saturnia Italia et mons qui nunc est Capitolinus Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni esse existimantur.'

A. I fr. XXX adde de Porphyrionis testimonio Buechelerum dicentem in mus. Rhen. LVII (1902) p. 321.

A. I fr. XLI post verba Servii 'Ennianus est' adde: Cf. Cicero de re p. II 2, 4 'quo in loco cum esset (Romulus) silvestris beluae sustentatus uberibus' et Usenerus in mus. Rhen. LVI (1901) p. 313.

A. I fr. LI post '384' adde: nunc accedit 'brevis expositio in georg.' II 384 (append. Serv. Hagen. p. 307, 11) ex codice (G) Burmanniano, in quo scriptum est a e d i f i c a r e t t. I o v i s, . . u t e t c e l e s t i b u s . . e t c u r s u . . E. i n a n n ā. Quodque ludi caestibus et cursu fieri dicuntur, Vergilius ait georg. III 20 'cuncta mihi . . . cursibus et crudo decernet Graecia caestu.'

A. 107 extr. post *proxima* adde: *et Servius in Aen.* VII 709. 710

A. I fr. LXII ad c. s. 16 adde: qui cum alia affert tum Ausonii perioch. Iliad. IV (p. 229 Schenk.) 'Iuppiter interea cum dis genitalibus una concilium cogit superum de rebus Achivis.'

A. II fr. I dele 'Servius . . . Ennium' quod ad ann. 555 'olli' nom. pl. pertinet. — Adde ad Ciceronis testimonium de Egeria: Servius in Aen. VII 763 'Egeriae lucis: nympha in Aricino nemore, quam amicam suam Numa esse fingebat ad firmandam legum suarum auctoritatem.'

A. 120 post '*Keil.*' adde: *Vergilium Aen.* II 764 mensaeque deorum; *Servium in Aen.* VIII 110 *Dan.* quidam mensas proprie deorum tradunt; VIII 279; *Macrobium* III 11, 5 *sqq.*

A. II fr. III dele '(cf. VI 19)' et post 'Falacre' adde haec: Idem ibid. VI 19 'Furrinalia a Furrina, quod ei deae feriae publicae dies is, cuius deae honos apud antiquos. nam ei sacra instituta annua et flamen attributus; nunc vix nomen notum paucis.' Paulus Festi p. 63, 13 Th. 'Furnalia sacra Furinae, quam deam dicebant.' Festus p. 316, 12 Th. 'Palatualis flamen constitutus est, quod in tutela eius deae palatium est.'

A. II fr. XVII ad Prisciani testimonium adde: ex Prisciano fluxit quod legitur in gloss. in Apollin. Sidon. ex cod. Digbeiano 172 (ed. R. Ellis anecd. Oxon. class. ser. vol. I part. V) p. 53, 26 (ad Sidon. VII 14) 'vultur est avis quae Anglice vocatur 'grip' in cuius ovo ponuntur reliquiae: de quo sic dicitur «vulturis in silvis miserum mandebat homonem».'

A. III fr. II ad 'annalium' adde (annali Par. Mon.)

A. VI fr. VI p. 33 med. post 'interpretatur' adde: similiter G. Heraeus philol. LIX p. 633;

Ibid. infra ante 'Donatus' adde: Boethius comment. in Aristot. περὶ ἑρμην. sec. ed. II 4 p. 82, 14 Meiser. 'conpositae autem aliquotiens quidem tantum orationes, aliquotiens vero etiam adfirmationes, ut cum dico . . . «aio te Aeacida (tae ae accida Salisb. te acida Tegerns. et in ras. Fris.) Romanos vincere posse», ex orationibus non ex adfirmationibus conponitur talis oratio.'

A. VI fr. VII corrige Andromacha [XIII]; ad testimonia adde: glossar. Phillipps. (cod. 4626) ed. Ellis et Warren Am. Journ. of Phil. VI p. 458 n. 134 'mussat dubitat vel submurmurat. unde Ennius «in occulto inquit mussabat». idem «non decet mussare bonos».' Quae unde ducta sint ex Paulo apertum.

A. VI fr. XIX post 'conlustrabat' adde: cf. Vergilius Aen. IV 586 'e speculis ut primum albescere lucem vidit.'

A. VII fr. III post 'oriundos' adde: similiter Servius sed sine Ennio ad eundem locum.

A. VIII fr. XVIII adde: idem in Aen. XII 841 'constat bello Punico secundo exoratam Iunonem.'

A. IX fr. XI adde: brevis expositio in georg. II 437 (append. Serv. Hagen. p. 311, 21) 'undantem abund. Ennius in libro VIIII annalium «praeda e. undat».'

A. X fr. I extr. ad 'insexit' adde: inc. 36.

A. X fr. IV ad testimonium adde: Cf. brevis expositio in georg. II 119 (append. Serv. Hagen. p. 293, 14).

A. X fr. X ad '*labores*' adde: Servius Dan. in Aen. XII 136 'aspectabat: amat usurpare antiquitatem: nam potuit spectabat dicere.'

A. XII fr. IV adde: schol. Bobiens. ad or. pr. Arch. p. 358 Or.

A. 374 adde: *De similitudine* fortis equi *Wilamowitzius ad Euripid. Herc.* 119.

A. XIV fr. III in Servii testimonio ad 'velivolas' adde (Androm. I).

A. 397 ad '*falae*' adde: *de quibus Servius in Aen.* IX 702, *idem de tabulatis in Aen.* II 464 *et aliis locis pluribus.*

A. XVI fr. XXVI adde: et Servius Dan. in Aen. III 470 'duces: equorum scilicet quos vulgo agasones vocamus.'

A. XVII fr. IV adde: Cf. Aen. XII 462 'tollitur in caelum clamor.'

A. XVII fr. V adde: Eosdem versus Aeneidos Macrobius Sat. V 13, 14. 15 cum Iliados IX 4 sqq. et XVI 765 sqq. composuit.

A. 446 adde: *Aen.* X 467 famam extendere factis; *Aen.* XI 24 quae sanguine nobis hanc patriam peperere

A. inc. XVI ad Servii testimonium adde: idem in Aen. II 16 Daniel. 'intexunt: quia naves texi dicuntur; nam ideo ubi naves fiunt textrinum vocatur.'

A. inc. XXI adde: 'tristi cum corde putabant' Aen. VIII 522.

A. inc. XXIII adde: Cf. Servius in georg. III 104.

A. inc. xxiv p. 88 adde: Macrobius Sat. v 11, 20.

A. 487 adde: *De re et sententia vid.* 566 *et Silium* xiv 307 pascitur adiutus Vulcanus turbine venti, *et multa sunt similia apud Livium et alios.*

A. inc. xxx adde: fori in nave quid essent grammatici certatim docuerunt, Nonius, Charisius, Servius, Isidorus.

A. 502 adde: *Ennii fortasse non immemor Vergilius Aen.* vi 781 en huius (Romuli), nate, auspiciis illa incluta Roma imperium terris *eqs, ait Anchises Aeneae*

A. inc. lii Probi testimonium ex Hageni append. Serviana p. 340 sic scribendum est: «*corpora* (ita codd. corpore ed. Egnatii) *tartareo* p. *palude* (ita Vat. Par. sed Mon. paluda habere visus est Thiloni) virago ... terra».

A. 525 adde: *de suris vel vallis praeter Livium memoratum vide Servium in Aen.* ix 144 vallum dicitur ipsa munitio; nam valli fustes sunt quibus vallum munitur; *eundem in Aen.* x 120 vallis: intra vallos, id est fustes fossarum, qui valli vocantur: nam munitio ipsa vallum dicitur neutraliter et hoc dicit: tenebantur Troiani intra vallos quos ipsi posuerant ne eorum castra facile inrumperent Rutuli

A. inc. lviii Varronis testimonium sic suppleatur: Lucilius ... impositio unius debuit esse canis, plurium canes, sed neque Ennius consuetudinem illam sequens reprehendendus nec is qui nunc dicit canis' eqs.

A. inc. lxviii ad Nonii testimonium adde: Paulus Festi p. 85, 1 Th. 'latrones antiqui eos dicebant qui conducti militabant ἀπὸ τῆς λατρείας.' Servius in Aen. xii 7 p. 575 sq. Thil. Varro de l. L. vii 52 'ab eo veteres poetae nonnumquam milites appellant latrones.'

A. inc. lxxii de falarica hoc adde: Servius in Aen. ix 702. Paulus Festi p. 63, 4 Th. 'falarica genus teli missile, quo utuntur ex falis id est ex locis extructis, dimicantes.' De ceteris vide locum ad 544 citatum.

A. inc. lxxiv adde: et buc. 4, 51 'caelumque profundum'; de quo Servius ad Aen. ii 758.

A. inc. lxxvi adde: cf. Festus p. 510, 28 Th. ad i fr. xxxi adscr.

A. inc. lxxxi pro 'cf. 119' scribe cf. 624; et quod falso ad 119 adscriptum erat Servii testimonium huc referas: Servius in Aen. xi 236 'olli illi secundum Ennium.'

A. 555 adde *Cf.* 135 *et Aen.* xi 445 illi haec inter se dubiis de rebus agebant certantes, *ubi nec Servius nec Macrobius Ennii memor erat.*

A. inc. lxxxvii post testimonia adde haec: nunc in Hageni appendice Serviana p. 285, 1 ex 'brevi expositione in Verg. georg.' ii 43 codicum Parisinorum 7960 (N) et 11308 (P) haec sic edita sunt: 'linguae: Homericus sensus Graeci poetae, sicut et Ennius «*non si* (sic sine varietate) l. l. s. *atora ·x·* (sic N, atorax P) sint *in metrum* (sic N, inter metrum P) ... *pectusque* (sic sine discrepantia) revinctum».'

A. 565 adde: *velut Livius scribit* xlv 39, 11 consul proficiscens praetorve paludatis lictoribus in provinciam et ad bellum vota in Capitolio nuncupat; *cf. ibid.* xxi 63, 9

A. inc. cvi ante 'Livius' v. 4 ab inf. addas: aut 'divum pater atque hominum rex.' Ibidem corrige: seorsum.

A. inc. cvii testimoniis adde: Cf. Paulus Festi p. 201, 6 Th. et Servius in Aen. xi 100.

A. 586 scribe: *de quo Charisius* iv *p.* 271, 2 *et*

A. inc. cxxvi adde: Cf. Priscianus vi p. 208, 1 H. qui multa de Aniene, nihil ibi de Ennio habet.

A. inc. cxxvii adde: Cf. Euhemerus v.

Sc. 12 scribe 309 pro 300.

Sc. Achill. ix in verbis Ciceronis 'tum subito tempestates coortae sunt maximae' Plasbergius alterum versum Ennianum delitescere sic fere suscitandum 'ibi tum subito sunt coortae t. m.' suspicatus est ob cooriendi maxime verbum a Cicerone alienum.

Sc. 29. 30 *dimetros anapaest. descripsit Bentleius ep. ad Mill.* (*B. works ed. Dyce* II) *p.* 263; *anap. poposcerunt cum A. Spengelius tum Skutschius nuper*

Sc. 51 adde: *et quod ludibrio dicitur apud Livium* VII 12, 13 unicum ducem, qui nihil agenti sibi de caelo devolaturam in sinum victoriam censeat

Sc. 70 iudicavit: *cf. Buechelerus mus. Rhen.* XXVII *p.* 477

Sc. 74 adde: *versus vituperavit Ribbeckius nuper, qui Accii versuum* 344 *sq. sententiam integerrimam addendo et mutando maluit depravare quam idem illud metrum agnoscere.* nám ea oblectat spés aerumnosum hospitem, Dum id quod miser est clam ésse censet altero

Sc. 104 adde: *sed* conatur trahens *Graecorum usum imitatur, quorum Herodotus* ἐπειρᾶτο ἐπιὼν *et multa similia frequentat*

Sc. Andromach. X in Varronis verbis scribe in versu, cf. ibid. VII 88 p. 151, 8 Sp.

Sc. 166 de 'exercito' adde: *Aen.* III 182 nate, Iliacis exercite fatis, *et Serv. ad Aen.* I 431; *Nonius p.* 6, 2 exercitum dicitur fatigatum *cum exemplis; p.* 294, 29 *sqq.*

Sc. 173. 176 *de formis* Brugio *et* Bruges *egit L. Valmaggius Atti della r. accad. di Torino* XXXV 11/12 *p.* 730—733.

Sc. 178 *Conf. Turnum suam hastam alloquentem Aen.* XII 95 *sqq.*, *Serv. ad h. l. et ad* IV 659, *et Macrobium Sat.* IV 6, 10 *universe hoc genus tractantem*

Sc. 190 sq. p. 151 extr. adde: *Lucilius* 965 *sq. Lachm.* anne ego te, vacuam atque animosam Thessalam ut indomitam, frenis subigam ante domemque? 967 tune iugo iungas me ante et succedere aratro invitum . . subigas?

Sc. 217 adde: *aut Vergilius Aen.* X 663 sed sublime volans nubi se immiscuit atrae; *Claudianus* X 182 sublime volans. *Cf. Priscianus* XVII *p.* 115, 19 *H. et aliis locis pluribus*

Sc. 220 premunt alas: *cf. Aen.* X 103 tum zephyri posuere, premit placida aequora pontus *h. e. si recte intelligo* facit quiescant: *sic* premunt alas *h. e.* sinunt quiescere immotas

Sc. 242 scribe: *pendeat* signa in caelo

Sc. Med. I extr. p. 165, 4 adde: cf. Leo quaest. Plaut. p. 87.

Sc. Med. XVI Probi testimonium ex nova editione Hageni (append. Serv. p. 338, 5) ita scribendum est: «Iuppiter . . . *inspicis* q. *tuo lumine* . . . facinus (facimus Vat.) . . *fit* (ita Vat. ed. Egnatii sit Mon. Par.) *prohibesse* (ita Vat. prohibe ēē Par. prohibe prohibe esse Mon. prohibe ed. Egn.) scelus».

Sc. Melan. II ad Nonii testimonium adde: Varro de l. L. VI 83 'hi auscultare dicuntur qui auditis parent, a quo dictum poetae «audio haud ausculto».'

Sc. 298 adde: *pergunt corrumpere quae aperta sunt: cf. Cicero Tusc. disp.* IV 17, 37 ut nec tabescat molestiis . . . nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, *h. e.* nec cupida mente quid cupiens cupienter cupiat; *Lucilius* 832 *L.* cupiditas ex homine cupido et stulto numquam tollitur

Sc. 301 adde: *Eurip. Alcm.* 67 (*Nauck.* II *p.* 381) ὅταν τις αἵματος μέλλῃ πέρι λέγειν καταστὰς εἰς ἀγῶν' ἐναντίον

Sc. 308 quod dicam fore: *cf. scen.* 348

Sc. 309 adde *scen.* 427 imprimitque genae genam *quae variis modis mutant docti*

Sc. 332 *Cf. Aen.* XI 147 maestam incendunt clamoribus urbem; *Serv. ad h. l.*; *Aen.* X 893 clamore incendunt caelum Troesque Latinique

Sc. 349 post 'sta ilico' adde: *et Nonius p.* 325, 5 ilico in eo loco *cum exemplis*

Sc. 368 post *Buechelerus* adde: *qui* tute *ab* ipse *seiungens* in tuto *intelligit, de quo dubito: cf. Accius* 372 *R.* modo tute ipse te offirma; *Cic. de re p.* I 38, 59 utere argumento tute ipse sensus tui

Sc. 370 p. 190 post *mortuis* adde: *et* generis mortuis (*non* occisis), *quemadmodum Livius* I 26, 2 *de sorore Horatii* solvit crines et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat, *et* 4 oblita fratrum mortuorum vivique, *qui item occisi erant*

Sc. inc. II et III scribe: M. Caesar ad Frontonem

Sc. inc. IV Donati testimonium ita scribe: Donatus ad 42 . . . 'templa caeli summa' tragice, sed

Sc. inc. V adde testimoniis: Servius in Aen. I 505 'testudine: camera incurva, id est fornicata (add. Daniel.), quae secundum eos qui scripserunt de ratione templorum ideo sic fit, ut simulacro caeli imaginem reddat, quod constat esse convexum.'

Sc. inc. XV ad testimonia adde: Paulus Festi p. 73, 2 Th. 'hostis apud antiquos peregrinus dicebatur et qui nunc hostis perduellio.' Servius in Aen. IV 424 p. 540, 23 Thil. Macrobius Sat. I 16, 14.

Sc. inc. XXVIII p. 199 adde testimoniis: Gnomol. Vatic. 475 Sternb. *Σωκράτης ἐρωτηθεὶς εἰ κατασχεῖν δύναταί τις λόγον ἀπόρρητον ἔφη ὅστις διάπυρον ἄνθρακα τῇ γλώττῃ κατασχεῖν δυνήσεται.*

Sat. 29 adde: *Nonius p.* 153, 10 *et Macrobius Sat.* I 4, 2. 20. 25. 26. 27

Sat. 39 adde: *Bacch.* 1203 it dies: ite intro accubitum

Sat. 63 adde: *Accius* 107 *R.* namque ut dicam te metu aut segnitate addubitare haut meum est

Sat. 68 adde: *Cf. Servius in georg.* I 240 *et* III 382

Var. 18 adde: *Aen.* XII 235 vivusque per ora feretur

Var. 57 post *postea* adde: Hacepropter *Usenerus. De proximo versu tempto* Quia mortalis *is* atque urbes beluasque omnes iuvat; *nam Iupiter sunt ista quae dixit quia iuvant aut quia Iupiter iis iuvat mortales*

Inc. V adde: ex Paulo ducta haec in glossar. Phillipps. (cod. 4626) ed. Ellis et Warren Am. Journ. of Philol. VI p. 457 n. 112 'mortem obiit i. e. ad mortem ivit quemadmodum dicebant antiqui «ob troiam ductum exercitum» i. e. ad troiam.'

Inc. XXX ad explicandum Servii testimonium quod Ribbeckius (Pacuv. inc. LIX) non recte accepit hoc addo: inter se opponuntur 'adverbia in e exeuntia modo producunt ultimam litteram, apud Ennium et Pacuvium brevia sunt' quae sic contraria sunt ut Serv. in Aen. VI 249 'succipiunt antique: nam modo suscipiunt dicimus'; et modo ea vi poni vel Paulus Festi p. 23, 24; 201, 8 Th. testis est. Servii sententia patefit his quae scribit in Aen. V 19 p. 591, 13 Thil. 'cum sciamus a terminata adverbia longa esse, ut paulo post (27) «et frustra cerno te tendere contra».'

Inc. XXXIX Varronis locum P. Canal in editione a. 1874 p. 117 ita scribit 'dico originem habet Graecam quod Graece ius *δίκη*: hinc enim dica, atque hinc dicare. hinc iudicare.' Cf. idem p. 454 et Antonibonus supplem. p. 81.

Inc. XLVI adde: Servius Dan. in Aen. III 113 'sane dominam proprie matrem deum dici Varro et ceteri affirmant.' Ibid. p. 363, 24 'hanc eandem eram appellari hoc est dominam tradunt.'

Inc. XLVIII adde: 'et, ut inde desitum, ut foedere' P. Canal. Testimoniis adiice quod Servius Daniel. scribit in Aen. IV 339 p. 524, 12 'aut foedus id est fidem rupisse perpetuae castimoniae' et in Aen. VIII 641 'Cicero foedera a fide putat dicta.'

Inc. LIII adde: et Wilamowitzii Eurip. Hercul. ed. I vol. I p. 30.

In indice testium p. 243[b] corrige *Aurelius* pro *Aurelianus*; ibid. adde: CAELIUS AURELIANUS Sc. 112.